This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

" What enhances the value of this collection, is the praise bestowed on it by the celebrated critics and poets already mentioned (W. Lauder, Thomas Ruddiman, and Prof. Rob. Stuart), which renders it a standard book among modern writers of Latin poetry."

David Hebræorum Rex:
Divinus Vates ac Psaltes.

Arcturus Jonstonus Scotus,
Psalmorum Paraphrastes.

Jonstono carmen dedit immortale Thalia:
Et vegeta scriptor cum brevitate placet.

Aliud.

Jonstono Ingenium Natura potentior Arte,
Artes, Phœbe, tuas provida cura dabat:
Ingenij specta vires, spectentur et Artes;
Quem dabis Ingenio? Quem dabis Arte parem?

D. Wedderburnus.

Geo: Jamison pinxit. *R. Gaper Sculp.*

POETARUM SCOTORUM MUSÆ SACRÆ:

SIVE

Quatuor Sacri Codicis Scriptorum, DAVIDIS & SOLOMONIS, JOBI & JEREMIÆ, Poëtici Libri,

Per totidem SCOTOS,

ARCT. JONSTONUM & JO. KERRUM, P. ADAMSONUM & G. HOGÆUM,

Latino CARMINE redditi:

Quibus, ob argumenti ſimilitudinem, adnectuntur alia, SCOTORUM itidem, opuſcula ſacra.

Summo quæque ſtudio recognita, & ad fidem optimorum exemplarium expreſſa.

EDINBURGI:

Apud THO. & WAL. RUDDIMANNOS.

M. DCC. XXXIX.

147. f. 82.

Clariſſimo Ampliſſimoque Viro,

CAROLO ARESKINO
De *TINWALL,*

Regio apud SCOTOS Advocato.

HUNC ſacrorum carminum delectum, Vir clariſſime, ex aliquot Poëtarum Scotorum monumentis deſumtum, Tuo nomini inſcribens, ne rem fortè abſurdam, ab Tuoque ingenio alienam, feciſſe coarguar, triplicem maximè ob cauſſam, haud valdè vereor. Ac primò quidem, tanta eſt eorum inter, quæ

hîc ſiſtuntur, poëmatum, muſæque præſertim Jonſtonianæ, Tuorumque morum atque indolis ſuavitatem atque dulcedinem conſpiratio atque convenientia, ut nulli alii, quà latè patet Scotia, potiori quàm Tibi jure, offerri ea poſſe conſtanter adfirmans, populares inter, mecum hac in re qui diſſentire velit, repertum iri neminem certo certiùs confidam. Deinde, Jonſtoni manibus (ſi quis manibus ſenſus ineſt) rem non ingratam facturus mihi videbar, hanc novam ejus pſalmorum Davidicorum paraphraſeôs Editionem ſi Tibi ſacrarem; ſiquidem ejuſdem Tecum & gentis & cognominis nobiliſſimæ Heroinæ, illuſtriſſimæ Comitiſſæ Mareſcallanæ, cujus virtutes longè pulcerrimo carmine celebrat, idem opuſculum ipſe auctor clariſſimus, ante annorum circà centuriam, honoris ergô dedicârat. Poſtremò, quodque maximè me impulit hunc Tibi librum ut inſcriberem, fuit Tuus in argumentum amor;

amor: quo enim in pretio, quantoque in honore apud Te & ſit, & fuerit, ſemperque (ita enim ex præteritis in poſterum de Te tutò nos poſſe augurari ſperamus) futurus ſit Divini cultus Numinis, quæque eò faciant omnia, eorum qui Te nôrunt ignorat nemo.

Dei autem Opt. Max. virtutes, quarum ſine notitia adorari ritè non poteſt, alibi uſpiam quàm ex Davidis, eoque geniti Solomonis, non Regum ſolum ſed & Poëtarum maximorum, quæ hîc exhibemus, ſcriptis, nec clariùs, nec ſanctiùs, neque auguſtiùs denique eluceſcunt. Nec mirum: quum inter mortales natos hoc ſapientior, illo ſanctior, haud quiſquam umquam aut exſtiterit, aut exſtiturus ſit. Neque horum infra dignitatem quidquam ſubſidunt ſanctiſſimi itidem viri, Jobus ac Jeremias, Divino & ipſi Poëticoque Spiritu adflati.

Eorum igitur monumentis, nec invenuſtè nec infideliter, per totidem

Scotos

Scotos Latino carmine donatis, animum Tuum, graviſſimis totius ferè Regni negotiis, ac forenſi præcipuè ſtrepitu, diſtrictum, vel relaxare vel oblectare, horis ſubſecivis, poteris; ut aliquam ſaltem ex ipſa varietate voluptatem percipere queas: ac voluptatem non mediocrem inde licet capias, quo es ingenii acumine, omnique politioris literaturæ ad pulcri poëmatis Veneres intelligendas genere inſtructus; longè tamen majori frueris, earum virtutum, quæ in his carminibus tantâ elegantiâ deſcribuntur, tantâ auctoritate muniuntur, tantis denique præmiis pœniſque, ſuo tempore perſolvendis, ſanciuntur, officiis fungendo, benèque adeò de univerſo ferè mortalium genere merendo; dum eos, quîcum vel familiariùs vel ex officio verſaris, placido æquabilique ingenio, morumque comitate quâdam, Tibi ferè ſoli propriâ ac perpetuâ, maximopere Tibi devincis; ipſoſque etiam infenſos, ſi

qui

qui ſunt, lenitate atque clementiâ vel emollis vel expugnas; in perſequendiſque etiam judicio reis, quæ pars tui muneris eſt magna, cædis atque ſuppliciorum adeò cupidus non es, ut, ex contrario, callidâ omni malitiosâque juris interpretatione faceſſere juſsâ, criminum etiam graviſſimorum poſtulatos, judicum calculis atque ſententiis abſolutos, liberari inſontes, quàm damnatos juſtas etiam pœnas luere nocentes, longè Tibi gratius acceptiuſque liquidò omnibus appareat: debiti interim cultûs, juſtique obſequii adverſus Sereniſſimum Regem, ab quo ampliſſimum demandatum munus ſumma cum prudentiæ atque æquitatis laude adminiſtras, illæsâ atque illibatâ fide, obſervantiſſimus.

ATQUE hîc quidem, Vir celeberrime, in Tuas laudes digrediendi latiſſimus ſeſe campus aperit; quas tamen, quia puſilli homuncionis prædicatione deteri, Tuumque pudorem violari nolim, levi, quod ajunt, brachio,

chio, obiterque tantùm, attingere veriùs quàm fusè magnificèque commemorare in animo est.

Ac principio, inter maximos totius terrarum orbis Principis Ministrum ac Consiliarium ita Te præbes, ut præclaram Evangelii servitutem, & gloriosum Christi jugum, dignitatum omnium ambitiosæ vanitati longè anteponas. Et verò, cùm arduam admodùm provinciam tantâ severitate judiciorum, nulloque personarum discrimine obis; cùm probitatis, innocentiæ, religionisque ipsius patrocinium ac defensionem suscipis tam fortiter pro tribunali; cùm virtutis, modestiæ, honestatis specimen in Te exhibes civitati, cùm societatis humanæ passim, præsertimque domesticæ necessitudinis, ceteraque Christianæ caritatis officia colis tantâ demonstratione pietatis: quid agis aliud, Vir illustrissime, quàm ut sublimem maximè sapientiam, quæ in supremi cultu Numinis ac fuga mali posita est, exemplo tuo nostræ commendes

mendes ætati? Quod utinam fallaci hoc lubricoque ſeculo plures ſequerentur! Multo profecto meliùs res ſe humanæ haberent. Nihil dicam de Tua dignitate, in qua ſic verſaris, ut honorum illecebræ ac lenocinia, quæ excæcant ac pervertunt ceterorum mentes, oculos tuos ne præſtringant quidem. Quæ verò propenſior fuit umquam liberalitas in calamitoſos quàm Tua? Quò copioſiſſimos auri argentique theſauros, uſui aliquando futuros, Tibi in cœlis recondis. Quod præſentius oppreſſæ virtuti præſidium? Tantum profecto, ut variis cladibus ac miſeriis malè habiti, injuriiſque vexati, ad Te ſtatim, tamquam ad certiſſimum aſylum, publicumque vindicem, nec fruſtrà ſanè, perfugiant. Neque injuſti inſtar judicis, quo de legimus, uti facias obtundendus es; quin ultro id, Tuâque ſponte, vixque rogatus, agis: quæ profecto proclivis benevolentia ac miſericordia ad cœleſtem, ſupremam

illam atque ſempiternam, clementiam aditum Tibi olim non patefacere non poteſt. Quæ in occupatiſſimo magiſtratu ſalutis æternæ cura diligentior? Quæ in divitiarum contemtu excelſior fortitudo? Quæ in honorum adeptione, & in gloriæ curſu quaſi perpetuo, popularique approbatione moderatio major? Cùm autem animum reficis ex forenſi ſtrepitu jugi pietatis exercitatione; cùm ad leniendum clientelarum, quæ Te obruunt, faſtidium, pendes ab aris frequens & aſſiduus; cùm, dirimendis litibus arbiter delectus, ſic exerces judicium de fortunis privatorum, ut ſemper intuearis in eum Judicem, qui de fortunæ Tuæ æternitate pronunciaturus eſt aliquando ſententiam; cùm deniquè ſic verſaris in vitæ præſentis negotiis omnibus, ut animum ſemper erigas ad beatam immortalitatem conſequendam: oſtendis nimirum quæ Chriſtiani ſpiritûs vis, quæ pectoris altitudo in Te ſpiret. Quæ

omnia

omnia adeò manifeſtè, ipsâque fatente invidiâ, in Te quum ita ſe habeant, uti, etiamſi quis maximè vellet, ab nemine mortalium refelli queant; ad nullius me alterius, potiùs quàm ad Tuum, vel debuiſſe vel potuiſſe patrocinium confugere, luce, ſpero, meridianâ clariùs omnibus patebit.

Ex tantæ ergo ſalutis æternæ procurandæ vigilantiæ conſcientia, totque rectè factorum, ad Divinæ legis præceptorum normam atque ſtateram quàm proximè, hoc eſt, quantum humanæ ſortis conditio patitur, exactorum recordatione, fructum non potes non percipere longè uberrimum, maximam puriſſimamque voluptatem; quæ cunctorum hujus vitæ fragilis atque caducæ, quibus infeſtatur, malorum atque incommodorum curſum facillimè ſufflaminare, alteriuſque etiam atque melioris ſpem, nec vano eam aut incerto fundamento innixam, ingerere ac ſubminiſtrare validiſſimè poteſt.

VIRTUTE igitur Tuâ Te involvens, Vir ampliſſime, invidorum ac malevolorum (tantam adverſus bonitatem ſi qui reperiantur) virorum calumnias nihil reformidans contemne; multoſque per annos, integro corporis animique vigore, ardua totius regni negotia, patriæque in primis commoda, tamquam ſidus ſalutare, feliciter procurans, auguſtiſſimi Regis gratiâ ac confidentiâ, civiumque Tuorum ſtudio atque benevolentiâ lætus perfruere; generiſque ſplendorem, quo ferè non minùs quàm propriis virtutibus inclareſcis, (ſiquidem ab antiquiſſima nobiliſſimaque gentis ARESKINÆ principum proſapia originem ducis) uti hactenus, ſic in poſterum quoque, cum dignitate tueri atque illuſtrare etiam, magnorum haud umquam indignus Avorum, de quorum uno eximius Poëta noſter, non minùs verè quàm eleganter, cecinit,

Inter

Inter Areskinus *proceres nitet, aurea flammas*
Inter ut æthereas Luna nitere ſolet,

alacriter perge. Ita vovet, optat, precatur, Tui nominis,

Vir clariſſime & ampliſſime,

Summâ, quâ par eſt, reverentiâ,

in perpetuum ſtudioſiſſimus,

Edin. Kal.
Jun. 1739.

GUL. LAUDERUS.

M. I. N.

PRÆFATIO.

QVVM optima atque accuratiſſima Pſalmorum Davidicorum paraphraſeôs, auctore Georgio Buchanano Scoto, Poëtarum ſui ſeculi facilè principe, cum luculenta doctiſſimi viri, Alexandri Julii, Edinburgeni, Ecphraſi, notiſque atque animadverſionibus Cll. virorum, Nathanis Chytræi, Petri Burmanni, ac Thomæ Ruddimanni, quibus ſuas quoque adjecerunt Editores, ante biennium ferè Edinburgi Editio prodiiſſet: hinc docti quidam apud nos viri, D. Robertus Steuartus, Phil. Nat. in Academia Edinb. Profeſſor digniſſimus, D. Joannes Kerrus, Græcarum olim literarum in Collegio Regio Univerſitatis Aberdonenſis, nunc verò humaniorum literarum in eadem Academia Edinb. Profeſſor, ac D. etiam Thomas Ruddimannus, celeberrimæ, quæ Edinburgi eſt, bibliothecæ Juridicæ præfectus, ſingulari

vangelicæ doctrinæ medullam vel compendium veriùs dulciſſimis ſuaviſſimiſque verſibus, ex intimoque Latio petitis, ſtropharum centuriâ lectori ob oculos proponens; ut miraculo proximum ſit, tantam tamque gravium rerum varietatem tantâ eum brevitate complecti potuiſſe; ac proinde perdignum, meo judicio, quod non oculis perluſtretur tantum, ſed & pectore circumferatur quotidie, adeoque Chriſtiani hominis animo numquam excidat.

Nunc reſtat ut de variis, quæ variis in locis Arcturi Jonſtoni carminum factæ fuerint, editionibus mentionem faciam: ac primò quidem, parerga ejus atque epigrammata Aberdoniæ, eo vivo, anno 1632 *prodierunt; quatuorque ferè poſt annos, anno nimirum* 1637, *ejuſdem pſalmorum Davidicorum paraphraſis, aureum ſanè opuſculum, omnique prædicatione majus, ibidem prodiit. Sub idem tempus parerga ejus atque epigrammata denuò, in exteris regionibus, inter delicias poëtarum Scotorum Amſtæledami recuſa ſunt, impenſis clariſſimi doctiſſimique viri, D. Joannis Scoti, Scototarvatii, equitis, cancellariæ in Scotia directoris, regiique conſiliarii, ſummi iſtius Muſarum fautoris ac patroni, ad quemque exſtat elegantiſſima Jonſtoni noſtri iiſdem deliciis præfixa dedicatio. Poſt quinquennium ferè, anno nimi-*

rùm

rum 1642, *mortuo demum eo, Jonſtoni carmina tum ſacra tum profana in unum corpus collegit, imprimendumque Middelburgæ curavit, vir admodum reverendus, Gulielmus Spangius, eccleſiæ Scotorum, quæ Veriæ Zelandorum collecta erat, paſtoris olim fideliſſimi doctiſſimique. Tandem anno hujus ſeculi ſexto prodiit iterum Amſtælodami ſacrorum Jonſtoni poëmatum editio, procurante D. Hoogſtratano, ſummo apud Batavos poëtâ, hortatu nobiliſſimi viri Jani Broëkhouſii, qui & ipſe poëta ſummus, maximuſque Jonſtoni noſtri, dum in vivis erat, admirator: quanti verò & hic & ille Jonſtonum æſtimaverint, meliùs, credo, patebit, quum ex ejuſdem Hoogſtratani ad eumdem Broëkhouſium dedicatione, tum ad lectorem præfatione, quaſque eam ob cauſſam hîc adjiciendas cenſuimus.*

Cantici quidem Solomonis paraphraſis ab eodem carmine elegiaco conſcripta, opuſculum (quo illud titulo indigitavit Cl. Ruddimannus) aureum verèque palmarium, lucem, quod ſciam, Londini (qua in urbe veriſimile eſt ipſe auctor celeberrimus tum diverſabatur, niſi fortè ſchedas eò imprimendas tranſmiſerat) anno 1633 *primùm adſpexit. Eam Jonſtonus, ſacrorum laborum primitias, principi pientiſſimo, ſereniſſimo potentiſſimoque Britanniarum regi, Carolo primo, (qui paterno exemplo*

inter medicos eum ordinarios referendum cæraverat) quem lepidiſſimo ſuaviſſimoque quinque diſtichorum epigrammate honorificè compellat, dedicandam cenſuit. Eadem in editione pſalmorum quatuordecim verſibus elegiacis paraphraſis item poëtica comparet; quarum ſeptem priores, pœnitentiales vulgò qui audiunt, reverendo antiſtiti, Gulielmo Ladio, epiſcopo Londinenſi; poſteriores verò, quos conſolatorios vocant, reverendo admodum viro, Joanni Leſlæo, epiſcopo (olim Sodorenſi tum verò) apud Hibernos Raphotenſi, elegantì etiam epigrammate ſingulis præmiſſo, inſtripſit, quæ, ne prorſus perirent, hìc edidimus: eos verò tentandi gratiâ elegiacis reddidiſſe videtur; plurimùm enim, multis in locis, ab his, quos quatuor poſt annos Aberdoniæ ipſe publicavit, conferenti mihi diſcrepabant. Atque hoc maximè temporis intervallo & in poliendis inter alia exigendiſque pſalmis ad Hebraicæ veritatis fidem, cujus ſenſa mirificè adeò exprimunt, ut, quin exquiſitâ ejus linguæ cognitione inſtructus ipſe fuerit, dubitandi locus haud relinquatur, occupatum fuiſſe eum valdè veriſimile eſt. Anno tandem hujus ſeculi nono ejuſdem cantici paraphraſeos editio longè pulcerrima, charta majori, nitidiſſimoque charactere, (& ô quàm vellemus integra Jonſtoni opera tam magnificè, merentur

tur certè, accidetque fortaſſe, curari!) *doctiſſimis inſuper utiliſſimiſque Cl. viri Thomæ Ruddimanni notis philologicis illuſtrata, hortante præcipuè maximo tum medico tum poëtâ, celeberrimo viro, Archibaldo Pitcarnio, Scoto, cui in deliciis Jonſtoni carmina fuêre, ex officina Friburniana Edinburgi ſeorſum prodiit: pauciſque poſt annis, ejuſdem libelli, minori autem formâ, editionem prædictis notis illuſtratam, cui itidem uti priori elegantiſſimum Cl. Ruddimanni carmen, eidem Pitcarnio inſcriptum, ac luculenta etiam præfatio, quibus propter ſummam excellentiam hanc noſtram adornandam cenſuimus, præmiſſa eſt, ipſe vir doctiſſimus ſuis ex ædibus emiſit.*

Quæ auctoris noſtri, atque in exteris præſertim regionibus, toties (*licet pro meritis neque magnificè neque frequenter ſatis*) *repetitæ editiones, luculento ſunt argumento quanti is ab doctis ſemper viris habitus fuerit.*

Neque tacere hoc loco poſſum libri, cui titulus Hiſtoria Univerſalis, Londini anno 1736 *impreſſi,* (*aut imprimendi octo voluminibus in folio uti vocant*) *auctores, clariſſimos doctiſſimoſque viros; qui honorifico admodum elogio Jonſtonianam pſalmorum paraphraſim proſecuti ſunt; elegantiam Hebraici ſermonis mirandum in modum exhibuiſſe eum, nec ulli demum alii*

pa-

paraphraſtæ, ne ipſi quidem Buchanano atque Caſtalioni, quos ibidem laudat, cedere, excepto duntaxat quod verſibus perpetuis elegiacis, unde haud parum carminis majeſtati derogatur, uſus fuerit, prædicantes; uti videre eſt in immenſi illo laboris ac judicii nec minoris utilitatis opere, fruſtràque hactenus aliarum gentium ſcriptoribus tentato, utpote humanas ferè vires ſupergreſſo, quodque iis ſolis tam feliciter ſucceſſerit, uti ſpes non adfulgeat mediocris & eum quoque carorum pretioſorumque librorum, quibus una ſe Anglia jactat, cumulo quandoque acceſſurum.

Excipere verò debebant Cll. viri pſalmi CXIX paraphraſim, quem in viginti atque duas diviſum ſectiones, totiuſque adeò pſalmorum libri longiſſimum, totidem diverſis carminum generibus proſecutus eſt; unde, quantus in omni ferè poëtandi genere, quando ipſi lubitum eſt, artifex eſſe potuiſſet liquidò adparet.

Quod verò iidem Cll. viri majeſtatis defectum in Jonſtoniana pſalmorum paraphraſi criminantur, id non tam auctori celeberrimo, quàm carminis, nimirum elegiaci, quo uſus eſt, ad quodque naturæ ſponte atque impetu maximè ferebatur, generi vitio vertendum eſt: ea ſiquidem carminis elegiaci eſt indoles, ut, rebus præcipuè lu-

gu-

gubribus aut amatoriis decantandis idonea, omnem orationis magnificentiam atque ſublimitatem unicè reſpuat atque refugiat; id quod acutiſſimi perſpicaciſſimique ingenii virum minimè latuiſſe pro perſuaſiſſimo habere poſſumus: præterea, Jonſtono, ipſi ſic credimus, ad majeſtatem ſive ſublimem dicendi characterem uti adſurgeret nequaquam (non enim, ut dixi, carminis indoles ferebat) propoſitum erat: ſacrum tantùm vatem paſtorali potius amictu veſtiendum, cui rei carmen ſatis conveniebat elegiacum, quàm regali adornandum pompâ, quod ante eum magnificè Buchananum præſtitiſſe adſeverat, ideòque, ne actum ſcilicet ageret, iterum non repetendum, ſibi in animum induxerat.

Nec ſilentio hîc prætereundus eſt generoſus Anglus, vir ornatiſſimus, Gulielmus Benſon, ex duobus unus vectigalium in fiſco ſereniſſimi regis Georgii ſecundi procuratoribus, publiciſque olim operibus, regnante Georgio primo, præfectus; humanitate, doctrinâ, inque literatos munificentiâ ſingulari nobilis, quique Jonſtonum noſtrum tam carum habeat, ut literas nuper ad Cl. Ruddimannum Londino mittendas curaverit, quò exactiùs ſcilicet uberiùſque de ejus natalibus ac vita, morte & ſcriptis cognoſceret, excellentiſſimi viri memoriam inſigni aliquo honoris teſtimonio adficere haud

haud dubiè meditans: ac par erat ſcilicet maximi virorum Miltoni admiratorem, cujuſque memoriam Anglorum primus, poſt tantum, proh dolor! ab tanti exceſſu herois, non Angliæ modò ſoli natalis, verùm generis humani ornamenti, intervallum, ſtatuâ etiam eleganti in loco celeberrimo, cœnobio nempe Weſtmonaſterienſi, regum, principum, antiſtitum, illuſtriumque Angliæ virorum cœmeterio, poſitâ proſecutus eſt; eumdem dulciſſimam caſtiſſimamque Jonſtoni muſam ſuſpicere atque adamare, ac tale etiam quiddam meditari.

Hæc poſtquam ſcripſiſſem, alteras ab ipſo viro clariſſimo exaratas literas accepit optimus Ruddimannus, quibus propoſitum urgens, quod priori tantum epiſtolâ obſcurè ſignificabatur, apertis luculentiſque verbis declarat; nimirum Jonſtonianam ſe memoriam atque pſalmorum paraphraſim ſummâ admiratione proſequi, nulliſque neque laboribus neque ſumtibus parſurum, quò minus ejus libri longè ſplendidiſſimam, quantum vel in Anglia vel apud Batavos fieri poteſt, editionem adornandam curet; modò cuncta ad id requiſita ſubſidia comparari ſibi poſſint, ſingularum nempe Jonſtoni operum editionum exemplar, quò ſcilicet, omnibus diligenter inter ſe collatis, una tandem præſtantiſſima accuratiſſimaque conficiatur; cum ejus ſimul imagine æri ab ſculptore

ptore incidenda, libroque præfigenda, operâque etiam ſtatuariâ ex marmore ducendâ, locoque poſtea celebri ponendâ, idoneis etiam doctorum proborumque virorum ejus de vita ac ſcriptis adjunctis teſtimoniis: quæ omnia ſuo brevi tempore ſperare fas eſt. Atque dignus eſt profectò qui non modò marmoreus ſtet, ſed cujus quoque imaginibus illuſtriſſimæ doctorum virorum bibliothecæ atque muſæa cohoneſtentur, cujuſque jucundiſſima memoria omni poſteritatis ætati ab doctiſſimis facundiſſimiſque hiſtoriarum atque annalium conditoribus cum maximis præconiis commendetur. Ceterum hîc quidem temperare mihi nequeo quin de rara & inſigni hac felicitate vati gratuler cultiſſimo; cui, poſt tot demum poſt obitum ſpatium annorum, talis tantuſque vindex obtigit, æquus admodum atque idoneus virtutum ac meritorum ejus expenſor atque æſtimator, cui ad opera celeberrimi viri ab ſitu atque interitu vindicanda, ac pluſquam priſtino nitori atque elegantiæ reſtituenda, nec animus abeſt nec facultas, uti cum jucunditate politiorum hominum & manibus teri, & oculis luſtrari in poſterum poſſint. Quæ profectò res, ſi quid ego veri auguror, haud magis honorato quàm honoranti per cuncta deinceps ſecula honori erit. Ac lubet etiam beatiſſimos Jonſtoni manes de tam læto eventu tribus verbis compellare. Hem igi-

tur Arcture Jonſtone! vir clariſſime, gentis olim Apollineæ decus, tuorumque quibus exſtitiſti temporum poëtarum omnium abſque controverſia longè princeps. Ut verè natus eras ad omnem dignitatem atque gloriam! Contemnebas tu quidem illam in terris apud homines, ſed nunc eâ longè maximâ, longè uberrimâ in cœlis apud Deum frueris. Tu jam liber ex carcere carnis evolaſti, quò nos incluſi miſerrimi mortales ærumnoſam calamitoſamque vitam infelices agimus, cœleſtis patriæ decorem anhelantes; ubi tu, cœles ipſe permiſtus cœlitibus diis, beatam hauris immortalitatem, diviniſque, quos tanta cum ſuavitate, in terris agens, decantare ſolitus eras, amoribus totus te proluis, æternùmque perfrueris. Tuam famam nulla umquam ætas tacebit, nullo temporis longinquitas obliterabit. Tua opera, publica hominum luce approbationeque digniſſima, per integrum ferè ſeculum ſitu atque ſqualore obducta, dignum ſe vindicem nacta, ex latebris tandem eruuntur, maximaque cum legentium voluptate teruntur. Non vanus augur exſtitiſti, neque tu, Jonſtone celeberrime! cui pro ſymbolo fuit heroico, ex nominis cognominiſque literis conflato, VIRTUS NOS ORNAT; neque tu, David etiam Wedderburne! & ipſe lactea venæ vates, ac jucundiſſimus olim fidiſſimuſque auctori noſtro per omnes omnium

ùm rerum temporumque viciſſitudines animo ſaltem comes ac ſodalis, qui Jonſtoni exobitu lætandi potius gaudendique quàm dolendi argumentum Scotiæ fore tot ante annos clariſſimè ſignificâſti, eumque carmine in perpetuum victurum prænunciâſti, famamque indè perennem illi futuram ſpopondiſti. Vivis profectò, vivis, viveſque per omnem omnium ſeculorum perpetuitatem, vivuſque per ora politiorum elegantiorumque, totum per orbem terrarum quot ſunt, quotque aliis erunt in annis, virorum perpetuò volitabis. Liceat modò mihi paucis cultiſſimiſque, quos de alio cecinit quidam, tibi verò adprimè convenientibus verſiculis hoc poſtremùm te adloqui:

Salve, Heros! ſalve: ſed vos procul ite, profani!
Voſque etiam ſacri de ſequiore nota!
Salve, Heros! ſalve: quidquid fors Momus iniquus
Grunniat: ô ſalve! nos tua turba ſumus:
Nos tibi devoti; nos, nos tibi ponimus aras;
Fundimus & genio vina Falerna tuo.
Tu nos divinis raptas ſuper æthera pſalmis,
Ardua tu facilem ſternis in aſtra viam.
Et quid erit præmî? cœlum, quem carmine pandis,
Hunc tibi (quod totâ mente vovemus) habe.

Unicam, quod ſciam, Adamſoni operum editionem Londini anno 1619 *procuravit ejus gener, vir Cl. Thomas Voluſenus juriſconſultus; quam ille editionem Jacobo regi ejus nominis ſexto dedicavit; conſcriptâ & ejus vitâ, in qua miris admodum mactat*

auctorem encomiis, unde quoque quæ ad rem noſtram præſentem pertinere videntur, deſumſimus, imprimendaque curavimus, ut nihil omnino lucis ad illuſtrandum auctorem noſtrum, quantum nos quidem poteramus, deeſſet. Scripſerat quidem ferè adoleſcens, anno nimirum 1566, *ejuſdem Jacobi regis, recens nati, quem ſereniſſimi nobiliſſimique Scotiæ, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ principis titulo indigitat, Genethliacon; quod audaciùs, viceſimo quinto Junii, ſextoque tantum ab partu die, typis committendum Pariſiis curavit: unde maximum tum vitæ adiit tum fortunarum diſcrimen, per plurimos menſes arcto carceri incluſus, ægrèque inde, ac nonniſi intercedentibus magnis principibus, liberatus, priſtinæque libertati reſtitutus. Id carmen iteratò in lucem prodiit, primumque, ac duplici jure, inter poëtarum Scotorum delicias locum obtinet.*

De Hogæo quæ dicamus haud adeò multa habemus. Caroli ſecundi, religionis ergô, temporibus aut ſolum vertere coactum, aut ſuâ ſaltem ſponte in Angliam profectum, ubi literas humaniores docuiſſe videtur, veriſimile eſt. Præter poëticas Jobi atque Eccleſiaſtis, quas hîc publico damus, paraphraſes, & eximium Joannis Miltoni Anglicanis verſibus conſcriptum librum, vulgò Paradiſum amiſſum, immortalis illud

lud ingenii monumentum, cumque ipſa ferè æternitate perennaturum opus, unacum ejuſdem Paradiſo recuperato ac Samſone etiam agoniſta, haud inſcitè certè pro argumenti difficultate, Latino carmine tranſtulit. Ejuſdem quoque Hogæi in duo cantica Moſis, atque Andreæ etiam Melvini, poëtæ haud ignobilis, in poſterius illud, atque in odam Davidis in mortem Saulis atque Jonathanis paraphraſes item poëticas, tamquam luce haud indignas, noſtro in delectu comparere permiſimus.

Agmen tandem claudit lectu digniſſimus libellus, cui Anglicano potius quàm Latino vocabulo, Georgii cujuſdam Egliſemmii inſania poëtico duello titulum fecit. Hoc irrito labore certat iſte de palma cum paraphraſi pſalmi CIV. quâ paraphraſi decima olim muſa Buchananus laurum tulit de multis gentibus & laudem ab genere humano. Sed inſaniam Thraſo iſte impunè haud tulit; vapulat enim accerrimè ſalſiſſimo ſuaviſſimoque carmine Arcturi Jonſtoni, cui id provinciæ Academia Pariſienſis, (quam controverſiæ judicem ipſe elegerat Egliſemmius) vel potiùs Medicorum Pariſienſium collegium, (quos inter per luſtra quatuor Medicinam, ſecundâ famâ, Jonſtonus factitabat, Poëtæ ibidem Regii titulo coboneſtatus) demandârat. Guilelmus etiam Barclayus, Medicinæ ac Philologiæ

logiæ Profeſſor doctiſſimus, vanam hominis arrogantiam, ſummo cum judicio nec minori elegantia, proſa oratione, quâtum Buchanani tum Egliſemmii paraphraſim accuratiſſimè ad examen revocat, ἀναντιῤῥήτως compeſcuit. Variis præterea diverſorum popularium epigrammatis, ſale multo atque aceto perfuſis, Thraſonicæ luit pœnas jactantiæ.

Subjiciuntur etiam propter argumenti ſimilitudinem, ejuſdem Pſalmi CIV. aliæ paraphraſes poëticæ ſex, auctoribus totidem Scotis. Has (præter Cl. viri, Davidis Humii Theagrii, paraphraſim, calido eam poëticoque ſpiritu effuſam, quam benignè nobiſcum communicavit prædictus D. Robertus Steuartus, cui copioſa admodum eſt ſacrorum ſcriptorum, quorum percupidus eſt, ſupellex, in quibus ſumma cum ſanctitate juxta ac perſpicientia verſatur aſſiduè, cujuſque exercitationis fructum dictis factiſque omnibus, hoc eſt, vitâ longè inculpatâ, homineque verè Chriſtiano dignâ, perpetuò exhibet) ex variis olim libris collegit, unaque cum poëtico duello, ante quadraginta, & quod excurrit, annos, publicandas curavit, præmiſſo etiam haud ineleganti Latino carmine, venerandus ſenex, avus maternus, D. Andreas Symſon, V. D. M. doctiſſimus integerrimuſque vir; quem pro debita in progenitorem pietate

etate honorificè hîc compellandum exiſtimavi, quemque ſine ſummo ſcelere, quando res ita locuſque tulit, inſalutatum præterire nec potui nec debui.

Atque hîc quidem de poëticæ, ſacræ præſertim, dignitate atque excellentia vix opus eſt, credo, quidquam ut adjiciam; quum ab viris id longè longèque celeberrimis ſæpiſſimè jam accuratiſſimèque factitatum ſit. Hîc tantum monere ſufficiat, ſacræ paginæ tum veteris tum novi teſtamenti libros poëticum ornatum, quod temerè nimis quidam falsòque opinati ſunt, adeò non abhorrere, ut, contrà, haud aliud ferè ſcriptum ampliorem uberioremque, aut illuſtriorem denique aptioremve poëtarum ingeniis materiam, quàm ii, ſuppeditet. Unde piget certè Gallicæ gentis criticum, doctum ſatis atque acutum alioqui virum, Boilavium hoc diſtichon temerario nimis cæcoque impetu effudiſſe,

" De la foy d'un Chrêtien les myſteres terribles
" D'ornemens egayez ne ſont point ſuſceptibles.

Huic verò cenſuræ, præpropere atque iniquæ, ab acerrimi item judicii tum ſuæ tum aliarum etiam gentium criticis ſatis jam ſuperque obviam itum eſt: quorum quædam aliorumque ſacri argumenti (etiam ubi intima noſtræ religionis myſteria tractantur, v. g. Hugonis Grotii de Euchariſtia

ſtia carmen, heroicum planè illud, ſublimique dicendi genere longè conſpicuum) carmina nullo non docti pulcrique poëmatis lenocinio ornamentoque nitent. Sed quid dicam? Quod præcipuas, quibus Ethnicorum paſſim referti ſunt libri, Veneres ex ſacrorum ſcriptorum monumentis tranſlatas eſſe eas deſumtaſque, plurimaſque etiam intactas integraſque relictas, multi opinentur. Utque ab ceteris recenſendis abſtineam, quod, quæſo, vel inter Græcos aut Latinos ſcriptores carmen vel prius vel poſterius canticorum Moſis orationis magnificentiâ non ſuperat, dico, ſed longiſſimo ſequitur intervallo? Cujus viri ſublime dicendi genus ipſe Longinus, auctor, ſi quiſquam alius, locuples, etiam ubi hanc rem ex profeſſo tractat, non diffitetur. Ad Boilavii certè refellendam ſententiam ſatis eſſe arbitror ſequentia doctrinâ atque pietate illuſtrium virorum nomina vel recenſere; Prudentium ſcilicet, Juvencum, Gregorium Nazianzenum, Sedulium etiam Scotum, Apollinarem Laodicenum, pſalmorum Davidis Græcis verſibus interpretem, ejuſque æmulum Dionyſium Petavium, Scaligeros, Julium ac Joſephum, ſui utrumque olim ævi miraculum, Jacobum etiam Auguſtum Thuanum, illuſtriſſimum hiſtoriarum ſui temporis conditorem, qui & librum Jobi cum Solomonis

Eccleſi-

Eccleſiaſte, Threnis Jeremiæ, ac quinque præterea ex Prophetis minoribus, vario carminum genere, Latinis verſibus proſecutus eſt; Bezam inſuper, & hunc Pſalmorum Latinis verſibus interpretem, Grotium denique, qui præter duas, Chriſti ſcilicet patientis, ac Sophompaneæ, ſive Joſephi venditi, tragœdias, & Jonæ hiſtoriam Latino carmine heroico reddidit, Heinſium, Voſſium, Flaminium, Turſellinum, Caſtalionem, & hunc priòris cantici Moſis Sapphicis, Jonæque hiſtoriæ Latinis heroicis interpretem, Vidam, Turnebum, Auratum, Hoſpitalium, Macrinum, Muretum, ac Franciſcum etiam Vavaſſorem, libri quoque Jobi, ac Theurgicon, ſive miraculorum Chriſti, libris quatuor, carmine heroico elegantiſſimo interpretem doctiſſimum, Miltonum, Couleium, quique etiam hodie apud Anglos floret, doctrinâ atque pietate ſpectabilem Iſaacum Watſium, Florentium quoque Voluſenum, Buchananum, Jonſtonum, Bodium, Roſſæum, Ramiſæum, Melvinum, Adamſonum, alioſque viros clariſſimos ferè infinitos; qui omnes, feliciterque etiam, in ſacri argumenti carminibus verſati ſunt, quorumque adhuc opera doctorum virorum manibus teruntur aſſiduè, maximoque cum fructu, nec minori voluptate, Latinis, *ut ait ille,* dum manebit pretium literis, *legentur.*

Prius autem quàm manum de tabula auſe-

ramus, non abſurdum erit, credo, Lectorem benevolum de hac Editione pauca monere. Ac primò quidem, dedimus operam ne quis inter eos, qui, pecuniis benignè ſuppeditatis, hoc opus initio adjuvare vel non diffiſi vel non dedignati ſunt, (quibus, uti merentur, perplurimas habemus agimuſque gratias, nec nimis uti diffidentes, leves præſertim ob cauſſas, ejuſmodi in rebus, in poſterum eſſe velint obnixè rogamus) ſubleſtæ nos fidei jure accuſare poſſit, adeòque non veremur, ne quis æquus ac candidus rerum æſtimator juſtam de nobis, tamquam qui multum infra promiſſa ſubſtiterimus, querelam inſtituat; ut, ex contraria parte, nobis, uti qui pleniſſimam voci fidem exhibuerimus, gratulaturos eſſe ultrò ſperamus adeò atque exſpectamus. Perſuaſum enim habemus, alioſque noſtræ ſententiæ adſtipulatores habituros confidimus, promiſſorum fidem rariſſimè alias, aut hîc aut alibi, vel luculentiùs vel religioſiùs præſtitam atque obſervatam. Excellentiſſimi enim Pſalmorum Paraphraſtæ effigiem, præſtantis manu Sculptoris æri eleganter inciſam, auctarii loco adjecimus, libroque præfiximus; quæ res emtoribus ſi adriſerit, (uti adriſuram ſperamus) non ſolùm ſuâ merce ipſi contenti ut ſint, ſed uti aliis quoque commendent, rogatos volumus. Eorum etiam judicio expendendum

dendum diſcutiendumque relinquimus, utrum ſacra Jonſtoni carmina non tam benè locum in ſcholis patriis, quæ pueris prælegantur, quàm apud Batavos, quorum, ut accepi, ſcholæ Muſâ Jonſtonianâ quotidie perſonant, (quum Buchananus, contrà, uti ab hominibus fide dignis audivi, neque in Scholis neque in Academiis ibidem, quam ob rationem neſcio, ne compareat quidem) duaſque præcipuè ob cauſſas, commereantur. Ac primò quidem, ſummam propter carminis venuſtatem ac puritatem, ac deinde propter admirandam omnino ſimplicitatem & facilitatem, maximamque cum lingua Hebraica convenientiam. Atque hîc nolim quemquam exiſtimare me (quis enim ego ſum hoc ut audeam?) Buchananum de ſolio, quod tamdiu ſumma cum laude obtinuit, dejectum cupere: id longè ab me abſit, quod abominor! Per me quidem vivat, vigeat, floreat, laureâ Apollinari, quâ digniſſimus eſt, tempora circumdatus; neque hoc ipſe Jonſtonus vellet, cujus famam acriter adeò adverſus Egliſemmii furores vivus tutatus eſt. Nihil igitur aliud hoc dicto intelligi velim, quàm, præviâ Jonſtoni lectione, ad pleniorem Buchanani intelligentiam, in ſummis ſcholarum illuſtriorum, atque in Academicis præſertim Philologorum claſſibus, viam munitiorem planioremque futuram, cujus majeſtas ac ſublime dicendi genus ipſis

viris doctiſſimis (magno Julio Cæſari Sca
ligero, cujus auctoritatem atque judicium
his in rebus nemo poteſt mortalium defuge
re, ſi credimus) non nimis notum eſt, nedu
crudis ludorum trivialium, (quid enim ma
nifeſta negemus?) in pagis præcipuè ruſti
canis, magiſtellis, quibus Buchananus, tam
quam violatæ ejus majeſtatis reis, ab iis, eju
qui famam ſibi caram habent, ne tanti ſcil
cet Vatis manes inultos eſſe patiantur, a
manibus vel vi extorquendus eſt. Ut nihi
dicamus de duodecim aut quatuordecim an
norum puerulis, (ô ſummam hominum inept
am, ne dicam, cæcam inſipientiam atque a
mentiam!) quorum impuras in manus puri
ſimi Buchanani manes vexandi, torquend
contaminandique prorſus traduntur. Ac ne
lim quemquam hæc de quorumdam ludimag
ſtrorum craſſa inſcitia calumniandi cauſſ
ab me conficta eſſe, exiſtimare; ab moribus ho
certè noſtris quàm longiſſimè abeſt. Rem it
ſe habere doctiores cordatioreſque ſtudioſ
juventutis Præceptores ſuxtà mecum inte
ligunt, ac conqueruntur etiam longè utiliſſ
mam humano generi profeſſionem in contem
tum atque ludibrium trahi ex culpa pauc
rum, quibus ipſis potius doctore opus eſt, quà
alios ut doceant, ſed quo rectè uti vix n
runt, ab omni ſenſu communi deſtituti
mnino atque imparati, quoſque laſſos bove
peronatos uti aratores, ſibilo exhilarare, v
ſtimi

ſtimulis proritare, rudem quàm juventam, ipſi omnium artium rudes, bonarum literarum ſtudiis erudire præ ſe uti ferant, Muſarumque caſtra ſequi, ſiniſtra in lucem natura aptiores extulit, *quique ideò in proprium munus, hoc eſt, ab ſcholis in agros ablegari debent. Buchananæa enim majeſtas, Academiis omnino quàm ſcholis, vel, ſi verum fateri libet, maturi potius judicii viris quàm incautæ atque ignaræ juventuti aptior, ab nemine explicari rectè poteſt, qui non & Virgilium & Horatium, alioſque præſtantiſſimos inter Romanos Poëtas veteres callet tenetque omnes ad unguem; quibus Buchananus (quem Flaccum Caledonium haud inſcitè dixeris, quemadmodum Jonſtonum Naſonis redivivi titulo Wedderburnus appoſitiſſimè inſignivit) non facilior modò non eſt, verùm, plurimis præſertim in locis, idque doctiſſimorum virorum judicio, longè etiam difficilior. Buchananum ſiquidem ſtudioſæ juventutis uſibus minùs idoneum reddit luxurioſa nonnunquam verborum ſilva atque congeries, (unde, ſi non tædium atque faſtidium, ſumma certè difficultas ſuboriri ſolet,) quâ ſtupendi planè, nulliſque metis coercendi ingenii ſcriptor uſus eſt: quum Jonſtonus, contrà, teſte Hoogſtratano, atque Iſaaco etiam Grutero, maximas res breviter, & ſine ulla circuitione, complexus ſit, adeòque legentium animum contra omnem*

nuem ſatietatem & faſtidium muniverit, dignuſque propterea quem ingenua adoleſcentia circumferat quotidie, in numeroque bonorum librorum collocet, numquamque de manibus deponat. Quam rem non perſpectam fuiſſe iis jamdudum, quibus id provinciæ incumbit, ſcholarum nimirum Curatoribus Moderatoribuſque, miratus ſum mecum ſæpiſſimè, neque adhuc mirari deſino. Mei ſenſa animi hac de re, uti liberum, ac nullius in verba juratum, hominem decet, liberè aperui; quæ tamen ab nemine, uti malo ab animo nequaquam profecta, malam in partem accipi velim. Agnoſco quidem lubens fateorque, numquam eam fuiſſe copiam ſacrorum Jonſtoni carminum exemplarium, quæ juventutis, in ſcholis patriis per totam Scotiam Latinas literas diſcentis, uſibus ſatis eſſe poterant, ſed & imprimi non minùs quàm alii libri, ſcholarum itidem uſui deſtinati, iterum poterant iterumque: quod & nos periculi faciendi gratiâ in præſentia ſcilicet fecimus, qui mille exemplaria ſacrorum Jonſtoni carminum, una cum D. Joannis Kerri cantici Solomonis paraphraſi gemina, ac Roberti etiam Bodii ab Trochoregia Hecatombe Chriſtiana, (quod carmen pueris olim prælegi ſolitum, cujuſque auctoris ab laudibus prò merita celebrandis ideo abſtinendum nobis duximus, quoniam eam brevi provinciam ab alio,

ac genere quidem propinquo, cui eam propterea rem majori curæ futuram ſperandum eſt, occupatum iri certò accepimus) ſcholarum in uſus imprimenda curavimus; qui liber ſatis vili modicoque pretio ab ſtudioſa juventute, uti par erat, comparari poterit. Quod ſi monſtrato uti remedio noſtratium ſcholarum Moderatores nolunt ac recuſant, felicius fortè fatum, Uti vates non niſi in patria ſua (*quod abſit!*) inhonoratus eſt, *vicina in Anglia Jonſtonum noſtrum exſpectat. Cujus gentis, omnis politioris literaturæ laude florentis, celeberrimis doctiſſimiſque viris, id quod ex multis luculentiſque teſtimoniis liquet, uti olim, ita hodie quoque, ſummo jam in pretio atque æſtimatione Jonſtonus eſſe incipit.*

Atque hîc, ſæpius antea laudati, prædicti D. Joannis Kerri, inſigne rem Literariam promovendi ſtudium ſilentio tranſmittere nefas duco. Cujus viri mores ab nomine atque profeſſione (Humaniores autem Literas profitetur) adeò non abludunt, ut ipſam ferè humanitatem jure eum appelles, talem certè in me ſemper expertus ſum, cuique ferè uni, hic liber quòd in manus hominum exiverit, acceptum referendum eſt, cujuſque rei meritum, ſi quod ineſt, penes illum unum, eam ipſam ob cauſſam, reſidere par eſt; abs quo ſi fuiſſet, noſtrum ejus edendi conſilium, fruſtrà ſanè ſuſceptum, non ob-

ſtan-

ſtantibus ſpecioſis plurimorum, quæ in nihilum profectò reciderunt, promiſſionibus; irritum atque incaſſum exſtitiſſet. Labantibus enim deficientibuſque ceteris, remque ingratam procul ab ſe amolientibus, ſolus ille totum ejus imprimendi onus in ſuos humeros derivavit ultrò, ad felicemque tandem exitum, magno certè animo, pro præſenti rerum ſtatu, quo alieni quiſque appetens, proprii parciſſimus eſt, benigniſſimè perduxit: quam rem in omnem ideò poſteritatem hîc teſtatam volumus, ne inſigne ſcilicet meritum ſuo præmio, honore ſuo tarâ virtus umquam careat.

Ac tribus jam verbis abſolvam, poſtquam; ſedulò multâque curâ adnixum eſſe me, hic liber ut quàm emendatiſſimus prodiret, Lectorem benevolum certiorem fecerim. Quòd ſi aliquanto ſeriùs, quàm par erat, in lucem exiverit, plurimis id, quæ nec prævideri omninò nec averruncari poterant, quod in talibus plerumque rebus fieri ſolet, remoris acceptum debet referri: quod, uti & errata aliqua, ſi quæ fortè, dum nos ab prelo aberamus, adeſſe enim perpetuò non datum erat, irrepſerunt, (certè perpauca ea fore ſperamus) humanæ ſortis, quâ vivitur, conditione diligenter priùs expensâ, uti benignus, ut homo homini, condonet; etiam atque etiam oro atque contendo. Vale.

Dedi-

Dedicationes & Præfationes.

Viro nobiliſſimo,

JANO BROUKHUSIO, amicorum & poëtarum optimo, maximo,

S. D. DAVID HOOGSTRATANUS.

ÆQuum eſt, Vir nobiliſſime, ut tibi inſcribam hunc libellum, ad quem caſtigatiùs emittendum me ipſe hortatus es, captus ſcilicet concinnitate, quam ibi reſidere videbas, & ſatagens publicæ utilitatis, quæ exigit ut ingenua adoleſcentia non ſolùm elegantiam Romani ſermonis & eloquentiæ affectet, lectionique bonorum ſcriptorum adſueſcat, rejectis impuris & barbaris nugis, & in tempore abhorrere diſcat à tumida illa ſcribendi ratione, quâ hâc tempeſtate homines delectari videntur: ſed etiam pietatem fideliter imbibat, ſeque his extremis temporibus præceptis ſalutaribus confirmet, quorum Pſalmi largam certè exhibent copiam. Te quidem juvat ſæpè afflictam valetudinem, uti ingraveſcens ætas ferax eſt morborum, ſolari his divinis cantilenis, poſitum in ſolitudine vitæ ruſticæ, quæ longè remota eſt à lubrici orbis vanitate. Servet Deus, omnis boni fons, animum tibi ſerenum, & aptum ſanctitati ſtudiorum tuorum, faciatque ut diu mihi liceat gaudere fructibus amicitiæ, quâ tot jam annos me dignatus animum meum tibi planè devinxiſti, totumque tuum reddidiſti.

David Hoogſtratanus Lectori S. D.

ARcturi Jonſtoni, Medici Regii in Scotia, quo, meâ ſententiâ, in illis oris nemo poſt Buchananum, facun-

diſſimum virum, meliùs, terſiùs, aut concinniùs ſcripſit, Pſalmos Davidicos reduco in lucem, Lector φιλόμουσε. Cum enim mirum in modum caperer felici poëtandi ratione, quâ breviter & ſine ulla circuitione tantas res complexus eſt, non imminutâ ſententiarum gravitate, legentiumque animum contra omnem ſatietatem & faſtidium munivit, dolebam profectò non inveniri hujus libelli exempla, niſi prorſus defœdata & mendis ſcatentia. Quare auctor fui Franciſco Halmæ ut novam editionem adornaret. Nec defuit ille deſiderio meo, ſuaviſſimum hoc opuſculum ita procurans, ut charactere novo nitidâque chartâ expreſſum facilè poſſet circumferri. Et circumferri certè, & in numero bonorum librorum collocari erat neceſſe, quòd nihil ſit utilius homini ingenuo & bonas literas edocto, quàm crebrò verſari in divina hac philoſophia, quæ optima etiam humanæ ſapientiæ præcepta longo poſt ſe relinquit intervallo. Quid enim utilius eſt quàm hîc, velut in tabula, contemplari infinitam Dei bonitatem cum ſummâ prudentiâ conjunctam? Quid utilius eſt quàm crebrò meditari illum diem, quo ad tribunal ſupremi Judicis reddenda erit ratio totius vitæ? Denique quid ſanctius, quàm in Deo ſolo collocare ſpem ſuam, ideòque omnia illa nihili ducere, quæ vulgus bona exiſtimat, neque animo cadere in rebus adverſis, quando hîc docemur adverſa atque incommoda, quibus affluit vita humana, non eſſe habenda in numero malorum? Diſce ergò hinc cum fructu tibi viam munire ad veram virtutem, quæ non alibi rectiùs veris coloribus depingitur, quàm in his hymnis. Hos, ſi ſapis, numquam de manibus depones.

Archibaldo Pitcarnio Scoto

Thomas Ruddimannus S.

Pitcarni, placido quem lumine vidit Apollo,
Cuique dedit plenâ munera trina manu;
Herois Siculi radium, medicamina Coi,
Atque Venuſinæ dulcia plectra lyræ:

Ad

Ad te confugiunt Solymi cœleſtia Regis
  Jonſtono Latiis carmina culta modis:
Jonſtono geminâ redimito tempora lauro,
  Vel Te, vel Clario carmina digna Deo:
Auſpiciis ut tuta Tuis, ereptaque nocti,
  Incipiant cœlo liberiore frui.

Lectori candido S.

DIvini, quod tibi exhibemus, Cantici Paraphraſin aggreſſi ſunt plurimi, & in his nonnulli Scoti; neminem tamen omnium æquè faventes Muſas atque Auctorum noſtrum Jonſtonum habuiſſe ultro fatebitur quiſquis ipſum cum illis conferre voluerit. In eo enim Romani ſermonis nitor & elegantia cum numerorum mira ſuavitate & gratia adeò conſpirant; ita ſemper caſtus & purus, placidus ſemper & æquabilis incedit; ut ad cœleſtes amores referendos totus compoſitus, atque ipſâ Solomonis Muſâ quodammodo afflatus videatur. Illa autem ejus præcipua laus eſt, quòd, cùm alii non pauci, nudâ interpretatione haud contenti, ſacrum Hymnum miſerè interpolarint, & pro vero ejus ſenſu mortalibus nondum ſatis comperto ingenii ſui commenta venditarint, indeque in diverſas, ſæpè & pugnantes ſententias abierint; ille integros ſemper & incorruptos adeat fontes, Regiique auctoris veſtigiis unicè inſiſtat: & ita tamen (quod mirêre) ut nihil uſquam de carminis venuſtate decedat, neque orationis nexus & tenor abruptis ſententiarum periodis interturbetur.

Omnibus igitur paullo humanioribus, quibus ſatis nota ſunt alia Jonſtoni poëmata, rem haud ingratam mihi facturus videbar, ſi aureum hoc, & quod palmarium auſim dicere, ejus opuſculum, at neſcio quo fato rariſſimum, & pleriſque inauditum, denuo in lucem emitterem. Id quod eo libentiùs à me præſtitum eſt, quod numquam antea in Scotia typis mandatum fuerit. In hac autem editione adornanda curam in primis adhibui, non modò ut formâ nitidiore, ſed etiam ut ab erroribus, qui plurimi priùs irrepſerant, repurgatus, atque auctore ſuo dignus libellus prodiret. † Notas præterea aliquot adjeci; non eo conſilio,

† Notas, quarum mentionem hic injicit Vir clariſſimus, hac noſtra in editione, libri ſcilicet moli conſulentes, omittere conſultius viſum eſt.

filio, ut facillimum ſcriptorem ſupervacaneis commentationibus onerarem; nedum ut reconditum divini carminis ſenſum eruere præ me ferrem. Is ſcilicet labor eſt, qui jam inde à multis ſeculis ſollicitavit, & haud rarò inter ſe commiſit Theologorum præſtantiſſimos: quorum ſuas ſibi partes, ſua ubique jura illibata relinquo. Formulas quidem loquendi aliquas, & nonnulla alia diſcentibus minus obvia, magis nonnumquam aperta reddere ſum conatus. Sed eò potiſſimùm in hac qualicumque opella pertinet inſtituti mei ratio, quamque auctori noſtro illuſtrando aptiſſimam judicabam, ut præcipua apud principes Latini ſermonis loca oſtenderem, quæ tam felici ſucceſſu, atque artificio prorſus ſingulari, non modo in uſum ſuum Jonſtonus vertiſſe, ſed ſibi quaſi propria feciſſe videtur. Tu Lector boni conſule, & vale.

ARCTURI JONSTONI

VITA.

ARCTURUS JONSTONUS ex antiqua & equeſtri familia de Caskieben (quæ, hodie Kethorum aula, ſeu *Keith-hall* dicta, nobiliſſimo Comiti de Kintore ſedes eſt pulcerrima, in præfectura Aberdonenſi ad Urium amnem, quà Donæ interfluit, ſita) gentis Jonſtonianæ in borealibus Scotiæ partibus principe, perque plurima ſecula longè florentiſſimâ oriundus, natus eſt anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo; poſt quinquennium quàm magnus ille Poëtarum Coryphæus Georgius Buchananus fatis conceſſerat, hoc agentibus ſc licet Superis ne illuſtri Vate Scotia umquam careret. Bonarum literarum ſtudiis, quas magna cum aviditate arripuit, ab incunte ætate in ſcholis patriis, poſteaque in Collegio Regio Aberdonenſi diligenter inſtitutus: tandem, ubi ex ephebis exceſſerat, animi excolen-

præcipiendi gratiâ, maximèque ad ſcientiæ Medicæ cultum capeſſendum, in exteras regiones profectus eſt. Romam pis adiit, ac Patavii quidem ſubſtitit; Doctoratûs inſignia adepturus, qua in Univerſitate, longè celeberrima illâ antiquiſſimaque, neque maxima fine laude, (Medicæ ſcilicet artis cognitione cum poëticæ facultatis ſuavitate, raro felicitatis exemplo, in eo certante) Medicinæ Doctor renunciatus eſt, ad III. Id. Junii, 1610. uti ex carmine conſtat, quod adhuc exſtat in libro MS. in Bibliothecâ Juridica Edinb. qui liber fuit olim Cl. viri D. Roberti Sibbaldi, M. D. Equitis aurati, patriarumque antiquitatum peritiſſimi. Id carmen, nullam quidem propter ejus excellentiam, ſed quod manifeſtum ſit ejus rei quam allegamus indicium, inter cetera auctoris vitam illuſtrantia teſtimonia Lectoris oculis ſubjicere haud ab re fore duximus. Peragratis poſtea Italiâ, Daniâ, Germaniâ, Angliâ, Bataviâ, aliiſque regionibus, ad Gallos poſtea ſe contulit; quos inter, referente natalibus juxta ac literis clariſſimo viro, Thomâ Urquharto de Cromarty, Equite cum primis apud Scotos vetuſto, Jonſtonianiſque præterea temporibus æquali, " Tantâ poëticæ dulcedine, " tantoque pangendi carminis lepore claruit; ut, non- " dum exacto viceſimo tertio ætatis anno, præ ceteris " omnibus ſui ſeculi Poëtis, ab Chriſtianiſſimo Galliarum Rege, Laureâ Apollinari merito ſuo inſignire- " tur; id quod, *pergit vir nobiliſſimus*, ex elegantiſſima " ſua Pſalmorum Davidicorum Paraphraſi, quâ Buchanum, ſi non ſuperat, *inquit*, ſaltem, meo quidem " judicio, adæquat; parergis præterea, aliiſque opuſcu- " lis nondum mihi notis, certiſſimè conſtat." Neque id ab veritate omnino abhorrere videtur; ſiquidem per quatuor integra luſtra (ut ipſe auctor celeberrimus in ſcriptis ſuis teſtatur) apud Gallos hæſit, ducta & ibidem uxore, compluribuſque (numero tredecim, ex gemino idque matrimonio, ipſe memorat) liberis ſuſceptis. Tandem, poſt viginti quatuor annorum peregrinationem, (uti ante eum olim Buchananus, ut omnes ferè patrii ſoli repetendi ante obitum dulcedine capimur) in Scotiam anno 1632 redux, carus omnibus acceptuſque popularibus aliquot annos Aberdoniæ tranſegit, cujus Academiæ Rector magnificus, qui honos non niſi claris atque illuſtribus viris habetur, menſis Junii die viceſimo quarto, anno 1637 (eodem ſcilicet, quo

Pſal-

Pſalmorum paraphraſim, divinum certè opus, maximumq; atque certiſſimum ſummæ viri præſtantiſſimi tum eruditionis tum pietatis etiam indicium, ipſe auctor eadem in urbe in lucem emiſit) ut ex publicis Academiæ Archivis conſtat, cùm in ejuſdem Univerſitatis Medicorum album, jurejurando quoque pro more de fideli præſtito, priùs relatus fuiſſet, Profeſſorum ſuffragiis creatus eſt. Paullo poſt in aulam arceſſitus, uti operâ ſuâ præſto eſſet Carolo Regi, ab quo inter medicos ordinarios cooptatus fuerat, quoque eum titulo Rex Jacobus, aliquot ante obitum annos, ornaverat; quem obitum veris Jonſtonus lacrimis, pulcerrimoque carmine, prout bonum ac fidelem civem, eumdemque gratum atque præſtantem Poëtam decebat, proſecutus eſt. Verùm non multos in Anglia annos exegit, quum mortalitatem exuit, annum agens ætatis quinquageſimum quartum, (mortuus eſt enim anno 1641, uti ex doctiſſimi viri, ſuaviſſimique poëtæ, Davidis Wedderburni, Jonſtoni mortem pluſquam fraternis lacrimis deflentis, Aberdoniæ eodem anno impreſſa Elegia conſtat.) Vir, ſi quiſquam certè alius, ſi ita Superis fuiſſet viſum, longiſſimo digniſſimus ævo, propter eximias, quibus plenâ eum manu divina cumulaverat benignitas, quibuſque mortalium generi & plurimùm profuit, ac prodeſſe porrò potuit, animique & corporis dotes; quæ in eo raræ atque inſignes adeò erant, uti David certè Wedderburnus omnes ferè uno verbo complexus eſſe videatur, quando jure eum merito ævi ſui miraculis accenſendum exiſtimat, ac quoddam quaſi Scotiæ numen indigitat ſuſpicitque. Sed, uti *Immodicis brevis eſt ætas & rara ſenectus*, ô felix Jonſtoni fatum! quem Deus ter Opt. Max. tam opportunè in cœlos raptum, bellorum civilium, quæ poſtea ſubſecuta ſunt, furoribus (quos tamen ſagaci animo præſagiebat, ac deprecabatur etiam) innumeriſque, inde quæ exorta ſunt, malis atque calamitatibus, rebus diutiùs humanis intereſſe haud paſſus, pro infinita ſua clementia, uti probos funeſtis temporibus ſubducere ſolet, benigniſſimè exemit.

Neque Superis modò, (quod maximum eſt) verùm mortalibus quoque cariſſimus Jonſtonus exſtitit. Quod ſi *Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt*, quanta igitur Jonſtoni noſtri felicitas? cui maximis per totum terrarum orbem Regibus, Principibus, aliiſque plurimis ſummâ

ſummâ dignitate atque doctrinâ illuſtribus viris (uti cùm ex ipſius tum aliorum ſcriptis patet) in deliciis eſſe contigit: Chriſtianiſſimo ſcilicet Galliarum Regi, cujus primarii, ſeu laureati, ut vocant, Poëtæ titulum, homo licet exterus, meruit; potentiſſimis etiam Magnæ Britanniæ Regibus, à quibus, haud levi certè amoris atque æſtimationis pignore, inter medicos fuit domeſticos relatus; Jacobo, (& ipſi inſigniter docto, utpote magni Buchanani alumno, ac Poëtæ etiam, Pſalmorumque Davidicorum Anglicanis verſibus interpreti) Caroloque filio: atque hic quidem, pendente coram Senatu Mechlinienſi quâdam maximi momenti lite, pro Jonſtono apud Heſperiam Deam, (ut ipſe eam lepidiſſimè vocat) ſive Mariam Borboniam Caroli filiam, Maximiliani Auſtriaci Ducis conjugem, ſibique cognatam, deprecatoris munere defungi, neque fruſtrà, haud dedignatus eſt. Sed & illuſtriſſimo quoque Principi, Ludovico, Comiti Palatino, Bavariæ Duci, &c. atque Henrico etiam Turræo, Bullioniæ Duci, ejuſdemque genero, Duci Trimollio, Lennoxioque inſuper Duci, cujus etiam mortem deflet, Georgio quoque Gordonio, Marchionis Huntlæi filio, (unde exquiſiti operis annulum cum gemma divite auro incluſa, amicitiæ non vulgaris haud obſcurum teſtimonium, dono acceperat) Comiti quoque Hollandio, cujus ſingularem in literatos munificentiam ſummis Jonſtonus encomiis celebrat, quos omnes eleganti carmine ſibi tamquam notos atque familiares compellat; illuſtri præterea Comiti de Pembroke, ad quem exſtat quoque cultiſſimum Jonſtoni carmen, cujuſque obitum paucis ſuaviſſimiſque verſibus deflet, nobiliſſimo quoque Moraviæ Comiti, cujus itidem mortem elegantiſſimâ elegiâ deploravit vel decoravit veriùs; ſed & univerſis ferè Scotiæ Nobilibus, venerandoque denique Epiſcoporum apud Scotos ordini, quorum omnium, uti Nobilitatis Scoticæ complurium, meritas laudes, ſingulis diſtichis, ſuaviter haud minus quàm honorificè proſecutus eſt, pergratus perque acceptus exſtitiſſe videtur. Atque hîc alios viros Eccleſiaſtici item ordinis haud paucos, cum quibus Jonſtonus (non obſcuro doctrinæ atque pietatis ejus indicio, quod & elegantiſſima ſimul ſanctiſſimaque Pſalmorum Davidicorum Paraphraſis poëtica luculentiſſimè quoque teſtatur) familiariſſimè vixit, quoſque promeri-

meritis, (quippe qui omnes doctiſſimis ſuis lucubrationibus, per omnia ſecula victuris, orbi jampridem literato, ut qui clariſſimè, innotuerint) honorificè admodum ſingulos carmine compellat, ſilentio involvere piaculum ſit: venerandum nempè Antiſtitem, Gulielmum Ladium, Epiſcopum tum Londinenſem, poſtea verò Archiepiſcopum Cantuarienſem, Joannem item Leſlæum, Sodorenſem primò apud Scotos, mox apud Hibernos Epiſcopum Raphotenſem, Patricium quoque Forbeſium, Aberdonenſem item Epiſcopum, ſanctitatis atque eruditionis laude longè latèque florentiſſimum, cujuſque rei manifeſtum exſtat teſtimonium, juſti liber voluminis, ſummis doctorum virorum laudationibus refertus, ejus mortem deplorantium; ejuſdemque filium Joannem Forbeſium à Corſe, in Academia Regia Aberdonenſi S. S. T. Doctorem atque Profeſſorem celeberrimum doctiſſimumque, ac Theologorum ſui temporis quemdam Anteſignanum; Gulielmum quoque Forbeſium S. S. T. Doctorem & Profeſſorem, qui primus Epiſcopus Edinburgenſis creatus eſt, ſingularem ſcilicet illam honoris demonſtrationem ſereniſſimi Regis judicio egregiis ſummi viri meritis exigentibus; Theologorum item ævi ſui verè Coryphæum; ac Robertum etiam Baronium, acutiſſimum præſtantiſſimumque virum, atque apud Aberdonenſes S. S. T. Doctorem atque Profeſſorem digniſſimum doctiſſimumque; reverendumque etiam virum, D. Andream Ramiſæum, S. S. T. apud Salmurienſes primò, poſtea verò in Academia Edinburgena Profeſſorem, Divinorumque eloquiorum eadem in urbe ex Interpretibus unum, ac Vatem præterea cultiſſimum, ſacra cujus poëmata elogio longè celeberrimo, elegantiſſimo nimirum Epigrammate, (quod Epigramma, ſummam propter ejus venuſtatem, Anglicano idiomate metricè mihi vertendum exiſtimavi) ipſe Jonſtonus proſequitur, Parnaſſi nempè jugis Sioniam rupem, aquis Heliconiis Jordanis flumen felici conſortio copulâſſe, hoc eſt, in ſacroſanctæ Religionis veneranda adyta atque myſteria culti carminis gloriam, quod rariſſimè alias factitatum, intuliſſe eum ſuaviſſimè ſimul veriſſimèque prædicans; Danielem denique Tilenum, S. S. T. apud Sedanenſes Profeſſorem, ac Gulielmum demum Spangium, Eccleſiæ Scotorum, Veriæ quæ Zelandorum colletta erat, paſtorem olim fideliſſimum doctiſſimumque,

que, cujuſque diligentiæ integra Jonſtoni operâ in unum corpus redacta debemus; atque Andream etiam Melvinum, & ipſum tum Theologorum tum Poëtarum in choro haud poſtremi certè nominis; ac Georgium quoque Turnbullium, qui, Pontificiorum licet partibus addictus, ſummæ tamen eruditionis acerrimique judicii certiſſima documenta in editis à ſe ſcriptis Theologicis exhibuit; cum aliis plurimis, à quibus, ne tædium forſan lectoris animo obrepat, ſigillatim recenſendis conſultò hîc abſtineo. Familiaritati quoque ſuæ cum clariſſimis quibuſdam Juriſperitis, ſeculi ſui luminibus, reverendiſſimis ampliſſimiſque viris, Jonſtonus haud parùm debuit; Nicolao ſcilicet Fifo ac Philippo Jonarto, ſenatûs Mechlinienſis, Conſiliariis, ac Thoma etiam Nicolſono, Juriſconſultorum apud Scotos ævi ſui principe, viroque clariſſimo Thoma Hopæo, Advocato regio, cum Jacobo quoque Bardio & Gualtero Hayo, cauſſarum patronis famigeratiſſimis; qui omnes ab auctoris noſtri partibus in duabus periculoſæ plenis aleæ litibus ſteterant acerrimè, rejecto quoque ſumma cum conſtantia, quod vir præſtantiſſimus porrexerat, vocis conſiliique pretio, honorario. Medicis quoque ſeculi ſui celeberrimis perquam familiariter uſus eſt; Julio ſcilicet Caſſerio Placentino, Equite, Anatomiæ adminiſtratore & Chirurgiæ Profeſſore ordinario in illuſtri Univerſitate Patavina, (quibus eum titulis ex ipſius viri clariſſimi chirographo, oculis meis hæc ſcribentis ſubjecto inſignivi, in diplomate, quo in virum præſtantiſſimum D. Georgium Sibbaldum Scotum, Rankilorium, Jonſtono noſtro amiciſſimum, (cujus quoque nomen inter teſtes atque conſiliarios ibidem præſentes allegatur) Patavii Doctoratûs gradus conferebatur, ante centum quinque ac viginti annos, nimirum Junii die nono, anno 1614, exarato) artis Anatomicæ ſcientiâ nobiliſſimo; eodem Georgio Sibbaldo, prædicti D. Roberti patruo, qui, laudatâ profectò conſuetudine, Jonſtono laureâ Apollinari Patavii quoque paullò antè decorato haud ineleganti epigrammate gratulatus eſt, quo viciſſim honore Sibbaldum, poſt adeptum ſtatim Doctoratum, Jonſtonus proſecutus eſt; Davide quoque Betonio, Medico regio; Cargillo, Dunæo, Liddelio, Mathematicæ Profeſſionis apud Aberdonenſes fundatore benigniſſimo, aliiſque. Commercium quoque coluit lite-

literarium cum doctissimis quibusdam exteris, Caspare nempè Barlæo Batavo, Poëta præstantissimo, ac maximo quoque virorum Hugone Grotio, ævi sui quodam miraculo, politissimo quoque Daniele Heinsio, acutissimoque Dominico Baudio. Sed & aliis quoque doctrinâ atque dignitate per Scotiam illustribus viris Jonstonus pencarus extitit; quos inter primas facilè obtinet nobilissimus ille musarum Mæcenas ac patronus, vir illustrissimus Joannes Scotus Scototarvatius, Eques, Regius Consiliarius, Cancellariæ in Scotia Director fidelissimus, cujus eximia ac verè dixerim regiæ munificentiæ Blavianum Scotiæ Atlantem, nec non Poëtarum Scotorum prioris seculi delicias, optimorum poëmatum, quorumque nullam unquam posteritatem pigebit, delectum, cum plurimis aliis benignissimi ejus animi testimoniis, debemus; quas ob causas immortali eum memoriâ dignissimum judicamus, quod & jam adeptus est; ejus siquidem famam immortalitati jamdudum consecravit tum strictâ tum solutâ oratione excellentissimi auctoris nostri calamus facundissimus. Atque hâc famæ immortalitate, infinitis eum partibus universis Alexandris Juliisque, istis hominum portentis, qui & exstiterunt, vixeruntque, atque exstincti demum sunt cum pernicie generis humani, longè digniorem existimamus; siquidem benignissimi isti literarum patroni ac fautores, à populando exhauriendoque vires mortalium tantùm absunt, ut, soli verè patriæ patres, optimæ optimorum hominum portioni, hoc est, utilissimis jucundissimisque præstantium excellentiumque ingeniorum monumentis sospitatores quodammodo se præbent atque deos, doctorum scripta virorum non solum ab morte, sed ab ipsa ferè mortalitate vindicantes: quorum illustrium recensere nomina heroum gestit profectò mihi animus. Et ô quàm vellemus plures illi similes in jacentium literarum commodum (jacent enim, proh dolor! ah nimis nimisque) nostro in orbe ut existerent! Sed frustrà optamus. Cum Georgio præterea Jamisonio, pictore eminentissimo, Scotiæ suæ Apelle, (cujus exquisito penicillo vivis eum coloribus depictum fuisse accepimus) ad quem & cultissimum illius carmen exstat, intima admodum Jonstono consuetudo intercessit. Sed quo te piaculo præterire possum, David Wedderburne, auctori nostro (dum in vivis eratis) carissimum simul amicissi-

ciſſimumque caput, ludi apud Aberdonenſes per plurimos annos literarii moderatorem digniſſimum doctiſſimumque, cuique omnium Latinorum Poëtarum difficillimum luculentiſſimo, brevi licet, commentario illuſtrarum debemus? Eſſet certè quod Scotiæ noſtræ gratularemur, plures tibi ſimiles ſtudioſæ juventutis præceptores ſi haberemus. Neque illuſtribus quibuſdam heroïnis, ſui ſeculi ornamentis, ſummam propter morum comitatem atque elegantiam, quàm principibus viris ab ingenii acumine, maximaque doctrina, minùs gratus acceptuſque Jonſtonus exſtitit. Quâ certè re triumphum agit de multis aliis doctis hominibus, quorum egregia alioqui merita, eximiaſque dotes auſterum haud rarò ſupercilium, totiuſque corporis morumque habitus ſubagreſtis, atque incorrigibilis inſuper ineptiæ, ex vita umbratili ſcholaſticoque otio contractæ, character ſive veſtigia, vel longiſſimi ævi curriculo haudquaquam abolenda, obfuſcare non parùm inquinareque ſolent. Suaviſſimis certè puriſſimiſque verſibus, honoris atque æſtimationis ergò, ſequentes Jonſtonus compellat nobiliſſimas matronas; Mariam nempè Turræam Bulloniam, Trimollii Ducis conjugem, Annam quoque Cambellam Argatheliam, Marchioniſſam Huntlæam, cum tribus ſimul filiabus, Anna, Henrica, Jana Gordoniis, Mariam inſuper Areskinam Marriam, illuſtriſſimam Comitiſſam Mareſcallanam, cui Pſalmorum paraphraſim, pulcerrimum munus, dedicandam cenſuit; Iſabellam item Setoniam Wintoniam, Comitiſſam Laderdeliam, ejuſdemque filiam Joannam Metellanam, Sophiam præterea Hayam Erroliam, Vicecomitiſſam Melgeniam, ejuſque ſororem Margaretam, atque Elizabetham etiam Gordoniam, Dominamque Wardeſiam, aliaſque plurimas, quibus gratum fuiſſe eum perque acceptum (cùm & ægrotis mentibus poëticâ, quæ non infima laus eſt, non minùs quàm languentibus corporibus arte Pœoniâ medicinam facere potuerit) nihil obſtat certè cur non conſtanter credamus.

Atque hîc quidem ſubſiſtere, manumque de tabula auferre cogor. Atque utinam prelum non adeò urgeret, operæque feſtinarent, uti quædam alia tanto viro digna literis conſignari poſſent! Verùm lætiſſima ea provincia aliis fortè, longèque præſtantioribus deſtinata eſt, quibus uti ex animi ſententia cedat, hoc eſt, uti talis viro celeberri-

perrimo Encomiaſtes, qualis fuit ipſe Paraphraſtes, (quo nihil nec dici nec cogitari quidem vel grandius aptiuſve, vel dignius denique aut honorificentius) obtingat, omnibus votis precor atque exopto.

Ut tamen faciam, quantum poſſum, lectoribus ſatis, ipſius præſtantiſſimi ſcriptoris ad virum doctiſſimum Davidem Wedderburnum de ſeipſo elegiam; ejuſque viciſſim ad Jonſtonum reſponſionem (ſcio enim utramque longè gratiſſimam fore) lectoris hîc oculis ſtatim ſubjiciam, ipſum Jonſtonum optimam luculentiſſimamque ſuæ ipſius vitæ illuſtrandæ facem præferre perſuaſus. Atque hîc auctor ſum iis, quibus plura de eo cognoſcere gratum eſt, cetera ejus poëmata ſedulò uti conſulant, plus enim lucis inde ad veritatis, in rebus ad ipſum quæ ſpectant, quàm aliunde uſpiam redundaturum compertiſſimum habeo. Ex iis enim complura variaque, tantâ loci temporiſque intercapedine, quæ fruſtrà (niſi vehementer me animus fallit) alibi exſpectantur, haurire atque addiſcere poſſumus. Atque ea quidem carmina, celeberrimi viri in parergis atque epigrammatis exſtantia, curare in animo erat imprimenda, ni liber, plus ferè juſtam quàm molem jàm ſortitus, carceres morderet, in hominumque manus prodire feſtinaret geſtiretque, æquo diutiùs iiſdem denegatus. Carmina autem, quæ meo judicio ad hanc maximè rem mihi facere videntur, ſequentibus inſignita titulis leguntur: ad ſenatum nempè Mechlinienſem; ad Nicolaum Filum & Philippum Jonartum; in duos rabulas forenſes, Advocatum & Procuratorem, N. N. diræ; in nautas ad nobiliſſimum virum Georgium Hayum, Cancellarium; ad eumdem de furoribus Brontotyphoeis; ad Thomam Nicolſonum, Juriſconſultorum principem; ad Robertum Baronium, Theologum; ad Medicos regios; de Barlæo Batavo; Pantlemonis (quo ſe ipſe nomine innuit) querela ad ſenatum adverſus Bucaulum; (hoc ficto vocabulo adverſarium perſtringit;) de Vulturno, (eodem, credo, qui Bucaulus;) adverſus omaſomaſtiga; de loco ſuo natali; de horto Vulturni; ad Thomam Hopæum, Advocatum regium; de Jacobo Bardio & Gualtero Hayo, Cauſſidicis; nobiliſſimo inſuper viro, D. Joanni Scoto, Scotomarvatio; ad illuſtrem Comitem de Pembroke de ſuo in aulam reditu; ad Jacobum Jonſtonum, Baronem de Jonſton, &c.

Ad

Ad Davidem Wedderburnum, Scholæ Aberdonenſis Rectorem, amicum veterem,

Arcturus Jonſtonus, M. D.

CErnis ut obrepens mihi, Wedderburne, ſenecta
Sparſerit indignas per caput omne nives.
Debile fit corpus, pulſis melioribus annis,
Nec vigor ingenii, qui fuit antè, mihi eſt.
Tempore mutato, mores mutantur & ipſi,
Nec capior ſtudiis, quæ placuêre priùs.
Antè leves riſus & erant jocularia cordi;
Nunc me moroſum difficilemque vides.
Prona fit in rixas mens, & proclivis in iras,
Et ſenio pejor cura ſenilis edit.
His ego, quæ poſſum, quæro medicamina morbis,
Et mala, quà fas eſt, pellere nitor ope.
Sæpè quod exegi pridem, juvenile revolvo
Tempus, & in mentem tu mihi ſæpè redis.
Par, memini, cùm noſter amor ſe prodidit, ætas,
Par genius nobis, ingeniumque fuit.
Unus & ardor erat, Phœbi conſcendere collem,
Inque jugo ſummo ſiſtere poſſe pedem.
Te prior, infirmis ego nixus in ardua pennis,
Monſtrabam, memini, quâ ſequerêre, viam.
Nunc comes urgebam, blandis hortatibus inſtans,
Et feſtinanti non leve calcar eram.
Nunc animos rigidi ſumebam more magiſtri,
Et caſtigabam voce ſubinde moras.
Haud aliter nati, generoſo Dædalus auſu,
Aſtra per & cœli nubila rexit iter.
Sed mea Dædaleo pejor ſors improba fato,
Icariâ potior ſors tua ſorte fuit.
In ſibi quæſitas penetravit Dædalus oras,
Me juga, quæ petii, Phœbus adire vetat.
Icarus hauſtus aquâ eſt; tu, quæ me ponè petebas,
Montis Apollinei culmina ſumma tenes.
Nobilis ingenii raptus felicibus alis,
Liquiſti veterem poſt tua terga ducem.

Sic

Sic Maro, ſic Flaccus, ſic vicit Naſo magiſtrum,
Quique canit Grajo Pergama capta dolo.
Hic quoque, qui magno dextram formavit Apelli,
Victus Apellæâ creditur ipſe manu.
Clarus erat, quiſquis docuit mare findere Typhin,
Et verſare leves Antomedonta rotas.
Debita ſed poſtquam venit tironibus ætas,
Diſcipulo minor eſt factus uterque ſuo.
Non tamen impatiens indulſi triſtibus iris,
Nec mihi te dolui præripuiſſe decus.
Abſit! ut invideat juvenis Phocæus Oreſti,
Perithoum, Theſeu, vel tuus urat honos.
Abſit! ut Euryali rebus macreſcat opimis
Niſus, & offendant Caſtora fratris opes.
Livor iners animis non eſt cœleſtibus aptus;
Nec fuit hâc noſter labe notatus amor.
Hunc, procul Idalio, teneris in mentibus ipſe
Accendit radiis Phœbus Apollo ſuis.
Non procul hinc mons eſt, feſſos quem ponè jugales
Solvit in heſperiâ Phœbus anhelus aquâ.
Tectus erat quondam ſilvis, nunc præter ericæ
Gramina, nil ſcopulos inter & antra vides.
Hujus in aërio lætantes vertice, Phœbo
Sæpè litabamus, Pierioque gregi.
Hunc ego Parnaſſum, juga tu Pimplæa vocabas,
Delphica nunc rupes, nunc Heliconis erat.
Sæpè petebamus vicinos collibus amnes,
Qui tibi natali non procul urbe fluunt.
Hic Aganippæam, dabat hic Permeſſidis undam,
Et quæcumque ſonans flumina Phocis habet.
Phœbus ubique fuit, ſpecus omnis Apollinis antrum,
Quælibet Aſcræum præbuit umbra nemus.
Lux ubi vel Phœbi micuit, vel ſidera cœli,
Sidera cum Phœbo dicere luſus erat.
Vere novo quoties pratorum mille colores,
Ut potuit, numeris pinxit uterque ſuis.
Exciti quoties volucrum modulamine, plectra
Sumſimus, alternos reddidimuſque ſonos.
Omnia ſubdebant ſtimulos juvenilibus auſis,
Quidlibet auſuris omnia calcar erant.
His ego deliciis tecum, ſine fæce, fruebar,
Unaque præbebat gaudia mille dies.

Sed

Sed brevis, ah! nimium fuit & fugitiva voluptas;
Sic roſa vaneſcit, ſic abit umbra levis.
Hæc ſacra dum patriis tecum colo lætus in oris,
Te ſimul & patriam linquere cogor humum.
Quas ego non terras, quæ non vagus æquora preſſi,
Hæc licet ingenio ſint minùs apta meo?
Bis mihi trajectæ vicinæ nubibus Alpes:
Tybris, & Eridani pota bis unda mihi eſt.
Præbuit hoſpitium bis binis Gallia luſtris:
Conjugis hæc titulum terra patriſque dedit.
Me Geta, me Batavus, me vidit Cimber & Anglus;
Et quæ Teutonico terra ſub axe riget.
Non tot Dulichius pater eſt erroribus actus,
Dum peteret patrios per vada ſæva lares.
Quinta Caledoniæ me rurſus olympias oras
Reddidit effectum, diſſimilemque mei.
Numina jam decies & ter fecêre parentem:
Pignora ſex ſuperant, cetera turba fuit.
Bis mihi quæſivi, nec ab una gente, maritam:
Bis conjunx, bis jam me reor eſſe ſenem.
Te quoque, qui patriæ voviſti tempora vitæ,
In patriæ video conſenuiſſe ſinu.
Scilicet hæc homines ſors urget, ut omnibus æquè
Obrepat tacito curva ſenecta pede.
Differri mors ipſa poteſt, & tetrica ſæpè
Suſtinet armatam Parca coacta manum.
Hei mihi! tempus edax nullo medicamine, nullâ
Arte retardari dura ſenecta poteſt.
Nec tamen ætati deſunt ſolatia feræ,
Quæque ſenes patimur, ſunt mala juncta bonis:
Quam queror, ætatem confer juvenilibus annis,
Nil juvenis, quo ſe præ ſene jactet, habet.
Non legitur ſanctus juvenum de flore ſenatus;
Turba ſenatorum nil niſi turba ſenum eſt.
Mos & erat capiti juvenes aſſurgere cano,
Illius & leges imperiumque pati.
Ut tuba concinuit, juvenes coguntur in hoſtem
Ducere; fas ſenibus delituiſſe domi.
Bella gerunt juvenes, & gaudent hoſte peremto:
Bella ſenes memorant, & memorare juvat.
Si qua puella petit, juveni quod turpe negare eſt,
Hos excuſabunt tempora tecta nive.

Vina

Vina nocent juveni: mores imitata Catonis
Se reficit ſumto ſicca ſenecta mero.
Si vel parca manus juveni, vel tetrica frons eſt,
Lingua vel effrenis, nemo decere putat:
Turpe ſeni non eſt lucrum captare, nec uti
Moribus auſteris, nec ſine fine loqui.
Si quid in his culpæ eſt, crimen transfertur in annos;
Et, ſene laudato, ſola ſenecta rea eſt.
His ego me ſolor, capulo vicinus, ut arte
Sit levius, quod ſors ferre coëgit, onus.
Aptiùs at noſtræ, tu Wedderburne, ſenectæ
Conſulis, &, quæ fert dura ſenecta, malis.
Dum mihi te fiſto, dum, quos ſimul egimus annos,
Mente puto, mutor, nec mihi ſum quod eram.
Æſona carminibus mutavit Colchis & herbis;
Hâc juvenem tremulo de ſene fecit ope.
Colchidis in morem, veteri tu reddis amico,
Qui pede veloci præteriêre, dies.
Tempora dum recolo tecum ſimul acta juventæ,
Me mihi reſtituens, ipſa juventa redit.
Colchida tu vincis: longo molimine Colchis
Quod ſemel auſa fuit, tu mihi ſæpè facis.

ARCTURO JONSTONO M. D.

Reſpondet David Wedderburnus.

HAs ego cerno nives, cerno, Jonſtone, querorque,
Et nivis, heu! lacrimæ more liquentis eunt:
Dumque retrò ſpecto melioris tempora vitæ,
Quæque ferunt anni gaudia prima rudes,
Deficio, quærenſque tuis ſolamina curis
Implicor, an fileam neſcius, anne loquar.
Heu! ubi, quæ nobis quondam florentibus annis,
Otia? veris ubi blandior aura novi?
Vivida nunc ubi vis animi? quam ſerior ætas
Uſque tibi reparat, deterit uſque mihi.
Sed neque cauſſa fugit; nam qui miſerande labores
Siſyphe te, Tityum quæ laniena premit:
Quæ rota, qui lacerant angues Ixiona torti,
Progeniem Danai quæ manet urna feram?

Pars

Pars quota pœnarum quas pendo, Palæmonis antro
Luſtra tot incluſus, dum fero mille neces?
Quas qui ſcire velit, Libyco quot in æquore fluctus;
Ignea quot niteant ſidera nocte, petat.
Scilicet hinc, ſi quas melior natura benignè
Contulerat, dotes deperiêre meæ.
Adſpice Carpathium qui findit puppibus æquor,
Adſpice qui duri prælia Martis amat:
Quas ſentina vomit, circumfert navita fœces:
Trux bellatorem Mars docet eſſe trucem.
Omne abit in mores ſtudium, mihi crede, ſequaſque,
Artificis vitium ſemper & artis idem.
Inde mali mihi cauſſa mei: nam pectora fingo
Dum tenera, & pueros erudiiſſe ſat eſt;
Nec mihi conceſſum pro ſpe juga viſere Phœbi,
Nec mihi fortunæ, qui fuit antè, tenor:
Fortunæ! ſed quid nequidquam ingrata revolvo?
Carmine quid moveo te camarina meo?
Hæc fateor, liceatque mihi ſine labe fateri,
Cum foveat ſortis ſemina quiſque ſuæ.
Adde, quòd Aonidas ſemper quid inane putavi,
Nec placuit genio pulvis & umbra meo.
Quòd ſi parva mihi fas eſt componere magnis,
Sic Laertiades tractus in arma fuit.
Ipſe dolo falſus falſum ſic traxit Achillem
Aulida, ut Inachias duceret inde rates.
Par genio fortuna tuo: tibi, tangere famæ
Dum properas portus, æſtus & aura favent.
Ecce tibi proavûm generoſo ſanguine dignum
Ingenium, primus nobilitatis honos!
Ecce tuis elegis, dum tendis ad ardua Pindi
Culmina, Naſonis lecta corona manu!
Purpureus nitet hîc amarantus: lilia rident,
Cumque apio violæ, cum violiſque roſæ.
Hîc, Buchanane! tuæ defenſæ præmia muſæ
Quercus, & hinc triplex laurus amœna comæ.
Ne quid enim deſit, quò vertice ſidera tangat,
Ævi & miraclis adnumerêre tui;
Architas quidquid, quidquid Podalirius uſus,
Et ſophiæ quidquid circulus omnis habet:
Linceò id omne tuo rimatus lumine, rarâ
Naturæ penitos excutis arte ſinus.

Hæc ego præſenſi jam tum, cum remige Phœbo
Exiguâ legeres littora ſacra rate.
Præſenſi; nec avis præpes mihi penna, nec exta,
Sed ratio augurium judiciumque fuit.
Tum (memini & meminiſſe juvat) nunc aurea tentas
Fila lyræ, Aoniis ſollicitanda modis:
Nunc annos ſupra penetras in caſtra Lycæi,
Ponis & à comitum rapta tropæa globo.
Meque ſubinde vocas, propero dum lentiùs, atque
Cogor ab adverſis vela referre notis.
Haud ſecus accipitris pedibus prædatur aduncis
Pullus, adhuc niſus dum docet aura leves.
Haud ſecus in ſilvis errare leuniculus audet,
Dente petiturus rhinocerota novo.
Primaque luxurians in præſia taurus arenam
Spargit, & impoſitas jactat in aſtra pilas.
Indolis hæc animos ſociarunt vincula noſtros,
Hic nos nativo fœdere junxit amor:
Qui non ambiguæ metuit diſcrimina ſortis,
Temporis aut varias inſtabileſque vices.
Namque quater denis robur jam ſumſit ab annis,
Perque ſuos cœpit provehiturque gradus.
Ornus adhuc fibris Erimanthi in culmine nixa,
Vel modicis cedit flatibus eure tuis:
Latius hinc tenues paullatim fundere ramos
Gaudet, & æſtivis ſe decorare comis:
Aërio at tandem jactans ſe vertice, cauros
Spernit, & irati fulmen ab arce Jovis.
Noſter talis amor; quem non (pia numina teſtor)
Ulla procelloſo turbine vincit hiems.
Abſit! ut Æacides palmam vel fidus Achates
Hanc tibi præripiat, præripiatve mihi.
Huic licet Æneas, illi licet adforet, armis
Quem ſub inaſſuetis procubuiſſe ferunt.
Euryalus, Damon, ſuaviſſima vatibus olim
Nomina, ſed quoties nomina ficta legas?
Integra noſtra fides: hanc nos caudore mereri,
Vita, vel invidiâ teſte, peracta probet.
Inde dolor, qui me tantùm non perdidit, orbis
Dum procul à patriâ te peregrinus habet.
Eſt locus adductis curvos ſinuatus in arcus
Cornibus, oceanus pulſat utrumque latus:

Intus

Intus arenosum decorant duo flumina littus,
Nympharumque rudi pumice tecta domus,
Hîc quoties gemui? quàm fletibus ora rigavi?
Implerent zephyri cùm tibi vela leves:
Vela tibi implerent zephyri, mihi pectora luctus,
Ossa tremor, lacrimæ lumina mœsta piæ.
Tum mihi Demophoon visus dare carbasa ventis,
Tum mihi Jonstonus Protesilaus erat.
Quàque sequi licuit spectans tua lintea, Phyllis,
Hæmonis & sensu Laodameia fui.
Non tamen hic nostrum sensus saturavit amorem,
Nec dolor hic nostri meta doloris erat.
Tristis in hac vacua quoties spatiabar arena,
Tu mihi tristitiæ semper origo novæ.
Tecum totus ego, te dum desidero, dumque
Te veniente die, te fugiente cano.
Haud aliter genitrix tua te Proserpina campis
Flevit in Ennæis, finitimisque jugis.
Hebrides haud aliter nymphæ, Rhodopeius Orpheus
Dum dolet Euridicen nocte dieque suam.
Et nunc Halcyonas desertas adloquor, antra
Nunc peto, Gramplaci tesquaque sola sinus.
Ah! quoties dixi, pereat malè Tiphys & Argo,
Quisquis & hoc primus gurgite fecit iter?
Ah! quoties, Arabum quid me, mea prima voluptas!
Te sine divitiæ deliciæve juvent?
Sed benè consuluit nostro Deus ille dolori,
In patria tandem quo duce lætus ovas.
Sic musæ voluêre, tuæ tutela senectæ,
Quæ felice diu progrediatur ave.
Simque tibi Colchis, renovans solatia vitæ,
Et mihi sit Liber, sit Cytherea comes.
Ille graves abigat curas: det & altera, pulcra
Te tua ceu juvenem Cynthia semper amet.
Si quid ego interea moduler, tu præcine: Phœbus
Unus semper eras tu mihi, semper eris.

Sub obitum viri clariſſimi & cariſſimi,

D. ARCTURI JONSTONI, Medici Regii, & Poëtarum ſui ſeculi facilè principis,

Davidis Wedderburni SUSPIRIA.

PLangito, Melpomene! Jonſtoni funera, clarum
Cujus ab Arcturo ſidere nomen habes.
Plangito Naſonis redivivi funera, magni
Sola Buchanani marmore digna tegi.
Scotia mœſta dole, tanti viduata ſepulcro
Vatis: is Angligenis contigit altus honos.
Namque Machaonias artes dum tractat in aula,
Proh dolor! externo tradidit oſſa ſolo.
Scotia mœſta dolè: Jonſtono nemo ſuperſtes,
Nemo Buchanani quo tueare decus.
Ille Buchananum ſubvexit præpete pennâ,
Quà roſeus gemina Phœbus ab arce nitet.
Eja tamen gaude! Jonſtonus carmine vivit,
Carmine Jonſtono fama perennis erit.
Interea, Jonſtone! animæ pars altera noſtræ,
Te Wedderburni flens elegia gemit.
Quin (& id ex merito) dum ſpiritus hos alet artus,
Te Wedderburni flens elegia gemet.
Namque novem quamvis tecum periêre ſorores,
Ille tamen carmen flebile fundet amor,
Qui mihi par tecum per quina decennia; melle
Dulcior, imò ipſo nectare & ambroſiâ.

ALIUD.

Jonſtono ingenium natura potentior arte;
Artes, Phœbe! tuas provida cura dabat.
Ingenii ſpecta vires, ſpectentur & artes;
Quem dabis ingenio? quem dabis arte parem?

ALIUD.

Seria Jonſtonus ſi quando capeſſeret, alter
Dexteritate fuit judicioque Cato.
Cum placuêre ſales, fuit idem Lælius alter;
Gratia tanta animi, tantus in ore lepos.

ALIUD.

ALIUD.

Priſca magiſtratus renovabat Roma quotannis,
Illuſtrem at vatem ſecula vix pariunt:
Quanta Buchanani? Jonſtoni gloria quanta?
Neſtoris his geminos vix tria ſecla dabunt.

ALIUD.

Gallia Melvinum, Buchananum Scotia cepit,
Anglia Jonſtonum, Mantua Crichtonium:
Scilicet, heroum claris decorare ſepulcris
Orbem omnem, laus eſt propria Scotigenûm.

ALIUD.

Hos medico triſtes gemitus impendo, ſed, heu!
Fruſtra; nec medicis parcere fata ſolent.
Exemplo Cargillus erat, Jonſtonus uterque,
Gordonius juvenis, Liddeliuſque ſenex.
Ut medici morbos tollunt, ita tollit & ipſos
Mors medicos. At tu vive, Dunæe! diu:
Namque urbi patriæ tu poſt tot funera ſolus
Vivus Ariſtoteles, vivus es Hippocrates.

Hæc Elegia expreſſa eſt juxta exemplar Aberdoniæ impreſſum per Edwardum Rabanum, redivivum, 1641.

Doctorum virorum de Arcturo Jonſtono, *Scoto, ejuſque ſcriptis teſtimonia.*

Tho. Dempſterus Hiſt. Eccleſiaſt. Gentis Scotorum lib. ix. *p.* 393.

ARcturus Jonſtonus familiâ Kaskibenâ, præclaro ingenio adoleſcens, Doctoralem in medicina apicem Patavii cum laude adeptus. Scripſit verſu elegantiſſimo elegiaco Pſalmorum verſionem, Epigrammata varia, lib. 1. Poemata Latina, lib. 1. & alia. In Scotiam reverſus, ut puto, ſuos ornat.

Sir

Sir Thomas Urquhart *of* Cromarty, *in his* ΕΚΣΚΥΒΑΛΑΤΡΟΝ; *or the Diſcovery of a moſt excellent Jewel*, &c. *p.* 200.

Several others in that Nation are, and have been of late very good Latin Poets; amongſt which I muſt needs commemorate Doctor *Arthur Johnſton*, a Phyſician by Profeſſion, yet ſuch a one as had been ſo ſweetly imbued by the Springs of *Helicon*, that before he was full three and twenty Years of Age, he was laureated Poet at *Paris*, and that moſt deſervedly, as may appear by his *Parerga*, his *Paraphraſtick Tranſlation of the Pſalms* (wherein if he excell not, I am ſure, he equaleth *Buchanan*) and ſome other Treatiſes by name to me unknown.

Edward Leigh's Felix conſortium, *or a fit Conjuncture of Learning and Religion*, lib. iv. cap. 6. p. 232.

Arthur Johnſton a *Scotch* Doctor of Phyſick; before he was full twenty three Years of Age, he was laureated Poet at *Paris*. His *Paraphraſtick Tranſlation of the Pſalms* is commended.

Edward Phillip's Theatrum Poetarum; *or a compleat Collection of the Lives of the antient and modern Poets, part* 2. *p.* 13.

Arcturus Jonſtonus an eminent *Scotch* Phyſician, who in his younger Years had the Reputation of ſo excellent a Poet, that he was laureated at *Paris* before he had fully arrived to the 23d Year of his Age: Of his Poetical Works there are particularly collected together, his Epigrams, his *Parerga*, his *Muſæ Aulicæ*, his *Reges Scoti*, and his *Heroes Scoti*. [Theſe two laſt are not *Arthur*, but *John Johnſton*'s.] His *Paraphraſtical Tranſlation of David's Pſalms* is alſo remembred with particular Commendation.

Authors of the Univerſal Hiſtory, *Vol.* 1. *p.* 710. *in a marginal Note marked* (l).

This [the ſtrong and lofty Expreſſions and Figures] is one of the Reaſons why the *Pſalms*, the Book of *Job*, and ſome other Poetick Pieces of Holy Writ, loſe

loſe ſo much of their Beauty and Energy in all Verſions. However, there is this Difference between theſe two Books, that the latter cannot bear a literal Tranſlation; whereas thoſe of the former, which have followed the Original cloſeſt, have ſucceeded beſt; ſuch are, in particular, the Latin ones of *Caſtalio*, *Buchanan* and *Johnſton*. This laſt is indeed the moſt literal, and wonderfully diſplays the Elegancy of the *Hebrew*. It has but one Fault, namely, its running all along in *Hexameters* and *Pentameters*, which takes off a great deal of its Majeſty; whereas had it been all in *Hexameters*, there would not have been a better (as there is not indeed a more exact one in all other reſpects extant) that we know of.

Applauſus almæ Univerſitatis & Gymnaſii Patavini, cum D. Arcturus Jonſtonus Aberdonenſis, Scotus, Medicinæ Doctor publicè crearetur ad III. Eid. Junii, anno 1610.

Cum Thetis Æacidæ ceſſit dea cærula forti,
Munera certatim contribuêre dei:
Cum dea Jonſtono dat ſe medicina marito,
Feſta cohors cœli, largaque fundit opes.
Phillirides auſpex ut iis, par his Cremoninus;
Nec minor hæc Thetide eſt, nec vir hic Æacide.
Conjugio ex iſto fatus eſt mortalis Achilles,
Hinc opera æterna, ſed medicina dabit.
Barbitos Hæmoniâ celebravit priſtina linguâ,
Septenis muſæ reddere docta novæ:
Reddit & urbs Patavi, majori inſignia alumno
Neſcio quando dedi, nec ſcio quando dabo.

GEORGIUS SIBBALDUS Rankilorius M. D.

CASPARIS BARLÆI in Poemata clariſſimi viri Arcturi Jonſtoni *Carmen, Deliciis Poetarum Scotorum præfixum.*

Gallia Jonſtono celebris fuit. Itur in Arcton,
Grandiaque Arcturi nomina Scotus amat.
Creſcit virtuti precium. Sibi vindicat illum,
Et Tameſis tantum poſſidet aula virum.

Clarior

Clariot invictis Vates ſub Regibus audit,
Aoniaſque levat purpura crebra deas.
Nunc CAROLO mens iſta vacat; Regiſque ſaluti
Dum ſtudet, incolumi Principe quiſque valet.
Sceptra canit ſanatque ſimul. Cum fata minantur,
Ille diem Regi protrahit, ille decus.
Officium medicina facit Phœbuſque. Nec oſtrum
Funus ab ingrata poſteritate timet.
Vita duplex Regi conceditur. Una medentis,
Altera, vel CAROLO judice, vatis erit.

C. BARLÆUS.

ISAACI GRUTERI Carmen in Latinam Pſalmorum verſionem, auctore Arcturo Jonſtono *Scoto, Middlburgenſi Jonſtoni Operum omnium Editioni præfixum.*

Incola qui mundi ſentis contagia terræ,
Cujus in immenſum reptile virus abit;
Si necdum expulſus fugit de pectore ſenſus,
Ætheraque agnoſcit mens vitiata ſuum:
Splendida nugacis deliria projice ſecli,
Et quæ per chartas ſeminat orbis amor:
Ad numeros & plectra redi, Regemque ſecutus
Fatidicum cœlo fer tua vota comes.
Hic ſociat pariles pietas & purpura curas,
Sideraque auguſto ſub duce cultus obit.
Auxilii ſeu plorat inops, ſeu victor ab hoſte
Vocali geminat carmina feſta cheli.
Tu quoque luctantis ſtimulos & ſemina carnis,
Et quas delicias devia ſpondet humus,
Cautus ab illuſtri diſcas obtundere vate:
Expugnat ſanctus cœlica templa labor.
Priſca ſacerdotem magnum ſi vidit Idume,
Si Solyme orantis ſentiit alma ſonos,
Rara Dei benefacta tulit: non infima laus eſt
Numen adoranti complacuiſſe viro.
Nunc Latii cultus non indignata decoros,
Romano nobis geſtiit ore loqui.
Sit diviſa ſuis vertendi gloria terris,
Dum vario interpres militat axe ſacer:
Arrogat eximias VICTRIX ſibi SCOTIA laudes,
SCOTIA Phœbæis imperioſa jugis.

Nunc

Emicuit ſolio majeſtas digna Prophetæ,
Sparſit Apollineas cum Buchananus opes.
Nunc agili Jonſton urget veſtigia plectro,
Et vegeta ſcriptor cum brevitate placet.
Confer priſca novis: parilis laus, munera ſceptro
Et cathedrâ vatis digna tuliſſe, fuit.

ISAACUS GRUTERUS.

Ad clariſſimum ARCTURUM JONSTONUM, *Medicinæ Doctorem, & Poëtam inſignem, Andreæ Ramſæi V. D. apud Edinburgenſes Miniſtri, ac S. S. T. in Academia Edinburgena Profeſſoris, Carmen* *.

LÆtor intoſſi ingenii arvis etutas
Æruginoſas laminas,
Coxit favillâ quas tepente & languidâ
Thalia noſtri pectoris;
Examen acre ferre tanti judicis,
Limam ſeveram carminis.
Jonſtone Phœbe! lucis ignes exſere,
Purga, repurga fœcibus.
Nam ex officina prodeant modo tua,
Tuâ notatæ imagine,
Petant ſororum vel ſacratum erarium,
Ut uſui ſint poſteris.

* *Reverendi hujus Paſtoris filius vir ampliſſimus, D. Andreas Ramſæus de Abbotſhall, Eques, per duodecim aut quatuordecim annorum ſpatium continuum urbis Edinburgi præfectus fuit, tandemque in Curiam Juridicam Judex cooptatus. Hujus filiam uxorem duxit vir honorabilis, pietate juxta ac doctrina ſpectabilis, patruus meus, D. Joannes Lauder de Fountainhall, Eques, haud ita pridem exſtinctus, in eadem ſuprema Regni Curia, tum in Civilibus, tum in Criminalibus, Senator, dum viveret, prudentiſſimus, optimus, incorruptiſſimus. Ejus ex Filio Nepotem D. Andream, Fortunarum Heredem, Gentis antiquiſſimæ Principem hodie agnoſcimus, humanitate, probitate, literis ſuſpiciendum, quem præſenti huic inſtituto faventem eum primis experti ſumus,*

Selecta quædam ARCTURI JONSTONI *poëmata, vitam ejus illuſtrantia, hic adjicere haud ab re viſum eſt.*

Nobiliſſimo & ampliſſimo Viro, D. JOANNI SCOTO, Scototarvatio, Equiti, Cancellariæ Scotiæ Directori, Conſiliario Regio, amico ſuo optimo, cum Parerga illi dedicaret *.

SCOTE! Caledonii decus immortale Senatûs,
Conſule quo poterat Roma vetuſta regi.
Scote! ſuas à quo Pallas non abnuat artes,
Virtutem Virtus diſcere, jura Themis.
Scote! cohors quem ſacra patrem, Phœbuſque magiſtrum,
Quem Mecænatem Caſtalis unda vocet.
Scote! mori qui noſtra vetas, cui ſerviet uni
Ingenii nobis quidquid & artis ineſt.
Hæc tibi Jonſtonus magni leve pignus amoris
Nuncupat, innocuis ludicra texta jocis.
Dum patriæ premitur curis, dum nubila mens eſt,
Materiem risûs, ſi legis, iſta dabunt.
Accipe; nec plauſum populi, nec præmia quæro;
Sat vates, veniam ſi mereantur, habent.
VIRTUS NOS ORNAT.

Ad

* *Hic ampliſſimus vir non à Jonſtono ſolum laudatus exſtitit, verum ab infinitis ferè aliis: quod teſtatur doctiſſimorum ſui ſeculi virorum, meritiſſimas munificentiſſimi hujus ac planè incomparabilis Literatorum ἐυεργέτου laudes plenis buccis certatim concelebrantium, epiſtolarum faſciculus, in libro MS. penes Bibliothecam Juridicam Edinburgenſem. Inter ceteros & auctoris noſtri eidem inſcripta dedicatio, autographa quidem illa, Deliciis Poëtarum Scotorum prioris ſeculi illuſtrium præfixa, uti primæ ſtella magnitudinis fulgore ſuo aliis præcellens, conſpicitur; una cum ejuſdem ad eumdem novem Muſarum elogiis: qui liber, quò ejus ſcilicet viri, æternâ memoriâ digniſſimi, in aprico ponantur virtutes, lucem profectò publicam meretur.*

Ad illuſtrem LADERDELIÆ *Comitem, cum Epigrammata illi dedicaret* *.

NOn mihi ſunt, rubro quæ mittit ab æquore Tethys,
Vel niger viridi quæ legit Indus aquâ.
Hæc tibi quæ Phœbi ſacris è fontibus hauſi,
Dona, Laderdeli! quantulacunque fero.
Accipe Pierias, &, ſi vacat, inſpice gerras;
Hora ſat eſt, oculo ſi properante legis.
Alitis armigeri proles generoſa putatur,
Si qua poteſt Phœbi nobile ferre jubar,
Tu quoque Phœbeos, quo par eſt lumine, fœtus
Adſpiciens, generis da documenta tui.
Heroo ſic te prognatum ſanguine, magno
Nec Metellano degenerâſſe probes.

ARCT. JONSTONUS.

De loco ſuo natali.

ÆMula Theſſalicis en hîc Jonſtonia Tempe,
Hoſpes! hyperboreo fuſa ſub axe vides.
Mille per ambages nitidis argenteus undis,
Hîc trepidat lætos Urius inter agros.
Explicat hic ſeras ingens Bennachius umbras,
Nox ubi libratur lance dieſque pari.
Gemmifer eſt amnis, radiat mons ipſe lapillis,
Queis nihil Eous purius orbis habet.
Hîc pandit natura ſinum, nativaque ſurgens
Purpura felicem ſub pede ditat humum.
Aëra per liquidum volucres, in flumine piſces,
Adſpicis in pratis luxuriare pecus.
Hîc ſeges eſt, hîc poma rubent, onerantur ariſtis
Arva, ſuas ægrè ſuſtinet arbor opes.

 Propter

* *Hoc Comite, ejuſque uxore Iſabellâ Setonâ, Comitis Fermelinodunenſis filiâ, natus eſt Joannes Metellanus, illuſtriſſimus poſtea Laderdeliæ Dux, maximo vir ingenio, ſummiſque, ſereniſſimo Rege Carolo ſecundo Britannis imperitante, honoribus perfunctus.*

Propter aquas arx eſt, ipſi contermina cœlo,
Auctoris menti non tamen æqua ſui.
Imperat hæc arvis & vectigalibus undis,
Et famulâ ſtadiis diſtat ab urbe tribus.
Hæc mihi terra parens: gens has Jonſtonia lymphas,
Arvaque per centum miſſa tuetur avos.
Clara Maronæis evaſit Mantua cunis,
Me mea natalis nobilitabit humus.

KINTORIUM.

JUgera Kintorii ſi ſpectes, uber Eleuſis,
Fertilis & dici Trinacris ora nequit.
Dona, Caledonios inter pulcerrimus amnes,
Hoc rigat, & pingui ditior unda ſolo eſt.
Plebs legit hîc baccas, quales nec dives Hydaſpes,
Dives Erythræi nec parit unda freti.
Unio quem Pharîo Cleopatræ faſtus aceto
Diluit, hinc Lagi miſſus in arva fuit.
Hîc locus hippodromi eſt, populo ſpectante, quotannis
Hîc alacres pubes Scotica verſat equos.
Hic fugit, hic ſequitur, victori præmia cedunt,
Quæ palmas ſuperant, Elidis ora! tuas.
Hîc ego ſum, memini, Muſarum factus alumnus,
Et tiro didici verba Latina loqui.
Carmine Mæonio veteres tollantur Athenæ,
Urbs hæc verſiculis eſt celebranda meis.

INNERURIA.

URbs dilecta mihi! te mollibus alluit undis
Urius, antiquum nomen & inde trahis.
Te quoque Dona rigat criſtallo purior, illum
Mox Gariochæis Urius auget aquis.
Cur tua Mygdoniis non ſurgunt tecta columnis,
Nec radiat titulis Pyramis ulla tuis?
Cur humiles ſorbis cinguntur vilibus ædes,
Sacra quibus potiùs debita laurus erat?
Antè triumphatus te juxta Bruſſius hoſtem
Trivit, & exillo victor ubique fuit.
Nec procul hinc populos Steuarti dextra rebelles
Fregit, & Harlæam ſanguine merſit humum.

Te jactare mihi fas eſt: quæ divite glebâ
Te beat, eſt cunis proxima terra meis.
Te prope vitales puer hauſi luminis auras,
Te prope jam canis obſitus opto mori.

NOBILES quidam SCOTI ‡.

Cancellarius.

SUb Jove liquit humum, ſpreto Themis aurea cœlo,
Nunc tecum in terris, Haye! tribunal habet.

Mortonius, Theſaurarius.

Si virtus vel forma daret, vel ſanguis honores,
Mortonio major nullus in orbe foret.

Stratherniæ, Concilii Præſes.

Ha tibi ſunt, Grami! dotes, mens neſcia vinci,
Libera frons, pectus nobile, promta manus.

Hadintoniæ, Cuſtos Sigilli ſecreti.

Plus nulli fortuna dedit de gente Britannâ,
Fortunam nemo tam reverenter habet.

Lenoxius.

Eſt pater & patruus, procerum par nobile, magni
Sunt tibi, Lenoxi! quos imiteris avi.

Hamiltonius.

Celta dedit proavis titulos, tibi Teutonis ora
Mille, triumphato Cæſare, ſerta dabit.

Huntlæus.

Ut ſcopulus ſtans mole ſuâ, cœlique, mariſque
Deſpicit Huntlæi mens generoſa minas.

Anguſius.

Si velit Anguſi victuras dicere laudes,
Duglaſiis ortum Scotia dicat avis.

Argathelius.

Cum, Carnbelle! domi cenſus ſine fine, decuſque,
Sit tibi, cur titulos quæris opeſque foris?

Ex-

‡ *Benevolum lectorem hîc monere viſum eſt hoſce Nobiles Scotos, quos honorificè ſingulis diſtichis Jonſtonus compellat, ſanctioris Caroli Regis in Scotia Concilii Dominos fuiſſe, coram quibus auctor, inſons licet, reus agebatur, nequis fortè cæteros Scoticæ Nobilitatis Heroes dolo malo à Jonſtono prætermiſſos exiſtimare animum inducat ſuum.*

Errolius.

Cui pater Hayorum princeps, Duglaſſia mater,
Erroli! virtus eſt tibi nata domi.

Mareſcallus.

Virtutem ſeu pacis amas, ſeu munia belli,
Fortunam à proavis diſcere, Kethe! potes.

Rothuſius.

Sanguine majores tibi quem peperêre, mereris
Ingenii & morum nobilitate locum.

Marrius.

Inter Areskinus proceres nitet, aurea flammas
Inter ut æthereas luna micare ſolet.

Moravius.

Nil plus Moravio meruit Tirynthius Heros,
Ille feras peſtes, hic quoque monſtra domat.

Wintonius.

Illuſtrem tu mille domum virtutibus ornas,
Hæc proceres regno mille, Setone! dedit.

Laderdelius.

Priſca novis confer: nil Martia Roma Metello,
Nil Metellano Scotia majus habet.

Lithcbovius.

Cura Leviſtonio ceſſit maris; an quia poſcit
Ille mares animos, conſiliumque labor?

Kingornius.

Antiqui mores, domus eſt antiqua Leonis,
Digna domus domino, dignus & ille domo eſt.

Buchanius.

Arva dedit Scoto Rex Scotus, Belga dat aurum,
Eſtque triumphatus ſerta daturus Iber.

Comes Sterlini.

Confer Alexandros: Macedo victricibus armis
Magnus erat, Scotus carmine, major uter?

Forbeſius.

Si ſua donarent pietati præmia Divi,
Forbeſidum princeps! par tibi nemo foret.

Lovetius.

Natus hyperboreos inter Fraſerius Heros,
E ſpinis docuit ſurgere poſſe roſam.

Carnegius.

Nec numero clauduntur opes, nec limite rura,
Carnegi! ſervat mens tamen alta modum.

Er-

Fr. Hayus, Errolii F.

Naſcentem placido te vidit lumine Pallas,
Mens apta eſt ſtudiis, prurit in arma manus.

Jac. Leo, Kingornii F.

Deſpicis Aonidum quidquid non protulit hortus,
Aonidum quidquid protulit hortus habes.

EPISCOPI SCOTI.

Santandreanus.

SPotſwodus ſociis, ſeu munia Præſulis implet,
Sive Senatoris, præripit omne decus.

Glaſcuenſis.

Eſt coma, Laë! tibi cygnæis æmula plumis,
Pectora ſunt multò candidiora comis.

Deucaledonius.

Quas ſibi Lindſæus ſolâ virtute paravit,
Virtuti famulas & ſibi fecit opes.

Aberdonenſis.

Enthea Forbeſio mens eſt, vox conſona menti,
Vita comes vocis, quod jubet ipſe facit.

Moravienſis.

Inſtruit exemplo populum Guthræus & ore:
Pellicit hoc, illo ſaxea corda trahit.

Gallovidienſis.

Lammius aſtrorum ſpoliatus lumine, lucem
Quâ ſe, quâque Deum conſpicit, intus habet.

Roſſenſis.

Arguit erroris vatem Lindſæus, in aulis
Qui negat Heroum vivere poſſe pios.

Brechinenſis.

Nec tibi Presbyteri minuit, Lindſæe! labores
Infula, nec mores mutat honoris apex.

Dumblanenſis.

Hoc Ballandinus debebat tempore naſci,
Quo pietas Themidi juncta regebat humum.

Cathaneſius.

Abrenethæus oves verbis cum paſcat, & herbis,
Eſt duplex gemino dignus honore labor.

Liſmorenſis.

Quot pater Amphion, & quot Rodopeïus Orpheus,
Melliſluo Bodius tot trahit ore feras.

Sodo-

Sodorenſis.

Ignea Leſlæo mens eſt; vox fulminis inſtar,
Doctaque cœleſtis pectora flammat amor.

Orcadum.

Dum corpus tueor, quantillus homuncio, Grami!
Ardua dum mentis culmina, quantus Atlas?

Ad illuſtrem Comitem Gordonium, Marchionis Hu
læi filium natu maximum.

TU modò ducebas acies, Huntleïa proles!
Bellatrixque tuam Gallia ſenſit opem.
Hoſte triumphato, Veneris jam vincula geſtas,
Et te captivum Cypria ponè trahit.
Niteris exemplo Regum: fortiſſimus Hector,
Magnus & Æacides miles Amoris erat.
Mortales ſi fortè ſequi, Dis nate! recuſas,
In cœlo ſuperos, quos imiteris, habes.
Caſſide depoſitâ, Veneri dedit oſcula Mavors,
Et pater, abjecto fulmine, dixit, amo.

De tribus Gordoniis ſororibus.

TRes colè Gordonias, &, ſi lubet, adſpice: viſas
Sed fuge, ſi flammas, retia, tela, times.
Anna faces, Henrica plagas, fert Jana ſagittas:
His cremat, illaqueat, pectora figit Amor.
De Parcis jam parce queri, nec crimina Divis
Objice: Gordonæ plus feritatis habent.
Una colum, fuſum tenet altera, tertia filum
Parca ſecat, pariter ſed necat illa trias.

De Sophia Haya, Comitis Errolii filia.

SI genus & mentem, ſi formam reſpicis, Hayæ
Sunt data quæ jactant Juno, Minerva, Venus.
Juno ſupercilium ſi ponat, tela Minerva,
Furta Venus, terris tres dabit Haya Deas.

De Comite Hollandiæ.

ADſpice quàm ſtudiis vitam traducat ineptis
Aulicus, accipitres hic alit, ille canes:

Una ſaginat equos, gaudet pars una choreis,
Iſte genas fuco purpurat, ille mero.
Hunc pugil, hunc meretrix emungit & hiſtrio nummis,
Sunt quibus & pernox alea vaſtat opes.
Altiùs aſſurgit, generoſi ſanguinis heres,
Richæus, Clariæ captus amore lyræ.
Quas colit, auratis Muſas hic protegit alis,
Gaudet & Aonio dicere jura choro.
Hunc dictatorem ſequitur Parnaſſia pubes,
Fertque ſuo ſupplex debita tura duci.
Reddite, Pierides! Flaccum, revocate Maronem,
Jam Mecænatem terra Britanna tulit *.

De March. Hamiltoniæ †, *& Hadintoniæ Comite* ‡.

GEntis Hamiltoniæ laudes quæ neſciat ætas,
Phœnices orbi quæ dedit una duos?
Hic in Teutonicis jam victor fulminat oris;
Hic patriæ, magno ſub Jove, jura regit.
Reddite Mæoniden, Muſæ! Redit alter Achilles,
Dat Laërtiaden Scotica terra novum.

Ad D. Richardum Metellanum.

AUrea dent alii, quæ, Metellane! mereris
Munera, dent Tyrio coccina tincta cado.

* *O fœdam faciem vitæ aulicæ! Cæterum benigniſſimos Literarum patronos ac fautores*, dignos laude viros Muſa vetat mori, *qui ideò pluris faciendi ſunt, quippe quorum numerus cunctis ſeculis longè longèque pauciſſimus ſemper exſtiterit. Ptolemæos quidem, Philadelphon atque Euergeten, Ægyptus, antiqua Mecænatem Roma, Richæum alioſque pancos Anglia, Scotatarvatium denique Heroem Caledonia jactat atque oſtentat: ſed horum æquales* apparent *ut* rari nantes in gurgite vaſto, *atque* Rara avis in terris, nigroque ſimillima corvo; *quod dolendum eſt profectò.*

† *Hujus Marchionis poſteri Ducis jam titulo inſigniuntur.*

‡ *Ab hoc Comite oriundus Familiæ Heres, maximæ ſpei adoleſcens, in altera celeberrimarum apud Anglos Univerſitatum Oxonienſi, in bonarum ſtudia literarum, cum fratribus, ſtrenuè in præſentia cum fructu incumbit.*

Sunt mera verba mihi ſine re, ſine pondere voces,
Et numeri, ſed nil quod numerare queas.
Accipe Jonſtono, vetus hoſpes! ab hoſpite nugas,
Munera muneribus non ſatis æqua tuis.
Tu Cereris, memini, tu Bacchi dona dediſti,
Nil ego Pierias adfero præter aquas.
Sic æs vile tuo dum muto callidus auro,
Par Diomedis ego, tu mihi Glaucus eris.

Ad Jacobum Jonſtonum, Baronem de Jonſton *.

MAjores, Jonſtone! tuos, dum Martia vivent
Nomina, Ferguſidûm gens ſuper aſtra feret.
Credita ſunt illis gemini confinia regni,
Hoc meruit virtus & ſine labe fides.
Quantus hic eſt, ſocium quem legit Vallius unum,
Inter mille duces, fulmineaſque manus?
Quantus erat, qualiſque pater, qui fortibus armis
Mille foris peperit, mille tropæa domi?
Anglia Grampigenas exſtructis molibus hoſtes
Arcuit, & muro junxit utrumque fretum.
Hoſtibus oppoſuit Jonſtonos Scotia, vallum
Invictum, quo nil firmius orbis habet.

De Hayorum tribus jugis ſanguineis †.

HOſtibus, indignùm! Cimbris exercitus omnis
Scotigenûm verſo terga Leone dabat:
Signa Caledoniæ ſpectans incanduit Hayus,
Qui patrios juxtà fortè colebat agros.
Nec mora, taurorum, properans, ingentibus auſis
Expedit incurvis colla toroſa jugis.
His genitor, natique duo, tria fulmina belli,
Compeſcunt trepidam, nec ſine cæde, fugam.

Qu

* *Qui ab hoc Barone orti ſunt ad Marchionis jam digna onem evecti ſunt, cui cognomini gloriam numquam interm turam immortalis ingenii ſui monumentis Jonſtonus adſper*

† *Hæc ſunt inſignia Errolii Comitum, nobiliſſimæ antiqu ſimæque gentis Hayorum Principum; quos inter, quem eog minis inſigne columen, Scoticæque Nobilitatis decus unicum neramur, altiùs caput erigit illuſtriſſimus Tweddaliæ Mare*

Queis fuga compreſſa eſt, armis agreſtibus hoſtis
Concidit, &, qui non concidit, hauſtus aquâ eſt.
Clava quid, aut harpe meruit, quid Pelias haſta,
Quæ perhibent Grajos arma tuliſſe duces?
Sunt hæc nota quidem, cantataque vatibus arma,
Haya tamen veræ plus juga laudis habent.

In Porticum Desfortianam †.

HIc decus Arctoæ ſpectatur porticus oræ,
Æmula porticibus, Roma vetuſta! tuis.
Tota nitet Phœbo, nimis & vicina Bootæ
Ni foret, hanc Phœbi ſuſpicer eſſe domum.
Arte laboratum ſummis laquearibus aurum,
Exhibet hiſtorias quot vetus orbis habet.
Quas Heroinas, hoc in quo degimus ævum,
Quos tulit Heroas, monſtrat utrumque latus.
Iſta licet meritò poſſint molimina dici
Maxima, ſunt domini mente minora ſui.

De Aberdonia Urbe.

CUm populo quiſquis Romanam ſuſpicis urbem,
Et mundi dominam, deliciaſque vocas.
Confer Aberdoniam, Thetys hanc ſervilibus undis
Alluit, urbs famulo nec procul illa mari eſt.
Utraque fulta jugis ſubjectos deſpicit amnes;
Utraque fulmineâ ſpirat ab arce minas.
Illa ſuos Fabios, invictaque fulmina belli
Scipiadas jactat, Cæſareamque domum.
Mennefios urbs hæc proceres, gentemque Culenam,
Et Colliſſonios, Lanſonioſque patres.
Urbe Quirinali minor eſt urbs Grampica: cives
Sunt tamen hîc animis, ingeniiſque pares.

Ad Cauſſidicos, ne prodant cauſſam Regiam.

QUi fora, qui Themidem colis, os ne ſubline Regi,
Fulmineas longè porrigit ille manus.

† *Ab hujus loci (cujus porticûs elegantiam tam bellè celebrat Jonſtonus) nomine titulum ſortitur nobiliſſimi Comitis de Findlater ac Seafield Filius natu maximus.*

Vellere ſopito barbam deſiſte Leoni,
Hic ungues, barbam qui tueantur, habet.

Ad Thomam Hopæum, Advocatum Regium ‡.

MAxime Phœbigenûm! magni laus prima Senatûs!
Lima fori! titulis major, Hopæe! tribus.
Regia dum curas, famulum quoque protege Regis,
Credita cui Domini vita ſaluſque tui eſt.
Lyncea mens, lingua eſt tibi nectare dulcior omni,
Labe carens pectus, candidiuſque nive.
In vultu Charites, ſpes eſt in nomine, dotes,
Quas alii ſparſas, tu ſimul unus habes.
Exſere virtutes, menſuram nominis implens,
Et te, Jonſtono quantus es, eſſe proba.

De Jacobo Bardio & Gualtero Hayo, Cauſſidicis.

BArdius & vitâ multò mihi carior Hayus,
Me patrocinio ſuſtinuêre ſuo.
Ambo triumphârunt: meritum ſed Bardius aurum
Reſpuit, oblatas riſit & Hayus opes.
Gens Themidi devota! manus cui ſemper aperta eſt,
Si ſapis, exemplum nobile diſce ſequi.
Accipe res vulgi; medicus quod porrigit aurum,
Dona velut Danaûm pernicioſa fuge.
Hoc aloes celat medici ſolertia virus,
Hoc incruſtari trux colocynthis amat.

In duos rabulas forenſes, Advocatum & Procuratorem, N. N. Diræ *.

MAgna minorque feræ! quarum paris altera lites,
Altera diſpenſas, utraque digna mori: Vos,

‡ *Non ſoluùm cauſſarum Patronus famigeratiſſimus hîc exſtitit, verum Poëta etiam inſignis; quod, præter Jonſtoni hoc in loco teſtimonium, Pſalmorum Davidicorum atque Cantici Solomonis, favente ſatis Apolline atque Muſis, ab eo effuſa Paraphraſis poetica luculenter revincit. Ceterum ab hoc Cl. viro rectâ lineâ oriundus eſt nobiliſſimus Hoptoniæ Comes.*

* *Diras ſatis atque atrocia importunis iſtis nebulonibus*, qui delectantur bibere humanum ſanguinem, *graviſſimè, nec ſe-*

Vos, precor, excussi feriant de nubibus ignes,
Dira vel æternis ora premantur aquis.
Vel fera præfocet latrantia guttura pestis,
In cruce vel pendens utraque pascat aves,
Inque rota fractos exponat solibus artus,
Detque necaturis terga secanda flagris,

Vel

---

nel, ab iis læsus, (uti ante postque eum infiniti) imprecatur scriptor acutissimus; quibus tamen, longèque pejoribus, si que sunt, flagitiis suis perdigni sunt. Callidissimis autem istis veteratoribus in proborum innocuorumque civium fortunas, atque in ipsa etiam capita, si Diis placet, cum pernicie ferè generis humani, impunè jam liberèque grassari amplius integrum non est: adeò ut fœdissimam illam deterrimamque hominum (quid dico?) viperarum colluviem (ii enim sunt qui miserrimos clientes opibus emungunt, ingentes sibi divitias inde coacervantes, quibus tamen, quod vulgari proverbio dicitur, plerumque accidit, parta malè ut pejùs dilabantur) ea Superorum benignitas, ea Cœli clementia, brevi unquam futuram sperare fas sit. Pessimis namque eorum conatibus strenuè admodum fortiterque hodie, si unquam alias, obviam itur, auctoritate maximè atque solertiâ illustrissimi supremi Regni Senatûs Principis: QUO PRÆSIDE, ut sanctissimè suavissimèque canit Naso noster Britannicus,

Ivit in amplexus alacris Clementia Veri,
Oscula Justitiæ Pax quoque blanda dedit:
Altiùs ex terris Verum caput extulit, Æquum
Extulit os Cœlo, despicietque solum.

Quo Viro, Sol, cuncta suo lumine qui lustrat, melius quidquam aut aquius hactenus an viderit, aut visurus denique sit, apud mortales hodie, neque sine ratione profectò, ambigi video. Nomen certè bonis probisque hominibus, potentiorum maleficiis injuriisque vexatis, fora Themidos, à prima usque institutione, magis salutare apud Scotos haud ullum protulerunt. Hinc cuncti illum cives, votorum ultimam mensuram, tantæ probitatis viro ad juris gubernacula admoto, attigisse qui jam se arbitrantur, (flagrantissimis enim votis talem mortales expetebant, talemque omninò vindicem ipsa tempora desiderabant, atque efflagitabant etiam) ardentissimo affectu complectuntur, colunt, suspiciunt, ac tantum non venerantur. Hinc beatus jam audit atque felix, beatissimus

se

Vel, dape ſubtractâ, diſtrictis dentibus atram
Ingluviem ut paſcat, ſeque ſuoſque voret.
Crimina ſi confers pœnis, vincuntur ab illis
Ignis, aquæ, peſtis, crux, rota, flagra, fames.

De anatomicâ ſectione à Julio Caſſerio Placenti Patavii exhibitâ.

FElices animæ! quarum, plaudente theatro,
Secta Placentinus corpora monſtrat Eques.
Veſtra ille æternùm victuris nomina chartis
Inſeret, & laudes orbis uterque leget.
Mortalis ſin vita placet, deſcendite cœlo,
Corpora reſtituent quæ ſecuêre manus.

Laurus Apollineæ honori viri nobiliſſimi & exi lentiſſimi, D. Georgii Sibbaldi Rankilorii, Sc cum in alma Academia Patavina Philoſ. & M Doct. anno 1614, Junii 9. publicè crearetur, dic

ARtis Apollineæ Sibbaldo, Gallia! primum,
Tu ſchola ſupremum das Patavina decus.

---

felicisſimuſque per cuncta deinceps ſecula anditurus, JO STATORIS titulum, longè meliori jure quàm apud ve iſte, merito ſuo indepturus. Saluti jam plurimis exſtitit, ribuſque longè, Diis annuentibus, exſtiturus. Tales certè roes, Atlantis inſtar, labantem rerum machinam humeris ſtentant ſuis, quibus abſque ſi eſſet,

——————properarent ſidera cœli
In chaos antiquum lapſo ſe condere mundo.

Hinc lætus longuſque p pulis Arctois ut interſit, ſeruſqu cœlum ut redeat, lætis lubentibuſque animis viri boni (gentibus interea falſariis, deceptoribus, ceteriſque id genu nebri nibus, quorum certiſſimum in exitium, omnis verſ atque doli mali hoſtis infenſiſſimus, omnis virtutis, pro tis, humanitatis, innocentiæ propugnator acerrimus, u eſt) ad unum in Scotia univerſi etiam etiamque compre tur. Quod ille demum faxit,

Quem penes arbitrium eſt vitæ, ſortiſque poteſtas.
Ita, ita fiat! Quod & futurum ſperamus atque con mus.

Cetera tu ſuperas famâ & virtute Lycæa,
Quantum alias omnes fons Heliconis aquas.
Exſuperat reliquos Phœbi Sibbaldus alumnos,
Phœbæus quantum ſidera cuncta nitor.
Sic adamas puro radiat circumdatus auro,
Ut dubitem tribuas accipiaſne decus.

De Gulielmo Forbeſio D. Theologo.

OMnia mel vincit dulcedine, ſidera lucem
Præ reliquis, robur miſſile fulmen habet.
Eloquium ſi quis Forbesî comparet iſtis,
Mel fatuum, nigra ſunt ſidera, fulmen hebes.

De eodem & Roberto Baronio, Theologis Aberdon.

NIL quod Forbeſio, Chriſti dum paſcit ovile,
Nil quod Baronio comparet orbis habet.
Eloquio ſunt ambo pares : diſcrimen in uno eſt;
Quò lubet, hic mentes pellicit, ille rapit.

De Poëmate ſacro Andreæ Ramſæi, Paſtoris Edinb.

CUi blandùm adſpiciens naſcenti riſit Apollo,
Doctaque Caſtalio proluit ora lacu:
Aut levis incautam verſu lenone juventam
In Veneris caſſes, inſidiaſque trahit:
Aut bona veſanis impendens otia bellis
Sævit, & Aonias ſanguine fœdat aquas.
Spreta jacet pietas; aut, ſi quem fortè poëtam
Repperit, huic miſeris ſtridet avena modis.
Ramſæus ſcopulum prudens declinat utrumque,
Dignaque dat Muſis carmina, digna Deo.
Hîc juga Parnaſſi coëunt cum rupe Sionis,
Mixtaque Jordani Caſtalis unda fluit.

Ad D. Gulielmum Spangium, Emporii Scotorum Veriæ Eccleſiaſten, cum ad eum mitteret civitatum aliquot Scotiæ illuſtrium encomia, ſimul cum compluribus aliis numquam antè excuſis Poëmatiis.

QUod tibi donavi, Spangi! nec pumice raſum,
Nec Tyrio pictum murice cernis opus.

Tu tamen hoc dignum cenſes vitalibus auris,
Errat & exemplo terra Batava tuo.
Non tibi Jonſtonus, ſed debet Scotia grates,
Non mea, ſed patriæ tu monimenta probes.

Ad Georgium Jamiſonum, Pictorem eminentiſſimum, Scotiæ ſuæ Apellem, de Anna Cambella Heroina, nobiliſſima Marchioniſſa Huntlæa.

ILluſtres, ars quotquot habet tua, promte colores,
Pingere Cambellam ſi, Jamiſone! paras.
Frons ebori, pectuſque nivi, ſint colla liguſtris
Æmula, Pæſtanis tinge labella roſis.
Ille genis color eniteat, quo mixta corallis
Marmora, vel quali candida poma rubent.
Cæſaries auro rutilet: debetur ocellis,
Qualis ineſt gemmis ſideribuſque, nitor.
Forma ſupercilii ſit, qualem Cypridis arcus,
Vel Triviæ, leviter cum ſinuatur, habet.
Sed, pictor! ſuſpende manum; ſubtilius omni
Stamine, quod tentas hîc ſimulare, vides.
Cedit Apollineo vulſus de vertice crinis,
Cedit Apelleâ linea ducta manu.
Pinge ſupercilium ſine faſtu, pinge pudicos
Huic oculos, totam da ſine labe Deam;
Ut careat nævo, formæ nil deme vel adde,
Fac ſimilem tantùm, quâ potes arte, ſui.

In obitum Jacobi Pacifici, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis, Fideique Defenſoris.

NIl Jove, nil Phœbo melius: lux utraque terris,
Utraque lux regnis ſemper amica fuit.
Te tamen invidit mundo lux utraque, Princeps!
Luce cadis Solis, lux Jovis abdit humo.
Res nova, nec ſeclis audita prioribus: ordo
Naturæ, Princeps! te pereunte, perit.

Aliud in ejus mortem.

NOn miror Regem ſi Martius abſtulit Anglis;
Pacificis ſemper Mars inimicus erat.

In

In obitum Ducis Lenoxii.

DUM populum, proceresque ſuos Iacobus in unum
Cogit, & Europam terror ubique tenet:
Spes populi, procerumque decus, Lenoxius Heros
Non exſpectato funere raptus obit.
Proh Superi! Non hæc mors eſt, ſed publica clades:
Confoſſus patriæ per latus ille cadit.

Epicedium Franciſci Hayi, Errolii Comitis.

OCcidit Hayorum princeps Errolius, orbis
Nunc deſiderium, qui fuit antè decus.
Adſcripſit Procerum numero domus edita Regum
Stemmate, ſanguineis nobilitata jugis.
Manibus Heroum ſociavit Martia virtus,
Partaque fulmineâ mille tropæa manu.
Donavit cœlo pietas ſpectata. Quid ultrà
Vel meruêre homines, vel tribuêre Dei?

In obitum Comitis Pembrochii ‡.

AUrea quid virtus, quid profunt ſanguis, honores;
Mille clientelæ, gratia Regis, opes?
Angligenas inter fortunatiſſime nuper,
Pembrochi! & procerum gloria prima, cadis.
Poſt Domini Regiſque tui nigra funera, nullus
Atrior hoc cœli fluxit ab axe dies.

Tumulus nobiliſſimæ Heroinæ, Annæ Cambellæ Argathelienſis, Marchioniſſæ Huntlææ ‡.

MArmore cur Pario ſurgis, venerabile buſtum!
Et tot gemmarum perpete luce nites?

‡ *Hujus maximè Comitis operâ inter Jacobi Regis cubiculariis adoleſcentem adhuc Jonſtonum cooptatum fuiſſe accepimus; unde primus forſan illi ad gratiam aulicam gradus, aditusque ad opes ampliſſimoſque poſtea honores patefactus.*

‡ *Harum duarum longè florentiſſimarum apud Scotos Gentium Principes antiquam dignationem illuſtriori Ducum appellatione jamdudum permutârunt: ARGATHELIÆ DUX, incontaminatis fulgens honoribus; nullique cedens inter*

Argento lapides cur incruſtantur & auro?
Cur tibi Phidiacâ quæris ab arte decus?
Cambellæ cineres gremio cùm divite claudas,
Quod te commendet pleniùs, intus habes.

In obitum nobiliſſimæ Heroinæ, Iſabellæ Setoniæ Fermelinodunenſis, Comitiſſæ Laderdeliæ.

QUid proavûm tituli, vel opes, vel fama mariti,
Pignora quid proſunt conjuge digna Jovis?
Quid coma par auro, frons quid juvat æqua liguſtris,
Æmula ſideribus lumina, labra roſis?
Aurea quid virtus, & digni principe mores,
Fervida vel pietas utilitatis habent?
Cui nil defuerat, cecidit Setonia lethi
Cuſpide, quam nobis plus nocuiſſe queror.
Occidit illa ſemel, fato nos illius icti,
Cogimur haud uno vulnere ſæpè mori.

Tumulus Joannæ Metellanæ.

CUi tria debuerat largiri ſecla, puellam
Parca Metellanam poſt tria luſtra rapit.
Virtutes numerat Lacheſis, non ſupputat annos:
Fructus erat præcox, carptus & ante diem.

Tumulus Joannæ Jonſtonæ.

JOnſtonæ thalamo tumulum, tædiſque maritis
Funereas junxit mors properata faces.
Virgo fuit, cùm cœpit hiems, cùm conſtitit, uxor:
Mox gelidus, brumâ deficiente, cinis.
Eſt rota fortunæ volucris, fugitiva voluptas:
Spes hominum ſemper lubrica, vita brevis.

In obitum Georgii Ogilvii, Equitis Banfii.

VIxit Olympiadas ter ſeptem Banfius; ætas
Ter fuit illuſtri poſteritate minor. Virtu-

inter Filios Deorum, laboranti Patriæ (quâ nihil antiquius ſemper habuit) non ſemel, quâ conſilio, quâ armis, ſaluti fuit, cujus non ſolum tutamen decuſque unicum eſt, verùm generis humani ornamentum maximum: id quod omnes agnoſcunt.

Virtutes numera; paucos liquiſſe nepotes
Comperies, paucos evolüiſſe dies.

De Gulielmo Forbeſio, Tolchono *.

AUxiſſet cùm prole domum Tolchonus & arvis,
Confectus ſenio ſponte reliquit humum.
Condidit hunc tumulum quo conditur ipſe, ſupremum
Exſpectans animo nil metuente diem.
Hunc prope pauperibus devotos adſpicis agros,
Tectaque mortali non violanda manu.
Nec procul his Domini ſurgunt palatia, Regis
Non ſemel hoſpitio nobilitata ſui.
Hæc terris monimenta dedit Tolchonus, & inter
Has operum moles creſcere vidit opes.
Quantulus, exuvias ſi ſpectas corporis, alti
Si penſas animi munera, quantus homo eſt?

Tumulus Jacobi Setoni, Petmeddeni.

QUem tegit hic ceſpes, faſtu Setonus honores,
Divitias luxu poſſe carere docet.

De Jacobo Fullertono & Thomâ Moravio.

NIl aulæ metuens vel Regis Parca querelas,
Moravium terris abſtulit ante diem.
Hoc Fullertonus ſublato fidere, Lethes
Intempeſtivis eſt jugulatus aquis.
Sæviat ad lubitum Lacheſis; poſt funera tanta,
Aula nihil, nil Rex unde queratur habet.

Tumulus Joannis Coliſſonii, Præfecti Aberdonenſis.

SAncte Coliſſonio ſtatuam decerne Senatus!
Hic ubi Præfectos conditur inter avos.
Dextra gerat gladium, geminas manus altera lances;
Hic ſtatuæ titulus, quem legat orbis, erit,
Vir ſeclo, Saturne! tuo, Lacedæmone civis,
Romuleâ Conſul dignus hic urbe fuit.

* *Ex Gente Forbeſiorum Tolchonia ortus eſt Vir Ampliſſimus, Duncanus Forbeſius de Culloden, Supremæ apud Scotos in Civilibus Curiæ Juridicæ Præſes digniſſimus.*

Tumulus Mongommerii Scoti, Epiſcopi Methenſis *,

HIc Mongommeri tegitur pars quantula? Tanti
Præſulis exuvias quantula velat humus?
Bis geminis proceres gens Mongommeria regnis
Præſtat, & armorum mille togæque duces.
Hanc Fergufiadum tellus, hanc jactat Ierne;
Quodque rigat Tameſis, quodque Garumna ſolum.
Sed quantum reliquas hæc gens Heroa, tribules
Qui jacet hic tantùm vincit honore ſuos.

In tumulum, quem reverendiſſimo Patri Patricio Forbeſio Joannis pietas ære perennicrem excitavit.

FORBESIOS hîc cerne duos, ſine compare patrem,
Et natum, ſecli ſidus utrumque ſui.
Antè dedit vitam nato pater, omine læto,
Nunc patrem nati vivere cernis ope.
Plus meruit natus, quam cepit clauditur ævo,
Quam dedit annorum limite vita caret.

In eumdem reverendum Antiſtitem.

OCcidit Abredonæ Præſul FORBESIUS oræ,
Par cui Pontificum de grege nemo fuit.
Marmoreis illi ſtraverunt pontibus undas,
Hic populo facilem fecit ad aſtra viam.
Quas illi Superis, Muſis & egentibus ædes
Struxerunt, hujus ſuſtinuêre manus.
Quàm formoſa fuit tanti lux ſideris auctor,
Quæ jubar hoc merſit tam fuit atra dies.

In Eumdem.

ADſpicis hîc gelidam FORBESI Præſulis urnam,
Quâ ſub ſole nihil ſanctius orbis habet.
Non tamen hic terris exceſſit ſoſpite nato,
Pectore qui totum ſpirat & ore patrem.
CORSIUS hoc ſacro revireſcit germine Phœnix,
Et poſt exſequias qui fuit antè manet.

---

* *Hujus Gentis longè florentiſſimæ antiquiſſimæque Princeps cum omnium conſenſu Eglintoniæ Comes agnoſcitur; excellentiſſimo juvenis ingenio, ad altiſſima quæque natus, bonarum literarum ſtudiis diligentiſſimè inſtitutus, unde Patriæ ſuiſque ornamento aliquando futurus ſperandum eſt.*

POETARUM SCOTORUM MUSÆ SACRÆ:

SIVE

ARCTURI JONSTONI, Medici Regii, Pſalmorum Davidicorum, Cantici Solomonis, & Canticorum Evangelicorum *Paraphraſis Poëtica.*

JOANNIS KERRI Cantici Solomonis Paraphraſis gemina.

ROBERTI BODII à Trochoregia ad Chriſtum Servatorem HECATOMBE.

PARS PRIOR.

Summo quæque ſtudio recognita, & ad fidem optimorum exemplarium expreſſa.

EDINBURGI:
Apud THO. & WAL. RUDDIMANNOS.
M.DCC.XXXIX.

Arcturo Jonſtono, Scoto, Medico Regio, & Poetarum ſui ſeculi principi, poſt integram annorum centuriam redivivo, dum nova ejuſdem Poëmatum ſacrorum Editio gemina, una ab Gul. Laudero Scoto, altera ab Gul. Benſono Anglo, neutri alterius conſilio cognito, pariter adornaretur, Carmen gratulatorium.

CLarus ut ARCTURUS rediens ex æquoris undis
Clarior effulget, BOREALIS gloria COELI:
Sic tibi, bis denis luſtris, ARCTURE! peractis,
Surgit honos auctus redimito tempora lauro.
Luce novâ fulges, dum certat BENSONUS Anglus
LAUDERO Scoto meritis te ornare corollis.
Scilicet, haud iterum viſurus Tethyos undas,
Cum BUCHANANÆO præclaro ſidere junctus,
Stella CALEDONIO fulgebis lucida COELO.

Jo. KERR.

Ex Academia Edinburgena
Kal. Junii, M DCC XXIII.

Arcturi

Arturi Jonſtoni ſeptem Pſalmorum Pœnitentialium, (6ti ſcilicet, 32, 38, 51, 102, 130, & 143) ad Reverendum Antiſtitem, Gulielmum Ladium, Epiſcopum Londinenſem, Dedicatio.

CUi pietas, LADI! cœleſtis acumine fulgens
Ingenii, Patriæ dat Patris aure frui:
Hæc ego Jeſſæi lacrimas tibi nuncupo vatis:
Hæ ſint obſequii teſſera certa mei.
Plus dare fas non eſt: Helicon, quos nutrit, alumnis
Nil ſolet infelix fundere præter aquas.
Ut tu digna feras, adſpira mollibus auris
Tu mihi, ſic puro nectare vena fluet.

VIRTUS NOS ORNAT.

Ejuſdem ſeptem Pſalmorum Conſolatoriorum, (nimirum 16ti, 23, 36, 34, 42, 103, 145) Ad Reverendum Virum, Joannem Leſlæum, Epiſcopum Raphoenſem, Dedicatio.

LAus ſacri, LESLÆE! chori, dum tendis Iernen;
Et nova dextrorſum te Cynoſura trahit;
Me ſine ne properes; noſtri cape pignus amoris:
Quem damus hic præſens eſt panacæa liber.
Hâc mens fracta malis, nullis cedentia ſuccis,
Hâc perſanantur vulnera cordis ope.

VIRTUS NOS ORNAT.

Bina hæc Epigrammata expreſſa ſunt juxta exemplar Londini, una cum Cantici Solomonis Paraphraſi Poëtica, ſereniſſimo Carolo Regi dedicata, apud Thomam Harperum, impenſis Nathanielis Butter, impreſſum anno 1633.

AD
MARIAM ARESKINAM,
Illuſtriſſimam COMITISSAM
MARESCALLANAM,
EPIGRAMMA *.

NYMPHA! pari quæ ſola cares, & Regibus orta,
Luce tuâ plus quàm nobilitate nites:
Cui collata poteſt elinguis Suada videri,
Juno levis, Cypris fuſca, Minerva rudis:
Cui domus heredem debet KETHÆA, coævis
Qui præit, & magnos æquat ephebus avos:
Non ego te Phrygii paſtoris munere dono,
Una licet vincas tres ſine lite Deas.
Accipe paſtori Solymæ quos tradidit hymnos
Sacra TRIAS, cujus te pius urit amor.
Accipe quod noſtrum eſt, Clariæ tutela cohortis!
Cui vectigales ſunt Heliconis aquæ.
Tu pondus lucemque dabis, vitamque Camœnæ,
Quæ, levis & ſqualleus, mox peritura fuit.

ARCTURUS JONSTONUS.

* *Nobiliſſima hæc Matrona, cunctis animi corporiſque dotibus ornata, Parentes habuit Joannem Marriæ Comitem, Scotiæ, regnante Jacobo ſexto, Theſaurarium, atque Mariam, Ludovici Stewarti Eſmei Leviniæ Ducis Filiam. Gulielmo Comiti Mareſcallano priùs, deinde Patricio, primo Pamuriæ Comiti, nupſit. Ex priori matrimonio tres Filios, Filias duas edidit: ſecundæ nuptiæ ſteriles fuêre. Porrò, tot viri docti ubique cùm exiſterent, illuſtrem hanc Heroinam, cui ſuaviſſimum hoc opuſculum Jonſtonus dedicaret, potiſſimùm elegit; quod tamen magnis exemplis haud deſtituitur.*

ARCTURI JONSTONI

AD

LECTOREM

ELEGIA *.

FOrtè quod hîc ſtupeas, (quid enim manifeſta negemus?)
Et quod reprendas, candide Lector! habes.
Iliadem magni nemo tentavit Homeri,
Nemo retractavit grande Maronis opus.
Finxit Alexandrum Lycippus, pinxit Apelles,
Artificum reliquas reſpuit ille manus.
Cur ego Grampigenæ relego veſtigia Vatis?
Cur Buchananæ fila reſumo lyræ?

Hanc

---

* *Cujuſdam viri docti, quod mihi videre contigit, de hac Elegia judicium, tamquam ſingulare quidpiam complexum, hîc adſcribere haud pigebit. Id autem ita ſe habebat.*

" *Carmen hoc* ἀπολογητικὸν, *quantivis certè pretii, nervoſum (ita me Deus!) ac venuſtum, melle jucundius, pretioſius auro, tam mihi gratum ſemper acceptumque à multis retrò annis exſtitit, ut haud alio ferè remedio, ad ſolanda vitæ incommoda, delinienda[que] animi ægritudines, aſſiduâ quàm ejus, ſacrorumque ſimul hymnorum (quibus præfixum pro lætiſſimi id auſpicatiſſimique ominis frontiſpicio inſervit) meditatione uſus ſim: nec fruſtra. Ejus enim vires præſentiſſimi inſtar medicamenti, ſive incantamenti verius, vel potiùs (ut religioſiùs loquar) Divini inſtar vocis Angeli, propriè me compellantis confir-*

" *mantis-*

Hanc neque quam pulsat numerosâ Pindarus arte,
Teïa nec superet, nec Venusina chelys.
Hinc mihi nec laudem quæro, nec præmia capto:
Est Musæ potiùs pœna timenda meæ.
Dum Jove prognatam soleis imitatur Arachne,
De trabe sublimi triste pependit onus.
Dumque puer Clymenes currus agitare paternos
Non dubitat, cœli pronus ab arce ruit.
Stultus & Æolides, dum non imitabile fulmen
Arte refert, misso desuper igne perit.
Et Satyrus Phœbum, Musas dum provocat amens
Evippæ soboles, crimen uterque luit.
Non ego cum Superis contendo: sed area, Vates
Quam terit hic, nostris est minùs apta rotis.
Ne pete quæ fuerit tam vani caussa laboris,
Se Clario quisquis proluit amne, furit.
Ah! liquor hic populos, qui Phœbi castra sequuntur,
Fascinat, & memores non sinit esse sui.
Si tamen haud meruit veniam furor, accipe caussam,
Invida quæ Momo forsitan ora premet.
Cinxit JESSIADEN Buchananus veste, pyropis
Quæ simul & cocco nobiliore nitet. Hæc,

" *mentisque, in pacandis irrequietis sollicitisque animi mo-*
" *tibus, restituendaque cœlesti menti tranquillitate, conti-*
" *nuò sum expertus. Quod hic mihi Saulum, primum Israë-*
" *litarum Regem, in memoriam redigit; cujus ægrotantis,*
" *tristitiâque laborantis animum arreptâ modulatâque Da-*
" *vid testudine solabatur. Suas ad solandum vires, post ter*
" *mille ferè annos, veterum Hebræorum Divini Regis ac Va-*
" *tis lyræ blandiloquentia adeo non amisit. Ea musicæ cul-*
" *tique carminis vis.*" *Hactenus ille. Atque hoc remedi-*
um sive medicinam per annos plurimos usurpabat, quippe qui
integrum sanctissimum suavissimumque opusculum annuo duo-
decies spatio, hoc est, singulis semel mensibus, prout ritu Ec-
clesiæ Anglicanæ Psalmorum liber perlegi jubetur, diligenter
perlustraret. Cæterùm, hac de re quæ sentio liberè ipse ut
eloquar, omnibus fidi doctique Interpretis numeris felicitèr
adeò Jonstonum perfunctum esse existimo, ut, elegantem Jon-
stonianæ Psalmorum Paraphraseôs, vel solutâ vel ligatâ ora-
tione, Anglicanam interpretationem brevis commentarii ad

verum

Hæc, ego quam dono, nec gemmis picta nec oſtro eſt,
Tota ſed, ut cernis, ſtamine texta rudi.
Rex erat & Vates hic cui ſervimus: amictus
Et Regi & Vati non ſatis unus erat.
Apta paludato Buchanani purpura Regi eſt,
Regibus aut ſi quid grandius orbis habet.
Nil mihi cum ſceptris, ego do velamina Vati:
Hunc decuit cultu ſimpliciore tegi.
Induit Abiades Tyrio pro murice ſetas,
Seque gregis nivei vellere texit Amos.
Adde quòd hâc noſtra vivet Buchananus opellâ,
Clarius & ſolito ſparget in orbe jubar.
Splendidiùs ſtellas nitet inter luna minores,
Et violæ lappis, & roſa juncta rubis.
Non ego dedignor, victus ſi dicar ab illo,
Qui radiis implet ſolis utramque domum.
Cui gens Auſoniæ priùs, & cum Teutone Gallus,
Ceſſit, ab hoc vinci cur ego turpe putem?
Quem pudet Æacidæ fatali cuſpide, magni
Quem piget Æneæ ſuccubuiſſe manu?
Hoc ego me ſolor, me quòd poſt terga relinquat
Muſa, CALEDONII nata ſub axe POLI.
Quo fulget mihi terra parens, patriæque Camœnæ,
Non mea dedecorat plectra, ſed ornat honos.

AR-

---

verum atque genuinum Pſalmorum ſenſum (quem admirandâ profectò fide atque elegantiâ ipſe expreſſit) eruendum atque intelligendum loco eſſe poſſe, adeoque piis atque eruditis hominibus pergratam eam perque jucundam futuram ſæpenumerò mecum arbitratus ſim. Cujus ego rei, animi ſcilicet gratiâ, periculum aliquando cum feciſſem, rem ita ſe habere, tum meo, tum aliorum etiam (cui plus deferendum eſſe ſcio) judicio, expertus ſum. Porrò, hoc ut obiter notem, Pſalmi quatuordecim, pœnitentiales ſeptem Ladio, totidemque conſolatorii Leſlæo dedicati, (quos tentaminis ergò primos Latino carmine Jonſtonus reddidiſſe videtur) optimi licet eſſent, ipſe tamen, quâ fuit ingenii excellentiâ, quod in melius mutaret poſtea invenit: quod ego incredibili cum voluptate, inter conferendum illos priùs publicatos cum integro Pſalterio quadriennium pòſt Aberdoniæ impreſſo, deprehendi; quòd & alii quoque, quibus exemplaria ſuppetunt, per ſe videre judicareque poſſunt.

ARCTURI JONSTONI Scoti,

MEDICI REGII,

PARAPHRASIS

POETICA

Pſalmorum DAVIDIS.

PSALMUS I.

FElix, conſilio qui nec ſeductus iniquo
Per ſcelus impuro cum grege carpit iter;
Nec, quibus impietas inſiſtit, paſſibus haeret;
Nec, poſtica, tuum, ſanna, ſedile premit:
2 Mente ſed ætherei meditatur juſſa parentis,
Seu nox eſt, roſeo ſeu micat axe dies.
3 Arboris in morem ſurget, felicibus auris
Quæ viret ad ripam lenè fluentis aquæ;
Cui tempeſtivis curvantur brachia pomis,
Nullaque vernantes decutit aura comas.
Illius adſpirans votis clementia cœli
Omnia propitio ſidere cœpta reget.
4 Non ita gens exlex, paleæ ſed ſolibus uſtæ
Inſtar erit, volucri quam rotat orbe Notus:

5 Judicis hæc ſolium fugiet, cœtumque piorum,
Ultima cum dirimet faſque nefaſque dies.
6 Nam probat aſtrorum rector veſtigia juſti,
Diraque cum domino fraus peritura ſuo eſt.

PSAL. II.

CUr populus ſine lege fremit? cur mente volutat
Non profecturas turba nefanda minas?
2 In Dominum Regemque, caput cui tinxit olivo
Dextra patris, bellum gens trabeata parat.
3 Eia alacres, ajunt, nodos rumpamus aſenos,
Nos quibus hi ſtringunt, impediuntque pedes.
4 Hæc pater æthereus ſuperâ ridebit ab aulâ,
Accedent ſannis ira furorque comes.
5 Frenaque dans iræ trepidos Deus obruet hoſtes,
His & corripiet pectora cæca modis:
6 Sacra meo Regi ſucco viridantis olivæ
Tempora perfundens ſceptra ferenda dedi;
Sceptra dedi regnique decus, ſanctæque Sioni
Impoſui, ſacris præpoſuique jugis.
7 Eloquar edictum, Tu Filius es mihi, luce
Hâc ego te genui, munera poſce patrem.
8 Hæredi tibi regna dabo, genteſque ſubibunt
Imperium, tellus ultima quotquot habet.
9 Has tua vis olim ſceptro ferroque potenti
Franget, ut è vili vaſcula ficta luto.
10 Eia agedum, quæ regna tenes, quæ jura miniſtras
Natio, quam fas eſt carpere, diſce viam.
11 Juſſa faceſſe Dei, mens hoc lætetur honore,
Temperet obſequium lætitiamque timor.
12 Oſcula da Nato, ſubitam ne colligat iram,
Quæ tibi perniciem quantulacunque feret.
Felicem nimium quiſquis ſecurus in illo
Spem locat, & ſolam numinis ambit opem.

PSAL. III.

AH, Deus, hoſtiles quantùm crevêre phalanges!
Agmina me contra quàm numeroſa ruunt!
2 Quem colis infelix, ajunt, tibi conditor orbis
Non feret optatam, cùm premet hoſtis, opem.

3 Tu

3 Tu tamen umbo mihi es, Deus, & largiris honorem;
Tu caput erectum ferre ſub aſtra jubes.
4 Te petii ſupplex, auditæ rebus in arctis
Supplicis è ſacrâ rupe fuêre preces.
5 Sunt mihi ſecuro ſub noctem membra quieti
Tradita, ſecuro mane ſoluta quies.
6 Tu Deus adſtabas: non te cuſtode timebo,
Me licet invadant tela quot orbis habet.
7 Surge parens, dextrâque juva, quæ cæde madentûm
Innocuâ malas fregit & ora ducum:
9 Tu gregis es tutela ſacri, ſemperque benignus
Indulges populo tempora læta tuo.

PSAL. IV.

LUce tuâ qui pura facis, qui candida cernis
Pectora, quæ fundo ſuſcipe vota Deus.
2 Quamque mihi duris in rebus ſæpe tuliſti,
Nunc prece ſuſceptâ mitte benignus opem.
4 Gens hominum, quid te paſcis mendacibus umbris?
Opprobrio noſtrum quo decus uſque petes?
3 Elegit fulcitque pios pater ætheris alti,
Ne dubita, queſtus audiet ille meos.
Hunc metuens deſiſte malis, & nocte ſilenti
In mentem tacitus facta diurna refer.
5 Victima ſit pectus ſine fuco, teque, malorum
Fluctibus in mediis, & tua crede Deo.
6 Quas fitit, optet opes vulgus; tu lumine cœli,
Ore tuo nobis da, pater alme, frui.
7 His ego plus lætor, quàm gens addicta ſaginæ,
Cui penus eſt locuples, dolia plena mero.
8 Ergo toro recubans placido dabo lumina ſomno,
Et ſecura tuo numine tecta colam.

PSAL. V.

MAgne parens, tellus Dominum quem ſuſpicit, audi
Quæque premo tacitus, quæque ſub aſtra fero,
2 Annue quæſitis, Deus & Rex, perpete voto
Tu mihi præ cunctis ſollicitandus eris.
3 Manè novo ſupplex oculos ad ſidera tollam,
Manè novo facili quæ loquar aure trahes.

4 Tu poxam refugis quâ delectantur iniqui,
Gentis & impuræ crimina ferre nequis.
5 Grande ſupercilium te coram faſtus inanis
Exuet; odiſti tu Deus omne nefas.
6 Ibit in exitium mendax, inviſaque turpis
Fraus erit, & ſocii tincta cruore manus.
7 Sed patre te fretus ſacras ego volvar ad aras
Cernuus, illuſtres ſternar & ante pedes.
8 Hoſtibus expoſitum, fons omnis & arbiter æqui,
Dirige, ſuſpectæ duxque comeſque viæ.
9 His pariunt mellita dolos labra, putre ſepulcrum
Guttur olet, pectus carnificina mali eſt.
10 Perde reos, pereatque ſuis gens impia technis,
Quæ furit & præceps in ſceleſus omne ruit.
11 Geſtiat interea te qui ſecurus in uno
Spem locat, & numeris mulceat aſtra novis.
Gaudia concipiat cœleſti numine tutus
Vir pius, & quiſquis flagrat amore tui.
12 Tu, Deus, objecto clypeo tutabere juſtos,
Hoſtis & à furiis inſidiiſque teges.

PSAL. VI.

NE, rerum Deus alme ſator, me corripe, frena
Dum furor excuſſo ſævit & ira fremit.
2 Parce laboranti, dextramque ſalutifer ægro
Porrige, dum mentem laſſat & oſſa dolor.
3,4 Quo trahis uſque moram? Lethum pulſurus, amoris
Si memor es patrii, te mihi redde pater.
5 Senſus abeſt tumulis; nec te cantare ſilentes,
Dicere nec laudes flebilis umbra poteſt.
6 Fleng ego defeci toties; noctemque fatigans,
Implevi lacrimis triſte cubile meis.
7 Ex oculis fugitivam aciem, cava lumina, riſus,
Prò dolor! hoſtiles inter & arma vides.
8,9 I procul impietas; me, qui regit ætheris axes,
Audiit, & porro ſpes jubet eſſe ratas.
10 Hoſtica gens perculſa metu, ſuffuſa rubore,
Verſa dabit ſubitæ terga pudenda fugæ.

PSAL. VII.

SPes mihi tu vitæ, vitam Deus eripe letho,
Impia de jugulo tela repelle meo.
2 Adfer opem, ne me lanient impune tyranni,
Sanguineus miſeram ceu leo frangit ovem.
3 Si clandeſtini deprendar criminis auctor,
Vel mihi, te vitæ judice, dextra rea eſt;
4 Si male mulcavi ſocios mihi fœdere junctos,
Et niſi ſenſit opem gens inimica meam:
5 Me premat hæc, captoque ferox ſtratoque triumphet,
Et calcet pedibus, turpet & ora luto.
6 Ultor ades, tandemque ſuos furor exſerat ignes,
Hoſtica frange vigil ſpicula, frange dolos.
7 Tum tua majeſtas populis cingetur, & alto
Aureus è ſolio jura tremenda dabis.
8 Me tibi jam ſiſto, famulum, Deus, adſpice, cauſſa
Si bona, ſi nullo fulta querela dolo eſt.
9 Pectora qui penetras & lynceus abdita cernis,
Juſte Deus juſtos erige, perde malos.
10,11 Es mihi tu clypeus, vacuas tu crimine mentes
Protegis; odiſti tu ſine fine nefas:
12 Inque reluctantes acuis, quo cingeris, enſem,
Lævaque fert arcum, miſſile dextra tenet.
13 Tela necem ſtragemque dabunt; his turba peribit
Impia, quæ faſtu me petulante premit.
14 Parturit hæc noxam, ſterili ſed credidit arvo
Semina, nec præter ſomnia vana metet.
15,16 In foveam molita dolum ſe condidit audax,
Ulta ſed eſt ſubitò facta ruina nefas.
17 Ergò canam juſtumq; Deum, Dominumque potentem;
Carminis hæc ſemper ſumma futura mei eſt.

PSAL. VIII.

QUàm tua, Cœlicolûm Rex, implet gloria terras!
Sidereas quantùm tranſvolat illa domes!
2 Ipſa tuum paſſim lactens infantia robur,
Hoſtis ut obſtupeat, quo licet ore canit.
3 Dum digitis cælata tuis laquearia cœli
Conſpicor, & lunam, ſidereaſque faces,

4 Quan-

13 Impietas impunè tuas cur provocet iras?
Numinis ultrices cur neget eſſe manus?
14 Quæ patimur tu damna vides & mente recondis,
Aptaque vindictæ dextera tela gerit:
Præſidio tenuem, tutelâ protegis orbum,
Sentit uterque tuam, dum furit hoſtis, opem.
15 Perde truces, ſcelerum cæſis auctoribus, ipſum
Perde nefas, ſceleri ne ſit in orbe locus.
16 Tu ſceptrum ſine fine geris, gens impia peſſum
Ibit, & ex imâ ſtirpe reciſa ruet.
17 Supplicis exaudis gemitus & pectora firmas,
Et pronâ miſeri ſuſcipis aure preces.
18 Tu, Deus, afflictos, patribus tu protegis orbos,
Hoſtica nec quiſquam, te duce, tela timet.

PSAL. XI.

NUmine cur fretus jubeor juga linquere nota,
Ut volucris trepido cùm fugit icta metu?
2 Impius en arcum ſinuat, ſociataque nervo
Per ſcelus, inſontem cæca ſagitta petit.
3 Legibus exſtinctis, quo ſe mens candida vertet?
Heu pietas quid ſe quo tueatur habet?
4 At pater omnipotens ſolio ſublimis ab alto
Adamidum vigili lumine facta notat.
5 Dum probat inſontes, odio ſectatur iniquos,
Quoſque juvant fraudes, bella, rapina, neces.
6 Sulphur in hos & turbo ruent, vibratus & ignis
Deſuper; hæc merces impietatis erit.
7 Nam pater æthereus fons jugis & arbiter æqui
Jus amat, & placido reſpicit ore pios.

PSAL. XII.

FEr, Deus, auxilium; pietas, en adſpice, terras
Sanctaque ſimplicitas liquit & alma fides.
2 Quiſque per inſidias ſocium fallacibus umbris
Lactat, & indignis mancipat ora dolis:
Candor abeſt omnis, nec menti conſona vox eſt;
Hæc ubi blanditur, concipit illa nefas.
3 At Deus exſcindet dulci lita labra veneno,
Quæ fera jucundo toxica melle tegunt:

Eruet

Eruet & linguam vano quæ grandia typho
Efflat, & ampullis ambitiosa tumet.
4 Obruet artificem sceleris, qui frena pudoris
Excutiens, linguas nunc acuamus, ait;
Nos penes imperium est linguæ, vocisque potestas;
Libera quis duros mittat in ora lupos?
5 At Deus excitus miserûm clamoribus, ultor
His ego suppetias, inquit, opemque feram:
Quamque dolis armata premit violenta tyrannis,
Auxilio pietas tuta futura meo est.
6 Pura Dei vox est, argenti fusilis instar,
Igne quod admoto septima testa probat.
7 Hostis ab insultu, rerum pater, asserе justos;
Excubiasque sacro pro grege semper age:
8 Impia progenies nos obsidet undique, viles
Dum finis & fœcem plebis honore frui.

PSAL. XIII.

QUò, Deus, usque mei capient te oblivia? Vultum
Durus & aversus quò, pater, usque teges?
2 Quò miser usque ferar dubiis? Luceisque fatigans,
Quò dolor, hostilis quò premet usque furor?
3 Adspice res lapsas, facilem da planctibus aurem;
Luce retrospectans da propiore frui:
Optatum mox redde jubar; mihi lumina somno
Perpetuò ne mors invidiosa premat:
4 Ne sine fine meis insultet cladibus hostis,
Et me prostrato gens fera cantet Iô.
5 Es mihi tu vitæ spes & tutela salutis,
Et tuus afflicti pectora lenit amor:
6 Ergò tuas laudes referam cœlestibus hymnis,
Et mihi te facilem propitiumque canam.

PSAL. XIV.

NUminis extincto sensu, gens stulta virorum
In cœlo nullum somniat esse Deum:
In scelus omne ruens confundit fasque nefasque
Perdita, nec justum quem vocet orbis habet.
2 Desuper æthereo prospexit lumine terras
Rerum opifex, famulam qui pede calcat humum;

Luſtravitque genus mortale, ut diſceret ecquis
Senſus in orbe foret numinis, ecquis amor.
3 Sed ſimul in præceps omnes lymphaticus error
Egerat, & ſcelerum pernicioſa ſitis:
Fugerat hinc pietas, nec qui ſine crimine vitam
Tranſigeret, de tot millibus unus erat.
4 Plebis an ignorant proceres ſe ſanguine paſci,
Ceu dape; nec ſuperûm ſolvere vota patri?
5 At Deus inſontes clypeo qui protegit, olim
His quatiet ſubito corda profana metu.
6 Hei mihi! conſilium ridet gens impia juſti,
Nempe quòd in Domino ſpem locat ille ſuo.
7 O precor! auxilium ſacrâ de rupe Sionis
Fulgeat, & priſco fœdere pacta ſalus;
Vincla Deus reduci populo cùm demſerit, hymnos
Tollet in aſtra Sion, Abramidûmque domus.

PSAL. XV.

TElluris cœlique ſator, tentoria tecum
Quis tua, quis montis culmina ſacra colet?
2 Cui mens labe vacans, legi cui conſona vita eſt,
Pectora perfidiæ neſcia, lingua doli.
3 Felle caret, nec obeſt ſocio, nec dulcis amici
Nomen in opprobrium ludibriumque trahit:
4 Deprimit oſorem, cultorem numinis effert,
Nec ſua ſollicitant fallere damna fidem.
5 Nec premit uſurâ tenuem, nec prodere cogit
Innocuos auri pernicioſa fames:
Hæc quicunque poteſt, ſtat nullo mobilis ævo,
Et colet æternùm templa ſacrata Deo.

PSAL. XVI.

PRæſidio dextrâque tuâ me protege, rerum
Conditor, in te ſpes certa repoſita mihi eſt.
2 Te, Deus, agnoſco Dominum, nullius egenum,
Quem nequeo cultu demeruiſſe meo:
3 Si qua tamen ſtudioſa tui gens luminis aurâ
Veſcitur, hanc ſtudio proſequor uſque pio;
Altiùs humanis ſi quis caput extulit, illum
Dulce mihi eſt famulâ ſuſtinuiſſe manu.

4 At ſpreto quicunque Deo ſimulacra deorum
Muta colunt, pœnas, quas meruêre, luent:
Abſit ut his ſociem cœptis immanibus aras,
Noſtra vel infando dextra cruore litet;
Abſit ut hæc memorans os ſe contaminet, aures
Abſit ut offendant nomina læva meas.
5 Summa meæ ſortis Deus eſt, cuſtoſque fidelis;
Sufficit hic largâ præmia læta manu:
6 Hæredi mihi ſignat agrum, qui mille renidens
Lautitiis, domino gaudia mille parit.
7 Tolletur me vate Deus ſuper ætheris orbes;
Hujus ego nutu conſilioque regor:
Hujus & afflatu ſacras præcordia flammas
Concipiunt, pulsâ nox ubi luce redit.
8 Hunc oculis, hunc mente fero ſine fine; ruina,
Hic modò ſit dexter, nulla timenda mihi eſt.
9 Geſtiet ergò mihi mens & cum pectore lingua,
Nec deerit tumulo ſpes animoſa meo:
10 Nam neque permittes animam, pater alme, tenebras
Inter in infernâ ducere valle moras;
Nec tibi dilectum tumuli ſub fornice putres
Pulveris in ſordes durus abire ſines.
11 Ad tua ſecurum me duces atria, paſſus
Tu face cœleſti per loca ſenta reges:
Mille tuos vultus comitantur gaudia, vitæ
Delicias omnes dextra perennis habet.

PSAL. XVII.

SAncte parens aurem juſtis adverte querelis,
Votaque ſuſpecti ſuſcipe pura doli.
2 Quod jus faſque jubent tandem decerne, ſereno
Æquus & è ſolio deſuper æqua vide.
3 Tu, Deus, egiſti cenſuram; noctis in umbra
Pectoris & judex interioris eras:
Nil tamen hic acies tua noxæ repperit, uri
Scilicet injeci ſtricta lupata meo.
4 Legis ad obſequium ſatago dum flectere mores,
Quas teneant didici viſque doluſque vias.
5 Ne mihi quam monſtras linquatur ſemita vitæ;
Ne pede vacillem, tu Deus uſque præi.

6 Te, Deus, oravi, te tangent vota precantis;
Auſcultans famuli fac rata vota tui.
7 Da mihi te facilem, famulos qui vindice dextrâ
Protegis, hoſtiles cùm cecinêre tubæ.
8 Me tege pupillam veluti; me conde ſub alis,
Præſidii tutum præſtet ut umbra tui.
9 Undique me cingit crudelis & ingruit hoſtis;
Hic gazas, jugulum per ſcelus ille petit.
10 Omnibus ora nitent, turgent abdomine ventres;
Ipſaque, dum ſpirant funera, verba tument.
11 Quà ſeror, obſervant greſſus, inſtantque premuntque;
Utque vorent, ſævo lumine facta notant:
12 Sic cervum veſtigat hians immanè leæna;
Sic oculo paſſus inſidiante legit:
Non aliter capream de rupe leunculus altâ
Signat & obſervat, quà fugit illa, viam.
13 Surge, Deus, præverte nefas, quod parturit hoſtis
Impius; hunc miſſo fulmine dede neci.
14 Eripe me dextris, quas caſtigare nocentes,
Aptaque vindictæ ſpicula ferre jubes:
Da, precor, imbellem ne me premat improba mundi
Colluvies, nimias quæ natat inter opes:
Das illi tellure frui, dapibuſque ſaginas,
Quas tibi de cornu divite fundit humus:
Succedit loculis proles numeroſa paternis,
Arvaque diſcinctus ſulcat avita nepos.
15 Aſt ego cùm ſurgam redivivus, fæce ſepulcri
Depoſitâ, vultu perfruar uſque tuo;
Hac lucem de luce traham, radioſque perennes:
Hîc fructus, merces hæc pietatis erit.

PSAL. XVIII.

TU mihi delicium es, Rex ô cœlique ſolique;
Me tua cœleſti dextera fulcit ope.
2 Tu Deus & vindex & pluſquam adamantina rupes,
Tu columen vitæ præſidiumque meæ es:
Spes mea te clypeo, te ſolo fidit aſylo,
Durabſque tuo robore fulta ſalus.
3 Te precibus, votiſque colam, cui debita laus eſt:
Hoſtis ab inſidiis ſic ego tutus ero.

4 Me

4 Me dolor obſedit lethi, me terruit ingens
Gurges, & infandis lerna referta malis ;
5 Undiquę terrificus tumuli circumſtetit horror,
Et laqueis hæſi, mors truculenta, tuis :
6 Fluctibus è mediis, & lethi faucibus atris
Ad Dominum ſupplex vota Deumque tuli;
Ille preces humiles ſuperâ ſuſcepit ab aulâ,
Et facili planctum ſupplicis aure bibit.
7 Mota fuit tellus, nutârunt vertice montes,
Imaque cum ſummis plena tremoris erant.
8 Naribus efflavit nebulas Deus excitus irâ,
Cunctaque flammantes volvit ab ore faces.
9 Æthere diducto, ſolio deſcendit ab alto,
Nubila ſidereos implicuêre pedes.
10 Ventorum volucres humeris circumdedit alas,
Scandit & ætherei flammea terga chori.
11 Quàque volat nubes glomerans ſe condidit umbris,
Et circumfuſis undique texit aquis.
12 Ut jubar admovit, cœpêrunt hiſcere nubes,
Igne micare polus, grandine terra quati.
13 Ore Deus ſacro tonuit, mox grandine mixta
Fulmina cœleſti deſilière domo.
14 His jaculis pavidos disjecit & obruit hoſtes,
Ultrici geminans ignea tela manu.
15 Ut Deus increpuit, pelagi ſe pandit abyſſus,
Aruit & refugas alveus inter aquas :
Ut rutilos patulis efflavit naribus ignes,
Icta metu latebras ima recluſit humus.
16 Deſuper auxilium tulit, & me mille ſepultum
Fluctibus exſertâ ſuſtulit ille manu.
17 Cumque calens irâ premeret me fortior hoſtis,
Hic mihi de cœli vertice miſit opem.
18 Straverat incautum gens impia rebus in arctis,
Hic baculo nixum ſurgere juſſit humo.
19 Carceris obſeptum tenebris eduxit in auras
Ætheris ; hoc patrii pignus amoris erat.
20 Præmia conceſſit recti moderator & æqui,
Quæ meruit pietas & ſine labe manus:
21 Præbuit obſequium legi ſincera voluntas,
Conſcia nec ſceleris menſve manuſve fuit.
22 Ante oculos lex ſemper erat, nec in æquoris undas
Sculpta Dei digitis juſſa tulêre Noti.

23 Mens

13 Ne tumeat, ſceleri fac ne ſe mancipet ; hydris
Mille repurgatis, ſic ego purus ero.
14 Suſcipe quæ promo, tacitâ vel mente voluto:
Quod vivo & vigeo, munus id omne tuum eſt.

PSAL. XX.

REbus in anguſtis pateant tibi numinis aures,
Magnus & Iſacidûm ſit tua parma Deus.
2 Advolet ex adytis cinctus victricibus armis,
Et ferat è ſacrâ rupe Sionis opem.
3 Sitque memor, donis quoties cumulaveris aras,
Donaque promiſſo deſuper igne probet.
4 Mollibus adſpiret Zephyris & vota ſecundet,
Sitque ratum quidquid mens ſine labe petit.
5, 6 Sic ubi tu voti compos ſervabere, paſſim
Vindicis exſtabunt læta tropæa tui :
Annuet optatis Deus ; &, me vate, miniſtri
Quem ſibi ſacravit proteget ille caput:
Illius è ſuperæ ſacris penetralibus aulæ
Auris erit votis pervia, promta manus.
7 Ille rotis, hic fidat equis & fortibus armis ;
Supplice nos Domino fundimus ore preces:
8 Illa jacet gens ſtrata ſolo ; nos robore firmo
Numinis erexit, ſuſtinuitque manus.
9 Magne parens rerum, patriæ tu protege patrem,
Et populi votis annuat ille ſui.

PSAL. XXI.

QUàm, pater alme, tuo Rex plaudet numine fultus!
Clamabit quoties, te duce, victor Iô!
2 Tu rata feciſti tacitâ quæ mente popoſcit,
Vana nec alipedes verba tulêre Noti.
3 Prævertêre preces opulentæ munera dextræ,
Gemmiferùm cinxit cùm diadema comas.
4, 5 Ut vitam petiit, vitam ſine fine dediſti,
Et te perpetuus vindice crevit honos.
6 Hoc tu felices feciſti Rege tribules,
Luce tui vultûs geſtiit ille frui.
7 Quâque priùs fidit tua ſemper gratia præſto eſt,
Dirigit & greſſus, nec titubare ſinit.

8 Præda

8 Præda cadent odiis armati triſtibus hoſtes,
Induet & manicas gens ſcelerata tuas:
9 Te, Deus, accenſo, ſcintillans ſulphure fornax
Hauriet hanc, fervens & teget ora cinis:
10 Arva ſuas meſſes, fœtus quoque ſubtrahet arbor;
Et genus ex iſto ſemine nemo trahet.
11 Scilicet occultâ gens hæc te fraude petivit,
Verſa ſed in fumum fraus truculenta fuit.
12 Ergò ſequeſtratam meritâ tu cuſpide figes,
Strictaque jam vindex ſpicula nervus habet.
13 Exſtere tu vires; æquata potentia cœlo
Carmen erit nobis, laudis & ampla ſeges.

PSAL. XXII.

AH, Deus, ah me cur liquiſti! ululatibus aures
Cur, procul abſcedens, ſubtrahis uſque meis?
2 Te noctu, te luce voco; ſed nocte dieque
Tu famuli duræ negligis aure preces.
3 Ad pia vota, Deus, pelagi tu ſurdior undâ es;
Sanctus es ipſe tamen, templaque ſancta colis.
4 Numine fulta tuo Solyme ſtetit, inter & hoſtes
Te domus Iſacidûm vindice tuta fuit.
5 Admovêre preces, tua juvit dextra precantes;
Nec ſpes erubuit numine nixa tuo.
6 Nulla mihi jam forma viri eſt; ah! reptilis inſtar
Calcor, & opprobriis undique mille petor.
7 Qui ſpectator adeſt, ridet, ringitque, caputque
Quaſſat; & hæc in me ſannio probra facit;
8 Ille Deo fidit; nunc, cui ſe credidit, illi
Sit Deus auxilio, ſi quid amoris habet.
9 Me tamen, alme parens, traxiſti matris ab alvo;
Tu quoque lactenti ſpes mihi dulcis eras;
10 Me tua ſuſcepit naſcentem dextera, cunas
Texit ab inſidiis mox tua cura meas.
11 Ne procul abſcedas; cervicibus imminet hoſtis;
Ah! niſi tu dederis, nil mihi reſtat opis.
12 Mille truces cingunt & limant cornua tauri,
Quos dape Batanis lauta ſaginat humus:
13 Rictibus horrendi pandunt immanibus ora;
Truci leo balantes ſic rugit inter oves.

14 Instár aquæ fluitant artus, compage solutâ;
Liquitur & ceræ cor mihi more novæ.
15 Arescit ceu testa vigor, vox faucibus hæret;
Et mihi jam tumulum jussa recludit humus.
16 Infesti cinxêre canes, & sanguine gaudens
Turba; manus fossas ære pedesque vides.
17 Ossa miser numerem; tamen his fera luminæ pascit
Cladibus insultans gens scelerata meis.
18 His spolium cessit, me qui velabat, amictus;
Et lis de tunicâ sorte diremta fuit.
19 Spes vitæ columenque meæ, ne longiùs abista;
Quam potes adfer opem, nectere parce moras.
20 Ensibus infandis, quibus impetor, eripe vitam;
Circumlatrantes undique pelle canes.
21 Dextera fulmineo tua comprimat ora leoni,
Exuat & cornu munocerota truci.
22 Fratribus ergò meis, populi spectante coronâ,
Ut decet, invicti numinis acta canam.
23 Facta Dei laudent quibus est reverentia cœli,
Isacidûmque tribus, Abramidûmque genus.
24 Ille nec afflictos est dedignatus; egenis
Ora nec avertit, clausa nec auris erat.
25 Illius attollam laudes, & dulce putabo
In medio populi solvere vota choro.
26 Se saturabit inops; factum mens numine freta
Efferet, æternis mox fruitura bonis.
27 Accurrent populi memores à finibus orbis,
Seque simul sternent illius ante pedes.
28 Ille manu forti rerum moderatur habenas,
Sceptraque quot vesper, quotquot & ortus habet.
29 Hunc colet auctorem rebus qui floret opimis,
Expletus dapibus, lautitiisque meris:
Proximus & tumulo supplex dabit oscula plantis;
Hoc sine nam frustrà languida membra leves.
30 Serviet & soboles cœlo devota, Deoque
Sub duce, militiæ pars erit una sacræ.
31 Discet & ex illâ proles ventura favorem
Numinis, & dextræ cuncta regentis opus.

PSAL.

PSAL. XXIII.

BLandus ut upilio me paſcit conditor orbis;
Ne mihi quid deſit, providus ille cavet.
2 Dat ſatur ut recubem pratorum in gramine molli,
Ducit & ad rivos lenè ſonantis aquæ.
3 Cor recreat, rectique viam mihi monſtrat & æqui;
Illius ut laudes lætus in aſtra feram.
4 Non ego degeneri quaterer formidine, lethi
Ante oculos quamvis vallis opaca foret:
Tu, Deus, es præſto; baculo veſtigia firmans
Ne titubem, vires reſtituiſque meas.
5 Hoſte palam tu das plenis accumbere menſis,
Et mihi regales porrigis ipſe dapes:
Tu caput irroras ſucco felicis olivæ,
Sufficis & largâ pocula plena manu.
6 Me tua defendet bonitas, dum lumine veſcar;
Per ſalebras greſſus diriget illa meos:
Inque tuis adytis, rerum pater alme, morabor;
Hîc ubi perpetuò gaudia lætus agam.

PSAL. XXIV.

TErra Dei eſt, terramque ſinu qui ſuſcipit, orbis;
Quidquid & indigenûm terra vel æquor habet.
2 Illius æquoreis terram ſtabilivit in undis
Dextera, flumineas fixit & inter aquas.
3 Quem colit hic ecquis nitatur in ardua montis?
Ecquis ſacratâ ſiſtet in æde pedem?
4 Cui manus eſt inſons, cor purum, neſcia faſtûs
Mens; nec perjura eſt lingua, nec uſa dolo:
5 Hunc Deus auctor opis donis cumulabit opimis;
Et dabit electo cum grege recta ſequi:
6 Numinis ore frui quiſquis ſic ambit & ardet,
Solus hic Abramidûm ſe putet eſſe genus.
7 Pandite jam valvas, princeps & gloria Regum
En ſubit; æternas pandite templa fores.
8 Ecquis hic eſt Regum decus ingens? Robore pollens
Ille triumphali ventilat arma manu.
9 Majeſtas ſublimis adeſt, ſe ſponte perennes
Recludant aditus, excutiantque ſeras.

3 Non ego ferratas acies, nec ſtricta timebo
Spicula : cœleſtis ſpem mihi fulcit amor.
4 Ore Dei temploque frui, dum vita manebit,
Summa fuit voti, ſumma futura mei eſt.
5 Ille ſacris adytis bonus & penetralibus altis
Me teget ; & rupis, cùm premar, inſtar erit.
6 Ille, quibus cingor, ducibus me præferet ipſis :
Hunc celebrans aris debita tura feram.
7 Te, Deus, inclamo; facilis, Deus, annue votis:
Meque ſalutiferâ protege fortis ope.
8 Reſpice me ſolum dixiſti, juſſa peregi;
Noſtra tuo ſolùm mens avet ore frui.
9 Lumina deflectens famulum ne reſpue, triſtem
Ne fuge, qui vitæ ſpes mihi ſemper eras.
10 Me licet horreret pater & patris æmula mater,
Dextra tamen, ſpero, me tua tollet humo.
11 Tu, quod iter ſubeam, monſtra ; facilemque clienti,
Hoſtis ut evitem ſpicula, pande viam.
12 Subtrahe me populi furiis, qui crimine ficto
Me premit, immani ſpirat & ore minas.
13 Spem mihi tu reparas, venturæ gaudia vitæ
Dum recolo, & cœli quæ bona civis habet.
14 Fide Deo, firmaque fidem; ſunt præmia præſto:
Erigit & mentes ſuſtinet ille pias.

PSAL. XXVIII.

TE, Deus, imploro, mea vita; ſilentia rumpe
Ne peream, ceu qui ſe prope buſta videt.
2 Annue quæſitis, ferio dum ſidera planctu;
Ad tua dum ſupplex porrigo templa manus.
3 Sint procul artifices fraudum, qui blanda loquuntur,
Dum ſociis laqueos mens ſcelerata parat.
4 Redde parem meritis mercedem; crimine dignas
Fac Deus ut pœnas menſque manuſque luant.
5 Corruet, æthereæ quiſquis miracula dextræ
Non ſtupet, & nullâ reſtituetur ope.
6 Gloria ſit ſuperûm Regi qui ſæpè vocantem
Audiit, & memori condidit aure preces.
7 Hic rupes clypeuſque mihi eſt; hoc freta revixit
Languida mens, numeris hunc canet illa novis.

8 At-

8 Attulit hic quoties Regi quotiesque salutem?
Hic sociis quoties turris ahena fuit?
9 Custodi populumque bea, pater, instrue mensas;
Et soboli laura perpete cinge comas.

PSAL. XXIX.

NUminis, Heroes, sacras agnoscite vires,
Et quod sidereâ fundit ab arce jubar.
2 Quas sacra promeruit majestas pandite laudes,
Quæque decet templi figite dona tholis.
3 Eminùs auditur Deus inter nubila, latè
Dum tonat, effusis dum fata mergit aquis.
4 Alta Dei quantâ vox majestate coruscat!
Fulminis in morem quàm violenta ruit!
5 Frondeus hâc Libani vertex nudatur, & ingens
Diffilit horrisono verbere fracta cedrus:
6 Hâc juga subsultant, veluti stimulante juventâ
Bucula per silvas, munoceroſque levis:
7 Hujus & imperio rutilat polus igne minaci,
Crebraque diſruptâ fulmina nube volant.
8 Icta metu deserta tremunt, nemorumque recessus,
Tesquaque montanis vix habitanda feris.
9 Mollibus hæc damis sobolem, silvisque decorem
Excutit; his templum laudibus omne sonat.
10 Frenat aquas pelagi Deus & dominatur in undis,
Nec decus imperii terminat ulla dies.
11 Ille suo populo vires, pacisque beatæ,
Hostibus elisis, otia læta dabit.

PSAL. XXX.

QUi mea victrici velâsti tempora lauru,
Te, pater omnipotens, & tua facta canam.
More triumphantis, nostris ne cladibus hostis
Nequiter insultet, muneris omne tui est.
2 Te, Deus, implorans implevi questibus auras;
Nec mora, cœlesti sum relevatus ope.
3 Me tuus è tumulo favor & pallentibus umbris
Eruit, optatum restituitque diem.
4 Dic laudes, gens sancta, Deo; dic supplice grates
Pectore, sidereos ante voluta pedes.

5 Illius

5 Illius hibernâ fugit ira citatiùs horâ,
Unus & eſt vitæ perpetis ille parens:
Me quibus involvunt nocturna crepuſcula, triſtes
Curarum nebulas diſcutit orta dies.
6 Cum freta ſulcarem ventis felicibus, alnum
Concutiet, dixi, nulla procella meam.
7 Spem mihi firmâsti, muri, Deus, inſtar aheni:
Spes abiit, vultûs te retrahente jubar.
8 Rebus in acciſis, tenſis ad ſidera palmis,
Hæc mihi, nam memini, fuſa querela fuit:
9 Quid juvat exitio caput hoc depoſcere? Noſtræ
Quis necis & fuſi ſanguiſſis uſus erit?
Tene, fidemve tuam cineres cantare repoſti,
Solvere vel grates muta ſepulcra queunt?
10 Me pater exaudi, famuli bonus annue votis;
Et pactam propera ferre benignus opem.
11 Tu facis ut lacrimis ſuccedat riſus; amictu
Tu pro lugubri coccina ferre jubes:
12 Ergò, poli dum luce fruar, tibi carmina pangam;
Factorumque recens gratia ſemper erit.

PSAL. XXXI.

ARx mea, te fidi, facto pudor abſit! & æqui
Arbiter, alme parens, dum premor adſer opem.
2 Eja age rumpe moras, inclina leniter aurem;
Unica tu rupes, turris & una mihi es.
3 Spes vitæ columenque meæ, tu dirige greſſus,
Et majeſtatis da documenta tuæ.
4 Exue me pedicis, mea vis, quibus implicor inſons;
Et clandeſtinis eripe, quæſo, dolis.
5 Tutelæ me credo tuæ, dextræque fideli
Hanc animam, vitæ fons & origo meæ.
6 Hunc ego qui fraudes concinnat abominor; unum
Te ſequor, in te ſpes certa repoſita mihi eſt.
7 Me tua ſolatur bonitas; tu lumine juſto
Adſpicis ærumnas quas ſine fine tuli.
8 Solvit & hoſtiles tua rupit dextra catenas,
Enſibus obſeſſas explicuitque vias.
9 Mitis ades, fractumque malis bonus erige; mentem
Torpor habet, macies viſcera, ruga genas.

10 Vix

PSAL. XXXII.

10 Vita mihi gemitu, lacrimis conſumitur ætas;
Diſſipat & vires, rodit & oſſa dolor.
11 Hoſtibus opprobrium, vicinis fabula vixi,
Et quibus occurri civibus horror eram.
12 Non magis exſtinctos mergunt oblivia, vilis
Nec magis eſt teſtæ lamina ficta luto.
13 Oſſa tremunt, proceres dum cerno dira minantes,
Et conjuratas in mea fata manus.
14 Te tamen adſpecto, Deus, & mens arma minaſque
Deſpicit hoſtiles numine nixa tuo.
15 Lubrica tu fragilis diſpenſas tempora vitæ;
Hoſtica nunc jugulo ſpicula pelle meo.
16 Prome jubar, vultuſque tui me luce ſerena;
Et fer opem, per te, te, pater alme, rogo.
17 Ne mihi ſit probro pietas aut vota vocanti;
Buſtaque perverſis ora pudenda premant.
18 Muteſcat gens fraudis amans, quæ turgida faſtu
Sævit & inſontes dente proterva petit.
19 Quanta ſequeſtravit bonitas tua præmia juſtis!
Quàm fuit & famulis dextra benigna tuis!
20 Dum faſtu, dum felle tumens furit impius hoſtis,
Hos arcana tuæ protegit umbra domûs
21 Hæc tua laudetur bonitas mirabilis orbi,
Quæ mihi præſidium, turris & inſtar erat.
22 Mentis inops vultum tę ſubtraxiſſe querebar,
Sed famuli votis auris aperta fuit.
23 Ergò Dei vos urat amor, pia pectora; merces
Ampla pios, faſtum debita pœna manet.
24 Perdurate Deo ſpem qui fixiſtis in uno,
Viribus & mentes inſtruet ille novis.

PSAL. XXXII.

FElix cui ſcelerum nævos Deus eluit, umbrâ
Cui ſuperinductâ facta nefanda tegit:
2 Felix cui noxas non imputat arbiter æqui,
Cujus & eſt nullo mens maculata dolo.
3 Vulnera dum celans fremerem ſine fine modoque,
Oſſibus obrepſit ſicca ſenecta meis.
4 Me manus afflixit tua, ſeu ſol promeret orbi,
Seu premeret roſeum nox revoluta diem:
Squallebant reſides venis marcentibus artus,
Ut Canis arenti ſidere toſta ſeges.

5 At simulac morbumque tibi culpamque retexi,
Et scelerum tortas multiplicesque vias;
Desuper affulgens omnem clementia labem
Sustulit, & veteris femina prima mali.
6 Gens igitur te sancta colet, sata tempora servans,
Tu quibus, alme parens, inveniendus eris:
Hæc quoque, ne dubites, habit secura ruinæ,
Tota licet tellus obrueretur aquis.
7 Tu mihi præsidium es; mala tu, quibus impetor, arce:
Lætus & auxilio fulcior usque tuo:
8 Quin, ais, &, cæcæ depellens nubila mentis,
Luce tuos gressus præradiante regam.
9 Abiit equi, vel te muti stupor occuperet una
Quos, cum judicium desit, habena domat.
10 Mille neces scelerum, superi clementia Regis
Justitiæ merces & pietatis erit.
11 Exsulta, cui pura manus, cui candida mens est,
Et Dominum spectans gaudia lætus age.

PSAL. XXXIII.

SAncta cohors, fer læta Deum super æthera grato
Carmine: grata decet pectora ferre pios.
2 Illius & citharæ celebrent & nablia laudes,
Et quod bis quino stamine tinnit ebur.
3 Ede novos cantus, &, Iô ter voce sonorâ
Ingeminans, Domino pange perenne melos.
4 Facta Dei fas labe vacans comitatur & æquum,
Verbaque sunt ipsâ candidiora nive.
5 Jus amat hic, pectusque legit sibi criminis expers;
Illius & donis tota redundat humus.
6 Ille poli volucres verbo contexuit orbes,
Quotquot & igne micans agmina campus habet.
7 Illius ad nutum pelagus confluxit, & alto
Gurgite collectas clausit abyssus aquas.
8 Hunc metuant quos sol oriens, quos lumina condens
Adspicit, & gemino terra sub axe tremat.
9 Os Deus ut pandit, se mundi sustulit ingens
Machina, quam dextrâ sustinet usque suâ.
10 Impia sacrilegæ diffiat molimina turbæ,
Quosque piis nectit mens scelerata dolos.

11 Quo

11 Quod ſtatuit, ſanxitque ſemel, vis nulla revelles,
Nullaque mutabit diſjicietve dies.
12 Eſt felix populus, cœli ſcribetur & heres,
Sincerâ Dominum qui pietate colit:
13 Qui regit imperio terras, & ſidera nutu,
Humanum ſuperâ ſpectat ab arce genus:
14 Spectat ab aſtriferæ ſacris penetralibus aulæ,
Qui terras habitent oceanique ſinus.
15 Ille opifex rerum mortalia pectora finxit,
Excutit & quidquid mens latebroſa tegit.
16 Denſa nec armatos defendunt agmina Reges,
Nec ſtat turba potens viribus ipſa ſuis.
17 Futilis eſt ſonipes exſpirans naribus ignes;
Illius incaſsùm robore fidit eques.
18 Fert Deus unus opem, placido dum lumine juſtos
Adſpicit, & ſanctis undique vallat iter.
19 Ille pias animas medio de gurgite lethi
Eripit, infeſtam pellit & ille famem.
20 Quidquid ineſt animi nobis huic ſerviat uni;
Hic clypeus vitam quo tueamur erit.
21 Gaudia concipiet mens, quæ, jactata periclis,
Semper ab illius læta pependit ope.
22 Nunc precor, alme parens, adſpira mitibus auris;
Noſtra tuo ſiquidem pendet ab ore ſalus.

PSAL. XXXIV.

NUminis attollam laudes, grateſque rependam,
Hâc ego dum cœli, quam traho, luce fruar.
2 Freta Deo mens læta Deum jactabit amicum;
Geſtiet exemplo gens pia docta meo.
3 Cœleſtes animæ, devotaque pectora mecum
Illius unanimi tollite voce decus.
4 Supplicis ille preces ſuſcepit promtus; & omnem,
Cor ubi diriguit, depulit ille metum.
5 Vir pius hunc ſpectans accurret & obvius ulnis
Excipiet, pudor huic & procul omnis erit.
6 Sedibus è ſuperis miſeri, quem conſpicis, ille
Audivit gemitus, auxiliumque tulit.
7 Agminis aligeri cingit cuſtodia juſtos,
Et ſacra cœleſti caſtra tuetur ope.

8 Cerne oculis, devota cohors, & ſenſibus imis
Percipe, quàm veſtri flagret amore Deus:
O ter felicem! Dominum qui ſuſpicit unum,
Præter & hunc nullum quem veneretur habet.
9 Flecte genu gens ſancta Deo; nil deficit illi,
Hunc Dominum quiſquis ſupplice mente colit.
10 Sæpè fames ipſos domat importuna leones;
Plena tamen juſtis copia ſemper adeſt.
11 Huc ades, auſculta ſoboles mihi cara, vereri
Ut diſcas Domini, me duce, juſſa tui.
12 Dulcibus illecebris longi qui duceris ævi,
Qui cupis auratos & ſine nube dies;
13 Os freno cohibe, validis preme labra lupatis,
Lubricus ingenuo ſit procul ore dolus:
14 Pone modum ſceleri, tantùm ſectare quod æquum eſt,
Et niveâ ſtudium ſit tibi pace frui.
15 Rerum opifex placido dignatur lumine juſtos,
Et caſtas facili ſuſcipit aure preces:
16 At ſceterum ſocios ſic fulmine diſſipat iræ,
Nullus ut his toto reſtet in orbe locus.
17 Prona Deo eſt ſemper juſtorum queſtibus auris,
Inque repentinis dextera promta malis.
18 At Deus huic præſto eſt, vitæ quem turpiter actæ
Pœnitet, occulto torret & igne dolor:
Hunc teget & mediis vindex ſervabit in undis,
Cui mens eſt humilis, vitaque fracta malis.
19 Mille pium clades circumſtant, mille pericla;
Sed tegit hunc ſuperi provida cura patris:
20 Eſt Deus huic cuſtos, & tutelaribus armis
Vim prohibens omnem non ſinit oſſa teri.
21 Artifici damnoſa ſuo fraus fraude peribit,
Quæque pios odit turba repente ruet:
22 Devotas animas rerum ſator aſſeret olim,
Deque ſacra nullum gente perire ſinet.

PSAL. XXXV.

1 OCiùs affulgens pro me, pater optime, litem
Suſcipe, cum ſævo confer & hoſte manum.
2 Indue te clypeo, cinctuſque potentibus armis,
Sta propè, neque tuâ protege victor ope:

3 Hoſtis

3 Hoſtis & ut furiis obſiſtas, ſume bipennem :
Dic mihi, dic animæ, Me duce ſoſpes eris.
4 Fabula ſit noſtri ſitiens gens dira cruoris,
Tergaque det turpi turba doloſa fugæ:
5 Diſſipet hanc ſummi miſſus de vertice cœli
Angelus, ut paleas ventilat ira Noti :
6 Lubrica cingantur tenebris veſtigia cæcis,
Quàque fugit, vindex Spiritus enſe premat :
7 Hæc foveam, caſſeſque mihi nil tale merenti
Struxit, & occulto vita petita dolo eſt ;
8 O precor! incautum mors caſſibus implicet hoſtem,
Inque ſuas foveas cernuus ipſe ruat !
9 Tunc ego gaudebo cœleſti vindice tutus ;
Ille voluptatis fons mihi jugis erit.
10 Mens ſecum, Deus, Ecquis ait par eſt tibi ? Fortem
Puſio prædonem, te duce, vincit inops.
11 In me ſtrinxit atrox acuitque calumnia dentes,
Finxit & ignoti criminis eſſe reum ;
12 Penſavit benefacta malis gens hoſtica, vitæ
Struxit & inſidias perniciemque meæ :
13 Hâc tamen ægrotâ junxi jejunia votis,
Et caput obſtipum, veſtis & atra fuit ;
14 Non magè lugubris mors exſpirantis amici,
Funera nec fratris, nec genitricis erant :
15 Sed damnis gaviſa meis gens ſæva minaxque
Clam coit, & vulgi rictibus uſque petor ;
16 Subdola mordaces inter convivia riſus
Ah! movet, & dentem ſannio dente terit.
17 Quò Deus uſque premi famulum patiêre? Leoni
Ecqua dies animam ſubtrahet, ecqua malis ?
18 Mille tibi grates, populo ſpectante, rependam ;
Audiet & laudes femina virque tuas.
19 Abſit ut inſultet noſtris injuria damnis !
Impia gens oculo vel petulante notet !
20 Illius alloquiis amor & pax exſulat omnis,
Et ſtruit in placidos mens mala mille dolos :
21 Oraque me contra pandens ſcurriliter, Euge!
Euge! ait, optatâ nunc ego luce fruor.
22 Hæc, pater, adſpectans taciturna ſilentia tandem
Rumpe, patrocinio meque tuere tuo :
23 Eripe te ſtratis, oculos, Deus, exue ſomno;
Meque tuo vindex & mea ſiſte foro;

24 Sub-

24 Subjice cenſuræ mores : hoc deprecor unum,
Me victo ne gens hoſtica cantet Iô;
25 Ne ſecum ſic jactet ovans ; Mens læta triumphe,
En jacet everſus viribus ille meis.
26 Quem mea delectat clades, qui prælia mecum
Conſerit, huic turpet conſcius ora pudor.
27 Geſtiat inſonti quiſquis favet, oraque ſolvens
Prædicet hunc famuli cui pia cura ſui eſt.
28 Te, pater alme, canam, qui ſervantiſſimus æqui es ;
Nullaque non laudes efferet hora tuas.

PSAL. XXXVI.

AUctibus immenſis ſcelerum dum creſcere fibras
Conſpicor, & miris luxuriare modis;
Mens ait, Excuſſo legum gens impia freno
Se prodit vacuam numinis eſſe metu.
2 Ipſa ſibi plaudit, dum tandem nequiter acta
Pœniteat vitæ, diſpliceatque ſibi.
3 Impia vox illi eſt, fucataque ; neſcia veri
Mens ſtupet, & rectum devia linquit iter.
4 Nocte nefas animo verſat, nec crimina terrent ;
Dumque meat lævo tramite, recta fugit.
5 Magne opifex rerum ! tua te clementia cœlo
Inſerit, & nubes tranſvolat alma fides :
6 Vaſtius oceano ſolium eſt, & montibus altis
Firmius ; hoc homines, quadrupedeſque regis.
7 Quàm tuus eximius favor eſt ! Tu mollibus aliis
Protegis Adamidas, incubituque foves :
8 Te pandente manum dapibus ſaturantur opimis,
Reſtinguuntque ſitim flumine dulcis aquæ :
9 Sunt tibi vitales latices; tu lumine cinctus
Sidereo roſeâ pectora luce reples.
10 Qui te nôſſe cupit, lenem te ſentiat opto,
Juſtitiæque tuæ protegat umbra pios.
11 Abſit ut ambitio pedibus me proterat ! abſit
Sedibus excutiat me fera turba meis !
12 Auctores ſcelerum ſubitam traxêre ruinam,
Nec proclinatos eriget ulla dies.

PSAL.

PSAL. XXXVII.

NE freme, fulgorem gentis dum cernis iniquæ,
Candida nec cruciet pectora livor edax:
1 Concidet illa brevi, ſaccifi gramínis inſtar,
Deſluet & teneræ flaccida more roſæ.
3 Tu modò fide Deo, recti ſectator & æqui;
Ille tuam, lautas conferet ille dapes:
4 Arbiter ætherius tibi ſit mellita voluptas,
Et deſideriis annuet ille tuis:
5 Hoc duce carpe viam, mediis in fluctibus unum
Hunc ſpecta; portum, quem petis, ille dabit.
6 Illius auſpiciis probitas tua lumina ſolis
Æquabit, medio cum ſecat axe diem:
7 Mente Deum ſpecta placidâ, ſperaque; nec uret
Cor tibi, perverſis cum nimis aura favet:
8 Iræ pone modum, ruptis ne forſan habenis
In vitium præceps hâc ſtimulante ruas.
9 Ibit in exitium gens impia; numine fretus
Vivet, & huic ſedes terra perennis erit.
10 Parva mora eſt; gens prava ruet, fruſtraque nefandæ
Veſtiges ubi ſint rudera priſca laris:
11 Incolet interea terras, qui pectore miti eſt;
Hic ubi gaudebit divite pace frui.
12 Dum ſtruit occultas juſto gens impia techinas
Infremit, & dentem perfida dente terit:
13 Ridet at ætherea recti Deus auctor ab aula,
Exitii cernens non procul eſſe diem.
14 Impius eduxit gladium, lunavit & arcum,
Quo pius occumbat, quo juguletur inops:
15 Sed Deus hoc illi transfiget viſcera ferro,
Franget & ultrici cornua tenſa manu.
16 Sors juſti tenuis pompam ſupereminet aulæ,
Divitis & famulas ambitionis opes:
17 Hoſtibus elidet cœleſtis dextera vires;
Sinceræ vindex hæc pietatis erit.
18 Adſpicit ærumnas ſancti gregis arbiter orbis,
Illius & demto fine tuetur opes.
19 Ora pio nullus tinget pudor; affluet idem
Deliciis, reliquos dum premit atra fames:

20 Improba vaneſcet gens & difflabitur; agnæ
Sic abit in fumos igne peruſtus adeps.
21 Mutua dum ſumit, perſolvit debita nulli
Impius: eſt juſto ſemper aperta manus.
22 Quem beat & placidùm Deus adſpicit, incolet orbem;
Sed premet exoſos fœda ruina lares.
23 Sternit iter juſto rerum qui ſceptra gubernat,
Et probat hanc unam quam terit ille viam:
24 Labitur ille quidem, ſed ſic ut ſurgere poſſit;
Nam Deus infirmis porrigit ipſe manum.
25 Antè puer caræ pendebam matris in ulnis;
Nunc arat exſangues plurima ruga genas:
Non tamen affligi vidi ſine vindice juſtos,
Poſcere vel natos ore tremente dapes.
26 Larga piis ſemper manus eſt & dapſilis; olim
Sors quoque ter felix poſteritatis erit:
27 Ergò animum vitiis mox exue, recta ſecutus,
Stare diu in terris qui tua tecta cupis.
28 Juris amans Deus eſt, nec juſtum deſerit; illi
Semper adeſt: præceps cætera turba ruet.
29 Sors erit his tellus, quibus eſt reverentia legum,
Obruet & patrias nulla ruina domos:
30 Jugiter os illis rectum ſpirabit & æquum,
Et pia juſtitiam lingua ſub aſtra vehet.
31 Sancta Dei lex eſt imis infixa medullis;
Hæc vacillantes ſuſtinet una pedes.
32 Sævus in excubiis latitans his imminet hoſtis,
Et ſtricto jugulum cominùs enſe petit:
33 Sed Deus affulgens famulos tutabitur; umbris
Devotos miſeræ ſubtrahet ille neci.
34 Tu ſpera, pareque Deo; ſic ſtabis in altum
Evectus, coràm dum ruet hoſtis atrox.
35 Vidi ego, nam memini, ſcelerum florere miniſtros,
Ut viret in pingui laurus amœna ſolo:
36 In fumos abiêre tamen; veſtigia nulla,
Umbraque quærenti nulla reperta mihi eſt.
37 Sedulus obſerva juſtos, & reſpice finem;
Pax illis niveos claudet amica dies:
38 Impia colluvies hominum ſimul occidet omnis;
Et ſimul ex ipſa ſtirpe reciſa ruet.
39 Una ſalus juſto Deus eſt; hoc pendet ab uno
Vir pius, hoc clypeo ſeque ſuoſque tegit:

40 Muniet

40 Muniet hoc pectus, sceleratæque tela retundet:
Hanc sibi mercedem vindicat alma fides.

PSAL. XXXVIII.

NE famulum reprende, Deus, dum fervidus iram
Colligis, & justus ventilat arma furor.
2 Tu mea lethiferis fixisti pectora telis,
Et gravis afflictum jam tua dextra premit:
3 Fax iræ violenta tuæ depascitur artus,
Nec locus est plagis vulneribusque novis:
Ossa quatis luxasque mihi, compage solutâ;
Scilicet hæc sonti debita pœna fuit.
4 Obruor illuvie scelerum, ceu vortice sorptus,
Quoque premor nimium, prò dolor! urget onus.
5 Vulnera tabe fluunt, & spargitur undique virus;
Stultitiæ merces, justaque pœna meæ.
6 Curvus in invisam defigo lumina terram;
Lumina perpetuo quæ mihi rore madent:
7 Ulcere corrosos urunt incendia renes;
Nullaque pars morbo, nulla dolore vacat.
8 His fractus mersusque malis, ululatibus, unum
Quod supereſt, tetras lasso polumque meis.
9 Telluris cœlique sator, tibi nuncupo vota;
Tu mala quæ patior vix toleranda vides.
10 Cor trepidat, languent tremuli sine viribus artus;
Nox oculis, acie deficiente, natat.
11 Me fugiunt, quos junxit amor vel sanguis, amici;
Et spectatores non levis horror habet:
12 Imminet & jugulo strictis manus impia telis,
Et petor opprobriis, compositisque dolis.
13,14 Ast ego surdus ad hæc, ceu qui stupèt auribus orbus;
Et, ceu nulla foret vox mihi, mutus eram:
15 Nempe, parens rerum, spes in te nostra recumbit;
Suscipies famuli tu pia vota tui.
16 Annue, dicebam, votis, ne forte vacillem,
Hostibus & fiam fabula læta meis:
Annue, ne nostra quisquam de clade triumphet,
Et proclinatus prociduusque premar.
17 Succiduo jam penè miser sum poplite, præsens
Semper & ærumnæ tristis imago meæ est;

18 Judice te coram vitæ delicta fatebor,
Et tepido cernes imbre madere genas:
19 Hoſtica ſed numero ſuperans & robore pollens
Turba, meis vivit læta vigetque malis:
20 Inſontem premit hæc odiis; benefactaque pœnis
Compenſat, ſtudiis ſemper iniqua piis.
21,22 Ne me linque, Deus, nec te mihi ſubtrahe; vitæ
Sed columen famulo porrige promtus opem.

PSAL. XXXIX.

CAutiùs incedam, dixi, ne fortè vacillans
Audeat effari lingua proterva nefas:
Os mihi compeſcam freno, præſentibus illis
Quos juvat obliquo tramite prava ſequi.
2 Lingua diu ſiluit, juſtas nec protulit iras,
Quod mihi majoris cauſſa doloris erat:
3 Ignis ut incluſus tacitum cor arſit; in auras
Mox dolor erumpens talia dicta dedit:
4 Da, Deus, annorum numerum, momentaque vitæ
Futilis, extremum da mihi nôſſe diem:
5 Vita brevis, tecum ſi confers, æmula palmi eſt;
Et nihil, & nihilo ſi quid in orbe minus.
6 Horret iter tenebris, curarum mole gravatur
Pectus, & heredem neſcit avarus opum.
7 Quid mihi reſtat opis? Te fido, maxime rerum!
Anchora tu noſtræ, cum furit unda, rati es.
8 Eripe me noxæ, navos, pater, eluе; lædi
Ludibrio ſtolidi ne patiare gregis.
9 Cura fuit rigidis linguam frenare lupatis,
Tu quia fortunæ, quâ premor, auctor eras.
10 Tolle quod infeſtat, moderatiùs exige pœnas;
Ah! perii plagis vulneribuſque tuis.
11 Crimina dum plectis, formam, ceu tinea, rodis;
Ah! quàm mortales lubrica turba ſumus?
12 Suſcipe vota, meis aures adverte querelis;
Nec tetricus, lacrimas dum tibi fundo, file:
Scilicet extorrem patriis me cernis ab oris,
Et proavis tellus hæc peregrina fuit.
13 Pone tuas iras, & fractum robore pectus
Inſtrue, ſupremum funeris ante diem.

PSAL.

PSAL. XL.

SPe mihi non vanâ mentem fulcivit, & aures
Indulſit precibus qui regit aſtra meis.
2 Illius ex altâ bonitas me traxit abyſſo,
Juſſit & in ſolida figere rupe pedem.
3 Ille novos numeros famulo dictavit & hymnos,
Facta quibus ſuperi ſunt celebranda patris;
Audiet hos mundi gemino ſub cardine tellus,
Fidet & auctori tacta timore ſuo.
4 O felix Domino quiſquis ſpe firmiter hærens
Deſpicit elatos, artificeſque doli!
5 Quis miracla, Deus, tua quis benefacta retexat?
Mens hebet hæc verſans, promere lingua nequit;
6 Nec tibi cæſa placent, nec toſta piamina flammis;
Hoc tacitè vulsâ me, pater, aure mones.
7 En! Deus, en adſum! dixi; quò juſſeris ibo:
In tabulis proſtant nomina noſtra tuis.
8 Mens jubet obſequium rerum præbere parenti,
Æternùmque animo lex tua fixa manet.
9 Juſtitiæ monumenta tuæ cantata per orbem
Sunt mihi; nec, memini, vox taciturna fuit:
10 Tu mihi teſtis ades, non hæc ego pectore clauſi;
Sed fidei & partæ præco ſalutis eram:
Non ego celavi populum benefacta, nec illa
Fœdera, quæ nullo ſunt violanda die.
11 Ne mihi te ſubduc; ſed dum nitet ignibus æther,
Hinc tua me bonitas protegat, inde fides.
12 Obruor ærumnis, ſcelerum dum perfero pœnas;
Lumina nec fas eſt tollere victa malis:
Verticis iſta pilos ſuperant tormenta cruceſque;
Liquitur & nimiis mens ſuperata vadis.
13 Sit vitæ tibi cura meæ, dulciſſime rerum!
Et pede, ne peream, mox properante veni.
14 Omnibus opprobrio ſit, qui mihi dira minatur;
Hoſtis & obſcœnæ det citò terga fugæ:
15 Opprimat hunc clades, qui dentem dente fatigans
Nequiter, ah! riſu me petulante petit.
16 Geſtiat exſultans te qui ſibi quærit amicum,
Signaque lætitiæ det manifeſta ſuæ:

Quiſquis & auxilium te poſcit voce canorâ,
Dicat; Iô Domino ſit ſua laus & honos.
17 Sum miſer, ah fateor! tamen eſt tibi cura clientis;
Lenis ades, ſegnes ducere parce moras.

PSAL. XLI.

O felix inopem trutinâ qui penſitat æquâ!
Huic feret afflicto conditor orbis opem:
2 Hunc Deus incolumem rebus ſervabit in arctis,
Et dabit innubes & ſine nocte dies:
3 Hoſtibus eripiet, vireſque reſarciet ægro;
Ponet & in molli languida membra toro.
4 Adſer opem, dixi, Deus, ablue vulnera mentis;
Heu! tua majeſtas crimine læſa meo eſt.
5 Me petit opprobriis fera gens; &, Terminus illi
Ecquis, ait, vitæ, nominis ecquis erit?
6 Mellea vox illi eſt, ægrum dum viſit; at intùs
Quæ coquit, abſcedens dira venena vomit.
7 Turba calens odiis inter ſe murmure cæco
Muſſat, & inſontem tollere fraude parat.
8 En, ait, ille jacet, morbo confectus acerbo;
Occidet, & nulla reſtituetur ope.
9 Qui ſocius vitæque fuit menſæque jacenti
Imminet, & ſtratum calce ſubinde ferit.
10 Fer, Deus, auxilium, da poſſe reſurgere, digna
Hoſtibus ut referam præmia, parque pari.
11 Hoc, ubi ſacrilegis ſpes intercepta triumphi eſt,
Quem mihi voviſti, pignus amoris erit.
12 Me mihi tu reddens cœleſti numine fulcis,
Æternùmque tuo das pater ore frui.
13 Tu, Deus Iſacidûm, tibi, quas decet, aſſere laudes;
Sitque dies titulis nulla ſuprema tuis.

PSAL. XLII.

CErvus ut in medio celſis de montibus æſtu
Actus in algentes fertur anhelus aquas;
Sic mea vitali ſatiari numinis undâ
Mens avet, & Domini languet amore ſui,
2 Gaudet & optat amans vitæ ſe jungere fonti;
His mihi deliciis quæ dabit hora frui?

3 Dum

3 Dum ſine fine petunt ubi ſis cui ſervio numen,
Sunt miſero lacrimæ nocte dieque dapes.
4 Scandere me quoties memini penetralia ſacra,
Et longo populos ordine pone ſequi;
Aurea dum recolo miſſas ad ſidera voces,
Et plauſum, feſtis quem decet eſſe choris;
In lacrimas totus miſer & ſuſpiria ſolvor,
Inter & ærumnas eſt mihi dulce queri;
5 Cur ita turbaris? Cur te mens dejicis exſpes?
Cur ita me torques anxia? fide Deo:
Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus;
Et mihi materies unica laudis erit.
6 Dum queror, in mentem, liquidis Jordanis ab undis
Sepoſitiſque jugis, tu mihi ſæpè redis.
7 Gurgitis eſt gurges, rauci comes æquoris æquor;
Fluctibus infelix obruor uſque novis:
8 Luce ſed in media bonitas tua fulget abyſſo;
Nocte parens vitæ tu mihi carmen eris.
9 Tunc ego cur, dicam, capiunt te oblivia noſtri,
Rerum opifex! animæ portus & aura meæ?
Cur prope confectum curis, lacrimiſque ſepultum
Me finis immani durus ab hoſte premi?
10 Hic petit inſultans ubi ſis; ego vulneror inde,
Enſis & in morem permeat oſſa dolor.
11 Cur ita turbaris? Cur te mens dejicis exſpes?
Cur ita me torques anxia? fide Deo:
Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus;
Et mihi materies unica laudis erit.

PSAL. XLIII.

SIs mihi tu judex, Deus, & crudelibus obſta;
Subdola ne me gens, ne ſcelerata premat.
2 Es mihi tu rupes; ah! me cur rebus in arctis
Ablegas? ah! cur victus ab hoſte gemo?
3 Prome jubar, quo cuncta foves; hoc dirige greſſus:
Scandere da templi limina ſancta tui.
4 Tum mea te referet chelys, & proſternar ad aras;
Lætitias animæ deliciaſque meæ.
5 Cur ita dejecta es? Cur te mens anxia torques?
Cur gemis? Ætherei poſce parentis opem:

Huic

Huic ego festivo persolvam carmine grates;
Nec Deus hunc præter, quem sequar, alter erit.

PSAL. XLIV.

ARrectâ, Deus, aure tuæ miracula dextræ
Hausimus, antiqui quæ cecinêre patres:
2 Gentibus expulsis, simul & te vindice cæsis
Indigenis, tellus hostica cessit avis.
3 Non suus hos ensis felicibus intulit arvis,
Nec fuit humano robore parta salus:
Hos, pater armorum! peperit tua dextra triumphos;
Dilectique gregis lux tua rexit iter.
4 Te rerum Dominum, te Regem agnoscimus unum;
Fer Deus Isacidis, quam potes unus, opem:
5 Te duce cogemus subitò dare terga rebelles,
Et pedibus populos subdere colla truces.
6 Non ego vel gladio, levibus vel fido sagittis;
Nil gladius, nil me missa sagitta juvet:
7 Tu, Deus, hostiles fœdâsti pulvere vultus,
Imperioque tuo libera turba sumus.
8 Ergò tuas laudes omni celebrabimus ævo,
Et fons tu nostri carminis unus eris.
9 At, procul abscedens, tu nos hostilibus offers
Opprobriis, solito more nec arma regis:
10 Terga fuge trepidos nos cogis vertere, nostris
Auctus & exuviis impius hostis ovat:
11 Præda sumus velut agna lupis; patriisque relictis
Sedibus, in toto quærimus orbe fugam:
12 Et minimo venire jubes, & subjicis hastæ
Captivos; lucri nil tamen inde legis:
13 Objicis opprobriis, & nos vicinia risu
Excipit, indignis persequiturque jocis:
14 Fabula sic vulgi sumus, & dum nubila fors est,
Vertice nos moto turba profana notat:
15 Nec modus est vel meta malis, semperque fatiscit
Obruta mens curis, turpat & ora pudor.
16 Stringit in insontem truculenta calumnia dentes,
Armat & ultrices gens sceleratа manus.
17 Hæc licet infestent, animo tu firmiter hæres,
Et tibi quam dedimus, stat sine labe fides:

18 Nec

18 Nec te deſeruit mens tot vexata procellis,
Nec quod ſignâſti devia liquit iter.
19 Hauſêrunt miſeros habitata draconibus antra,
Mortis & ante oculos vallis opaca fuit:
20 Si tamen inde tui mens eſt oblita favoris,
Si cui te præter ſunt data vota Deo;
21 Hocne tuos oculos fugiet ſcelus, intima cordis
In tenebris acie qui penetrante vides?
22 Te propter luimus, te propter jugiter, eheu!
Cædimur; imbelles ſic lanianntur oves.
23 Surge; quid ignavo conduntur lumina ſomno?
Evigila, miſeris ne procul eſſe velis.
24 Cur fugis oppreſſos immani pondere? Noſtræ
Immemor ærumnæ cur, Deus, ora tegis?
25 Viribus exſtinctis animas in pulvere merſas,
Membraque jam cernis tabida fixa ſolo.
26 Eripe te ſtratis, pacti memor aſſere ſervos;
Et bonus hoſtili ſubtrahe colla jugo.

PSAL. XLV.

DIcere fert animus Regem; nova carmina Regi
Lingua parat, calamo par erit illa levi.
2 Forma viros ſuperans, affuſaque gratia labris
Te beat, & Domini non periturus amor.
3 Eia age, Rex, humeris apta ſtellantibus enſem,
Quem decus & bello partus adornat honos.
4 Macte novis titulis; niveos clementia currus
Cingat, & auratas faſque fideſque rotas:
Sic tua perculſæ diſcent miracula gentes,
Intremet & gemini terra ſub axe poli:
5 Hoſtica lethiferis transfiges corda ſagittis,
Corruet & telis gens numeroſa tuis:
6 Quoque ſedes ſolium, ſtans nullo mobile ſecto,
Cuncta reget, populis & pia jura dabit.
7 Sunt tibi jus & fas & candida pectora cordi;
Impietas odio, menſque referta dolis:
Ergò tibi ſuperûm rector perfudit olivo
Tempora; præ ſociis hic tibi ceſſit honos.
8 E thalamis quoties procedis lætus eburnis,
Myrrham, aloen, caſiam regia veſtis olet.

9 Regis

9 Regia progenies te cingit mille miniſtras
Inter honoratas, & tua juſſa ſubit:
A dextris Regina ſedet, ſpectabilis auro,
Quod legit in patriis gens Ophyræa jugis.
10 Tu mihi, purpureæ decus Heroina cohortis,
Auſculta, monitis obſequioſa meis;
Dele animo populoſque tuos, caroſque propinquos;
Nec patris aut patrii ſit tibi cura ſoli:
11 Blanda tuæ Regem ſuccendat gratia formæ,
Hunc quoque tu Dominum religioſa cole.
12 Se tibi turba frequens populi proſternet, & ipſæ
Sponte ferent Tyriæ regia dona nurus.
13 Tota nitos intùs; veſtis tibi texitur auro,
Pallaque Sidoniis ter ſaturata cadis.
14 Ibis in amplexum Regis ſine compare virgo,
Cui niveus Phrygiâ pingitur arte ſinus:
15 Se jungent comites Regum de ſtirpe puellæ,
Lætaque virgineis perſtrepet aula choris:
16 Implebitque vicem ſoboles generoſa parentum;
Omnibus hæc populis, te duce, jura dabit.
17 Ergò mihi nullo Regina taceberis ævo,
Concinet & laudes ultima terra tuas.

PSAL. XLVI.

UNa Deus miſeris ſpes eſt & ahenea turris;
Nec procul eſt, populi cùm fremit ira trucis.
2 Non ego formidem, tellus licet ima dehiſcat;
Vaſta licet montes obruat unda maris:
3 Nec trepidem pelagum ſpectans, dum murmure rauco
Inſultat ſcopulis, & juga ſumma quatit.
4 Urbs habitata Deo, jucundo flumine vitæ,
Sanctaque felici templa rigantur aquâ.
5 In medio Deus eſt, &, ne ruat, undique vallat;
Fertque citam, quoties ingruit hoſtis, opem.
6 Infremuêre truces populi, cœlumque tremiſcens
Intonuit, tellus & liquefacta fuit:
7 Sed Deus Iſacidûm, bello qui præſidet, arcis
Inſtar erat nobis, auxiliumque tulit.
8 Huc ades, & mecum ſpecta miracla Tonantis,
Regnaque cœleſti depopulata manu:

9 Bella

9 Bella Dèus paſſim premit, & vi conterit arcus;
Telaque falcatas perdit & igne rotas.
10 Pone minas, inquit, Dominum me ſuſpice; faſces
Agnoſcent olim terra fretumque meos.
11 Sed Deus Iſacidûm, bello qui præſidet, arcis
Inſtar erit nobis, auxiliumque feret.

PSAL. XLVII.

PLaudite mortales, rerum celebrate parentem;
Voxque triumphantis ter geminetur Iô:
2 Sedibus è ſuperis, nutu ſceptroque tremendo,
Ille regit veſper quidquid & ortus habet:
3 Ille feros populos gemino ſub vertice cœli,
Antè triumphatos, ſub juga noſtra trahet:
4 Et ſibi dilectæ donabit prædia genti;
Hoc domus Iſacidûm geſtit honore frui;
5 Ille triumphali ſuperûm palatia curru
Scandit, & adventûs ſigna dedêre tubæ.
6 Pſallite mortales & Iô ter dicite Regi;
Plaudite victori terque quaterque Deo:
7 Illius occaſus ſollum veneratur & ortus;
Hunc celebret mentis quidquid & oris habet:
8 Illius imperio tellus obtemperat omnis;
Et ſolii pietas cingit utrumque latus:
9 Abrámidûm populis junguntur fœdere Reges;
Quos regit hic, quibus & præripit omne decus.

PSAL. XLVIII.

MAjeſtas immenſa Dei eſt, venerabilis urbi
Quam colit, & ſacris ter celebranda jugis.
2 Alma Sion Boream ſpectans pulcerrima rerum eſt,
Et domus auguſti Regis, & orbis amor:
3 Omnibus hæc aperit portam, portumque ſalutis;
Nullus & in toto eſt tutior orbe locus:
4,5 Hîc conjurati viſâ ſtupuêre tyranni,
Protinus & turpi terga dedêre fugæ:
6 Hos metus invaſit trepidus, luctuſque virorum
Æmulus angori parturientis erat:
7 Haud aliter puppes violentia diſſipat Euri,
Ægæum tumidis cùm mare fervet aquis:

8 Hæc, quæ fama refert, in ſacra vidimus urbe;
Numinis invicti quæ ſtabilita manu eſt.
9 Alme parens! feſtis quoties advolvimur aris,
Una tuæ cunctos ſpes bonitatis alit.
10 Par majeſtati laus eſt tua, neſcia metæ;
Sanctaque juſtitiæ dextera lance nitet.
11 Geſtiat alta Sion; celebrent & judicis æqui
Facta Paleſtinæ quas habet ora nurus.
12 Mœnia circumiens Solymæ, quam ſuſpicis, hoſpes,
Dinumera turres quas habet ille locus:
13 Adſpice ſupremis inſertas nubibus arces;
Quæque vides, ſoboli regia tecta refer:
Qui colit hanc, dum luce fruar, dum ſtabit & orbis
Machina, dux nobis & Deus unus erit.

PSAL. XLIX.

PAnde meis aurem monitis, quicunque virorum
Incolis Eoas, Heſperiaſve plagas:
2 Auſcultent clari proceres, & futile vulgus;
Et qui divitiis pollet, & æris inops:
3 Quæ loquar, arcanos reſerans ſapientia fontes
Suggeret; hæc animo volvere dulce mihi eſt:
4 Seria res agitur; vates oracula plectro
Perſequar, intentus cantibus ipſe meis.
5 Cur ego formidem, cum fluctibus undique vaſtis
Cingor, & à tergo vindicis enſe premor?
6 Spem locat in loculis animus mortalia curans,
Jactat & ingentes ambitioſus opes;
7 Non tamen his frater prævertit funera fratris,
Nec pretio flecti numinis ira poteſt:
8 Vita nequit gazis redimi, pernicibus alis
Illa fugit nullo reſtituenda die:
9 Ære nec oblato ſeros mercaberis annos,
Dona nec admittit mortis avara manus:
10 Cum fatuo prudens moritur, cum paupere dives;
Nec mora, quos linquunt occupat alter agros:
11 Nemo ſibi non ſpondet opes tituloſque perennes;
Sed titulos & opes mors inopina rapit:
12 Eſt fugitivus honos, & quotquot naſcimur Adæ
Semine, quadrupedûm more perire vides:

13 Vana

13 Vana sequi gens stulta solet, patrumque nefanda
Dicta probat soboles improba, pejor avis.
14 Strata jacent, ritu pecudum, sub mole sepulcri
Agmina, lethali depopulata manu:
Vir pius hæc rectique tenax, cum desuper Eos
Fulserit, imperio vim prohibente premet:
Ora venusta priùs cernet manantia tabo,
Junctaque marmoreo fœda sepulcra lari.
15 At mihi vim lethi depellet rector olympi,
Et dabit ut secum gaudia lætus agam.
16 Ne trepida, gazas subitò si congerit alter,
Et domus auratas explicat alta trabes:
17 Nudus opum busto tegitur; nec gaza, nec auro
Dives ad infernas pompa sequetur aquas:
18 Ille cutem curat, fugitivaque gaudia vivus
Captat, & hunc laudat quem juvat illa sequi:
19 Mors tamen hunc addet proavis; quæ messuit illos,
Non sinet hunc vitæ perpete flore frui.
20 Hei mihi! gens hominum dum tangit vertice cœlum,
Se pecudum nescit claudere more diem.

PSAL. L.

ARbiter æthereus, cui servit purpura Regum,
Perculit, os pandens, orbis utrumque latus:
Ætheris excelsi solio se sistere jussit
Regna, rubens quotquot vesper & ortus habet.
2 Ille Sionææ roseo de vertice rupis
Fulsit, & auratum protulit inde jubar:
3 Hinc aderit, nec verba premet; præcurret euntem
Flamma vorax, circùm vasta procella ruet:
4 Æthera testatus, terramque sub ætheris axe,
Discutiet populi facta sinistra sui.
5 Confluat huc, dicet, mihi gens dilecta, juvencis
Fœdera quam mecum pacta litare jubent:
6 Sidera justitiam narrabunt numinis, ipse
Nam Deus officium judicis æquus obit.
7 Eloquar; Isacidæ trepidas advertite mentes:
Vos ego cœlesti postulo voce reos:
Vos Deus appello: Dominum me prædicat orbis,
Et sacra gens prisco fœdere juncta mihi es:

8 Non ego quod noſtras rarò pecus imbuat aras,
Parciùs offerri non holocauſta queror;
9 Nec caper è caulis, nec me, ſpectante popello,
Vilibus è ſtabulis tracta juvenca juvat:
10 Quidquid habent campi pecudum, ſaltuſque profundi;
Quidquid alunt rupes & juga mille, meum eſt:
11 Suntque mihi notæ volucres in montibus altis;
Meque colit Dominum quidquid inerrat agris:
12 Si premar eſurie, non vos ſolatia poſcam;
Me penes eſt tellus quidquid & æther habet:
13 An mihi toſta famem depellant viſcera tauri?
An levet hirçini ſanguinis unda ſitim?
14 Solve tuo grates potiùs Dominoque Deoque,
Votaque, me quiſquis ſimplice mente colis:
15 Tempeſtas cum ſævit, opem me poſce parentem;
Hanc ego depellam, tu mea facta refer.
16 Crimina ſed ſpectans, his te, gens impia, judex
Arguet æthereus corripietque modis;
Quid tibi nobiſcum eſt, cur tu mea fœdera pandis?
Cur memorat leges improba lingua meas?
17 Tu mihi reclamas, legum tu ſpernis habenas;
Et te cum moneo, littora bubus aro:
18 Tu prædatori comitem te jungere gaudes;
Te quoque conſortem turpis adulter habet:
19,20 Ore paras fraudes; utero conceptus eodem
Te timet, & linguæ ſpicula ſæva tuæ:
21 Ad tua quòd tacitus connivi crimina, rides;
Meque tui ſimilem, gens ſcelerata! putas:
At mihi tu meritas ſcelerum dabis improba pœnas;
Nam tua ſunt digitis facta notata meis.
22 Numinis immemores monitis advertite ſacris;
Ne mea vos, nullo vindice, dextra terat.
23 Me colit hic, qui laude litat; ſectator & æqui,
Pars erit electi, me tribuente, gregis.

PSAL. LI.

MI, Deus, exaudi facilis; patriique favoris
Adſpiret famulo mollior aura tuo:
Quique reis toties veniam totieſque benignus
Indulges, ſcelerum me quoque faſce leva:

2,3 Turpe

3 Turpe nefas dele, fœdam, pater! elue noxam;
Obverſantem oculis nocte dieque meis.
4 In te deliqui, te ſolum crimine læſi;
Et ſcelus ulciſci jus tibi faſque foret.
5 Polluit auſpicium vitæ mihi fœda libido,
Primaque lux: miſeræ conſcia labis erat;
Luce carens ipsâ contraxi matris in alvo
Triſte rudimentum, ſeminiumque mali;
6 Sed te pura juvat mens; quam tu, nube remotâ,
Erudies, leges diſcat ut illa tuas.
7 Hyſſopi me fronde, ſacro me flumine luſtra;
Sic ego mundus ero, candidiorque nive.
8 Mitte ſalutiferæ qui gaudia nuntiet horæ,
Ut redeat fracto priſcus in oſſa vigor.
9 Parce meo puros in crimine figere vultus;
De medio potius flebile tolle nefas.
10 Redde, quod amiſi, pectus ſine crimine; mentem
In reſtaurato pectore finge novam.
11 Nec me adytis diſclude ſacris; & ſpiritus olim
Quas tuus accendit, ne mihi deme faces.
12 Redde mihi vitæ ſpirantes gaudia vultus;
Meque regat promtâ ſpiritus ille manu:
13 Indicio tum verſa meo gens devia greſſus
Diriget, & Solymæ figet in æde pedem.
14 Auctor opis vitæque parens! ne cæde madentem
Lethifer in pœnas poſce, ſed abde nefas:
15 Tunc ego te lætus tollam ſuper aſtra; reclude
Vocis iter, laudes ut canat alta tuas.
16 Nec te turis odor, nec victima cæſa, nec, ultrò
Quam tibi ſacrarem, bucula toſta juvat:
17 Mens ſcelerum ſub mole gemens, fraudeſque peroſa
Una placet, numen placat & una tuum.
18 Adſpice, ſed facilis, turres, pater alme! Sionis;
Et Solymæ memori mœnia conde manu:
19 Tum tibi placato pecudum cruor imbuet aras;
Et cadet in ſacros hoſtia grata focos.

PSAL. LII.

TUrba potens, ecquid ſtolidè tua crimina jactas ?
Numinis eſt conſtans, nec periturus amor.
2 Impia lingua tibi eſt; quam nulla novacula, lævi
Cote nitens, acies vincere nulla poteſt :
3, 4 Prava piis ſtudiis præfers, mendacia vero ;
Oſque meras fraudes, perniciemque parat :
5 Te Deus exſcindet vindex; vitâque, boniſque
Exuet; & patriis ſedibus exſul ages.
6 Vir pius hæc ſpectans Dominum venerabitur orbis,
Illudenſque reis talia dicta dabit :
7 Divinam qui riſit opem, cui copia rerum
Et mala mens olim dux fuit, ecce jacet.
8 Aſt ego qui Domino fidi conſtanter, olivæ
Inſtar in illius luxuriabor agro :
9 Te Deus obſervans Dominum, tua dulce putabo
Jugiter in ſacro pandere facta choro.

PSAL. LIII.

STultus ait ſecum, Non eſt Deus ; inquinat omne
Cor ſcelus, & recto tramite nemo meat.
2 Deſpiciens terras Deus inquiſivit, an orbem
Incoleret prudens & pietatis amans :
3 Omnia peſtis erant, omnes involverat error ;
Virque pius toto nullus in orbe fuit :
4 Cæcane perverſis mens eſt, ait, impete facto
Glubere qui populum non metuêre meum ?
Ceu dape dilectæ paſcuntur ſanguine gentis ;
Nemo mihi toto de grege vota facit.
5 His ubi nulla fuit juſtæ formidinis umbra,
Vidimus imbelli corda timore quati :
Et ſacra cum teliſ cinxerunt caſtra, per agros
Vindicis his ſpargi vidimus oſſa manu :
Texit & ora pudor populo, quem conditor orbis
Spreverat, & trepidæ ſunt data terga fugæ.
6 Illa dies, lux illa veni, de rupe Sionis
Iſacidis cœli quâ feret auctor opem :
Tum domus Abramidûm celebrabit gaudia, duro
Cum ſacra gens cernet colla ſoluta jugo.

PSAL.

PSAL. LIV.

MEi fidei, pactique memor, Deus, asſere; judex
Tu mihi, quâ polles, ne premar adfer opem.
2 Alme parens! mœstis aures adverte querelis;
Et memori gemitus pectore conde meos.
3 Me fera barbaries premit & violenta tyrannis,
Et majestati gens inimica tuæ:
4 Sed mihi tu præsens, Deus, es; tutaris & illos,
Quorum ego consilio, subsidioque juvor.
5 Impia gens pœnas te pendet vindice; tandem
Ah! tua subverso luceat hoste fides:
6 Tunc ego tura ferens ultrò prosternar ad aras;
Teque colam quo nil mitius orbis habet:
7 Namque tuo ductu venti securus & undæ,
Sacrilegi vidi naufraga vela gregis.

PSAL. LV.

DUm precor, exaudi, rerum pater optime! questus
Dum gemino, vultûs ne jubar abde tui:
2 Supplicis auscultа precibus, votisque benignus
Annue, dum querulis astra fatigo modis.
3 Ah fremit! ah! odiis fera gens me vexat & iris;
Pro dolor! & famam dente proterva petit.
4, 5 Cor micat; & piceis mors dum circumvolat alis,
Horrifico nimium concutit ossa metu.
6 Obrutus his dixi, Misero trepidoque columbæ
O mihi quis pennas remigiumque dabit?
7 His ego libratis fugerem procul, otia quærens
Saltibus in mediis, sepositisque jugis:
8 Ociùs hinc celerans, tumidis, quibus obruor insons,
Fluctibus eriperer nimbiferisque Notis.
9 Perde, Deus, lita labra dolis, & divide linguas;
Ne possint sociis consona verba loqui:
Litibus, heu! sacram lacerari vidimus urbem;
Junctaque litigiis vis truculenta fuit.
10 Pallida seu nox est, seu lux micat aurea, muros
Occupat, & media regnat in urbe nefas:
11 Incolit hanc rabies & vis & dira libido,
Cernis & infandis compita plena dolis.

12 Non mihi vel linguis hoſtes nocuêre vel armis;
Probra pati poteram, tela cavere fugâ:
13 Tu mihi cauſſa mali es, nimiùm dilecte ſodalis!
Duxque viæ, vitæ deliciumque meæ:
14 Uſus eram, memini, te conſultore; mihique
Templa Dei tecum viſere dulce fuit.
15 Mors domet hunc, vivumque voret telluris hiatus,
Impia cui mens eſt & ſcelerata manus:
16 Aſt ego ture Deo ſupplex votiſque litabo;
Meque ſalutiferâ proteget ille manu:
17 Audiet ille preces, quas fundam; lucida cœli
Limina, vel mediâs ſole tenente vias:
18 Mille triumphantes acies mihi miſit ab alto,
Inter & ipſa dedit ſpicula pace frui.
19 Me Deus æternis orbem qui frenat habenis
Audiet; & pœnas hoſtica turba luet:
Dum luces ſine nube fluunt, & mollia veris
Tempora, deponit numinis illa metum.
20 Aurea tranquillæ violavit vincula pacis;
Fœderis & rupti menſque manuſque rea eſt:
21 Balſama vox ſpirans ſuperabat acumine ferrum,
Verbaque fundebat lactea pectus atrox.
22 Tu Domino te crede; pios ſufflaminat ille:
Et ne vacillent dirigit ille pedes.
23 Ante diem ſed fraudis amans cædiſque peribit;
Et petet infernas mœſtus uterque domos:
Aſt ego te fidam, Deus, auctor & arbiter æqui!
Anchora tu vitæ, ſpeſque ſalutis eris.

PSAL. LVI.

ME, Deus! adſpecta facilis; quem viribus hoſtis
Obruit, & miſerum nocte dieque premit:
2 Nocte dieque premit miſerum; nec terminus iræ eſt:
Nec claudi numero gens inimica poteſt.
3 Corda metu quoties trepidabunt, porta ſalutis
Tu, Deus! & vitæ ſpes mihi ſolus eris:
4 Vox tua laudanda eſt; te nitor vindice, temnam
Te duce mortali ſpicula miſſa manu.
5 Quæ loquor infelix, interpres adulterat effrons;
Dum coquit hoſtiles mens ſcelerata dolos:

6 Clam

6 Clam coit, insidias meditans, & noctis in umbra
Observat gressus impia turba meos:
7 Fraude sua fidens tutam se somniat; iræ
Hanc, Deus, incusso fulmine dede neci.
8 Tu tabulis gemitus, lacrimas tu colligis urnâ;
Et numeras nostræ tædia longa fugæ:
9 Terga dabunt hostes, quoties te posco salutem;
Nota loquor, famulo tu quia dexter ades.
10,11 Vox tua laudanda est; te nitor vindice; temnam;
Te duce, mortali spicula missa manu.
12 Sum tibi, dum spiro, devinctus perpete voto;
Teque piis hymnis & tua facta canam.
13 Vindice te vivo, mihi tu vestigia firmas;
Quàque feror vitæ lux tua monstrat iter.

PSAL. LVII.

DA mihi te facilem, famuli miserere precantis;
Tu, Deus, es vitæ spes sine fine meæ:
Auspiciis me credo tuis, & fortibus alis;
His tegar, undosi dum cadat ira maris.
1 Vota tibi fundam supplex, qui fœdera servas;
Cujus & inceptum dextra coronat opus.
3 Ociùs accurrens, tu, ne vorer, obvius hosti
Ibis; erunt comites candor & alma salus.
4 Cædibus assueti cingunt mihi tecta leones;
Turbaque ferales quæ vomit ore faces:
Lingua refert gladium, telum penetrabile dentes;
Nec magis his jaculum, nec magis hasta ferit.
5 Qua, Deus, effulges esser super æthera lucem;
Terraque sit radiis tota coruſca tuis.
6 Hostis iter stravit laqueis, me perculit horror;
Objecit foveas, captus at ipse dolo est.
7 Obsequiosa mihi mens est, tibi firmiter hæret:
Te mea vox Dominum, te mea plectra canent.
8 Excute segnitiem, numeris cane, lingua, decoris;
Psallite vocali nablia juncta lyræ:
9 Manè novo super astra, Deus, te carmine tollam;
Et tua per populos grandia facta feram.
10 Magne parens! æquat tua te clementia cœlo;
Transvolat & nubes intemerata fides.

11 Quâ, Deus, effulges effer ſuper æthera lucem;
Terraque ſit radiis tota coruſca tuis.

PSAL. LVIII.

PUrpurei proceres, jus qui libratis & æquum,
Voſne putem fari juſta, vel æqua ſequi?
2 Quiſque neces animo veriat, bellumque minatur
Sævus; & innocuo terra cruore rubet.
3 Quiſque dolos ſecum materna traxit ab alvo;
A teneris omnes devius error agit.
4,5 Virus ineſt colubri; magicis qui cantibus aures
Subtrahit, & vinci callidus arte nequit.
6 His malas, demeſque, Deus, confringe; leonum
Contere ſanguineis ora cruenta lupis:
7 More fluant fugientis aquæ; ſit inutilis illis
Arcus; & ultrici ſpicula frange manu:
8 Limacum vel more liqua, fœtûſque tenelli;
Lumina cui ſolis mors rapit ante diem:
9 Diſſipet hos turbo, flammas dum concipis; antè
Fervere ſubjectis quàm queat olla rubis.
10 Geſtiet hæc ſpectans vir juſtus; &, hoſte peremto,
Sanguineo niveos abluet amne pedes.
11 Utilis eſt pietas, tum dicet conſcia tellus;
Eſt quoque, qui toto regnat in orbe, Deus.

PSAL. LIX.

ERipe me telis, populum, pater alme! rebellem
Protere; cui mens eſt prava, cruenta manus.
3 En petor inſidiis inſons! en! agmine facto,
Turba potens in me nocte dieque ruit:
4 Undique conſpirans in me nil tale merentem
Vim parat: hæc ſpectans, fer, pater orbis, opem
5 Ociùs evigila, belli paciſque ſequeſter!
Quo domus Iſacidûm vindice ſoſpes erat:
Quos reges adſpecta populos; nec parce profanis,
Per ſcelus audaci qui pede jura premunt.
6 Diſcurrunt, cingùntque feris ululatibus urbem,
More canum; ſolis lux ubi meſa latet:
7 Enſis ineſt labiis, comes eſt jactantia linguæ;
Seque putant nullo teſte nefanda loqui:

8 His, Deus, illudes; &, qui mihi ſæva minatur,
Materies risûs devius orbis erit.
9 Viribus hoſtis ovat, ſed te ſequar, optime rerum!
Ne peream, vindex tu mihi ſemper ades.
10 Me tua præverter levibus clementia pennis;
Dulcibus & votis, hoſte cadente, fruar:
11 Ne tamen hoſtiles acies ſimul obrue; nacti
Otia dediſcant ne tua facta pii;
Sparge ſed obſtantes, & ſparſas demete ſenſim;
Soſpite me, clypei quem tegit umbo tui.
12 Has meruit faſtus ſimul, & perjuria pœnas;
Linguaque felle tumens & lita labra dolis.
13 Hos furor exſtinguat tuus; ut tibi ſubdita diſcant
Sceptra Paleſtinæ, quotquot & orbis habet.
14 Diſcurrant, cingantque feris ululatibus urbem,
More canum; ſolis lux ubi merſa latet:
15 Diſcurrant, quærantque dapes; cogantur at atram,
Dum redeat terris lux nova, ferre famem.
16 Tu mihi manè novo, Deus, & cantabere fortis
Et bonus; afflicto tu quia lenis ades:
17 Tu mihi carmen eris, mea vis & ahenea turris;
Es mea tu rupes, unus & auctor opis.

PSAL. LX.

EN, Deus! extorres peregrinæ gentis in oris
Spargimur; hæc iræ ſunt documenta tuæ.
2 Redde jubar ſolitum: tellus tremit ima dehiſcens;
Tu quaſſam repara, ſtringe quod intùs hiat.
3 Turbârunt miſeras à te data pocula mentes;
Senſimus & nimio pondere colla premi:
4 Nunc fidei, pactique memor, vexilla piorum
Erigis; & populi ſignifer ipſe tui es.
5 Tu tibi dilectum ſuperis de ſedibus audi;
Dumque vibrant hoſtes ſpicula, tende manum.
6 Vox hilarat me ſacra Dei; quo vate Sucothi
Metiar, & Sichemæ partiar urbis agros:
7 Cum Giliadæis ſubdam mihi rura Manaſſæ;
Juda dabit leges, gens Ephraima viros:
8 Juncta Moabæis populis juga dives Idume
Induet; imperiis obſequioſa meis:

Quæque Paleſtinæ pingues gens incolit oras,
Victa gravi bello, noſtra tropæa canet.
9 Quo duce munitæ ſuccedam mœnibus urbis?
Gentis Idumææ quo duce regna petam?
10 Qui priùs exoſas acies educere bello
Jure recuſâſti, tu, Deus, arma reges.
11 Fer bonus auxilium, nos dum ferus obſidet hoſtis;
Te, Deus, excluſo, nemo miniſtret opem.
12 Numinis auſpiciis pugnabitur; hoſtica pubes
Concidet, & pedibus colla premenda dabit.

PSAL. LXI.

ÆTheris aurati rector! mea ſuſcipe vota;
Et placidus pronâ, quæ loquar, aure trahe.
2 Orbis ab extremo te poſcam limite; pectus
Dum miſer, ah! curis ſentio mille premi:
Tende manum feſſo; ſecurum ſcandere rupem
Da mihi, ſemotam quam nimis eſſe queror.
3 Tu mihi portus eras, fureret cum fluctibus æquor;
Inter & hoſtiles turris ahena minas:
4 Æternùm loca ſancta colam, te fretus; & alis
Rebus in anguſtis protegar uſque tuis.
5 Audiſti miſeri gemitus & vota; piiſque
Debitus, heredis jam mihi ceſſit honos.
6 Aurea tu Regi produces tempora vitæ;
Multaque pro paucis vivere ſecla dabis:
7 Hic tua templa colet, dum veſcitur æthere; cuſtos
Hinc tua ſit bonitas, cingat & inde fides.
8 Ergò tuas referam laudes, & debita ſolvam
Vota, mihi donec ſpiritus oſſa reget.

PSAL. LXII.

MEnte Deum tacitâ veneror, ſpes omnis in illo eſt;
Ille ſalutiferam fert mihi promtus opem:
2 Arx Deus eſt, clypeuſque mihi, portuſque ſalutis
Unicus; incutient nulla pericla metum.
3 Ecquis erit tandem ſcelerum modus? Ecqua malorum
Meta, quibus nimiùm nocte dieque premor?
Mox ruet in præceps meus hoſtis; ut ariete pulſa
Mœnia, vel putri ſaxa ſoluta ſitu.

4 De-

4 Deturbare gradu me dum parat æmulus, aſtu
Rem gerit, & fraudes nectere dulce putat;
Callidus incauto blanditur, & ore precatur
Proſpera, dum diras pectore mille tegit:
5 Tu tamen has inter Dominum mens ſuſpice turbas;
Spes ope cœleſti ſuſtinet ille meas.
6 Arx Deus eſt, clypeuſque mihi, portuſque ſalutis
Unicus; incutient nulla pericla metum:
7 Ille meæ rupes & fons & gloria vitæ eſt;
Illius arbitrio res ego credo meas.
8 Fidite mortales Domino, mentiſque receſſus
Pandite; ſpe mentes erigit ille pias:
9 Futile deprendes, nimiùmque volatile vulgus;
Eſtque paludati purpura vana chori:
Lancibus impoſitos trutina ventoſque viroſque;
Gens hominum certè plus levitatis habet.
10 Nec populi ſpoliis, rebus nec fide caducis;
Nec jacta nimias ambitioſus opes.
11 Non ſemel eſt rerum Dominus, me teſte, profeſſus;
Cuncta ſuo nutu conſilioque regi:
12 Hunc penes eſt bonitas; hoc jus dicente, viritim
Digna ſuis meritis præmia quiſque refert.

PSAL. LXIII.

TU mihi, rerum opifex, Deus es! te in vota vocabo,
Sol ubi purpureo reddit ab axe diem:
Te ſitio; te membra fame tabentia poſcunt;
Hîc ubi nec ſeges eſt, unda nec apta ſiti:
2 Inter teſqua tuas mens optat cernere vires;
Liminis & ſancti luce priore frui.
3 Dulcior hîc vitâ favor eſt tuus: ergò rotundo
Montibus in mediis te, Deus, ore canam:
4 Ad tua devotas attollens atria palmas,
Te recolam, terræ dum vagus hoſpes ero.
5 Hîc ego te ſpectans, epulis ſaturabor opimis;
Gestiet hîc laudes tollere lingua tuas.
6 Tu mihi carmen eris; furvâ ſeu noctis in umbrâ
Excubo, tranquillâ ſive quiete fruor.
7 Me quia juviſti pridem, pater alme! ſub alis
Blanda tuis poſthac otia lætus agam.

8,9 Voce Deo clarâ mortales ſolvite grates;
Soſpitat ille animas, dirigit ille pedes.
10 Sorte, pater, variâ tua nos exercuit olim
Dextera; ſic aurum ſeptima flamma probat:
11,12 Pes hæſit laqueo, cinxerunt vincula lumbos;
Hoſtis & immiſſis tempora preſſit equis:
Nec vada, nec flammæ deerant: poſt mille pericla,
Tu tamen optatâ das ſtatione frui.
13 Ergò tuis, magni Rex & Pater ætheris! aris
Vota ſoluturus debita dona feram.
14 Dona feram promiſſa priùs; ſors aſpera vitam
Dum quateret, miſeris obrueretque modis:
15 Agna tibi vituluſque cadent, & corniger hircus;
Nec deerunt ſacris maſcula tura focis.
16 Huc ades, ætherei quiſquis colis atria Regis;
Accipe quàm rebus conſulat ille meis:
17,18 Hunc ego compellans laudavi voce canorâ;
Impia qui mandat vota ferenda Notis:
19 Audiit ille preces & verba carentia fuco;
Et captus voti ſimplicitate fuit.
20 Laudibus hunc omnes celebrent; favet ille precanti;
Nec tetricus famulo ferre recuſat opem.

PSAL. LXVII.

MItis ades, cœptiſque fave, mentiſque tenebras,
Alme parens! vultûs diſcute luce tui.
2 Nos tua ſecuros duc per veſtigia; tutum
Omnibus & populis pande ſalutis iter.
3 Te plebs, te proceres, ſexus te prædicet omnis;
Et puer impubes, invaliduſque ſenex.
4 Dicat Iô populus; juſtus tu jura gubernas;
Paret & imperio terra fretumque tuo.
5 Te plebs, te proceres, ſexus te prædicet omnis;
Et puer impubes, invaliduſque ſenex.
6 Auſpice te, felix omnis dabit omnia tellus;
Audiet & domini vota benignus ager.
7 Nos, Deus! adſpicies placidus: trémet ultimus orbis;
Omnibus & populis tu venerandus eris.

PSAL. LXVIII.

1 AEtheris exſurgat Dominus, turbentur & hoſtes;
Et citò dent trepidæ turpia terga fugæ.
2 Impius hoc coram vaneſcat; fumus in auras
Sic abit, & minimo cera calore fluit:
3 Gaudia ſed verſans animo, vaga ſidera cantu,
Et pede feſtivo gens pia pulſet humum;
4 Efferet exſultans tellus venerabile numen
Judicis, auratis qui premit aſtra rotis.
5 Patribus hic orbam ſobolem, viduaſque mariti
Providus è cœli protegit arce nurus:
6 Prole beat ſteriles, captivis vincula demit;
Et premit hirſutis hoſtica tecta rubis.
7 Tu, Deus! Iſacidis olim per inhoſpita teſqua;
Invia tu, memini, per loca ductor eras:
8 Intremuit tellus, ſudârunt ſidera; Sinæ
Ardua nutârunt culmina, tacta metu.
9 Gentis at electæ ditâſti rura quotannis;
Dulcis & in ſiccos depluit imber agros:
10 Has tibi dilectus populus nunc incolit oras;
Hîc bonus afflictis hoſpita tecta paras.
11 Hîc tua matronæ cecinerunt bella pudicæ;
Armaquè virgineus vexit in aſtra chorus.
12 Fœda paludati verterunt terga tyranni;
Dives & imbelli præda fuêre gregi.
13 Membra tuo piceâ quamvis fuligine tincta
Sint populo, veniet priſcus in ora nitor:
Sic micat argenti radians candore columba,
Aurea quam jaculis ociùs ala rapit.
14 Hîc, ubi cœleſtis diſperſit dextera Reges,
Par nivibus rupes ſacra Sionis erat:
15 Non ita Salmonis candent juga tempore brumæ;
Non ita Bazanis ſidera lambit apex.
16 Quid juga turgetis? Deus unâ rupe Sionis
Gaudet; & hîc figet tempus in omne larem.
17 Mille Deo parent cœli ſtellantis alumni!
Cum lubet, innumeris imperat ille rotis:
Cingitur his Dominus, quà fert veſtigia; Sinæ
Non ſecùs in ſacris conſtitit antè jugis.

18 Ille triumphali ſcandit ſacraria pompâ;
Ponè catenatos juſſit & ire duces:
Munera nec pompæ deerant; ex hoſte receptas
Exuvias adytis intulit ille ſacris.
19 Rerum opifex, opiferque Deus tollatur in aſtra!
Nos cumulat donis jugiter ille ſuis.
20 Protegit ille pias cœleſti numine mentes;
Ille tuas claudit, mors, aperitque fores:
21 Hoſtica ſed certo transfiget tempora ferro;
Gentis & impuræ ſanguine tela linet.
22 Rurſus, ait, populum ſpatioſa per æquora ducam;
Arvaque, quæ parent legibus, Oge, tuis:
23 Crura triumphantes ſua tingent ſanguine Regum;
Et lambent avidi vulnera cruda canes.
24 Vidit & obſtupuit populus, comitante catervâ,
Cùm peteres niveis aurea templa rotis:
25 Cantores præeunt; ſequitur lyra tinnula; pulſant
In medio teneræ tympana rauca nurus:
26 Quiſquis ab Iſacidis generis primordia ducis,
Numinis in ſacro pande tropæa choro:
27 Hæc quoque Benjamini referent, Judæque nepotes
Et Sabolonæi Nephthalidæque duces.
28 Hæc tua, Rex ſuperûm! ſtabilivit dextera; forti
Macte animo, & dextræ facta tuere tuæ.
29 Ex adytis vim prome ſacris, opulenta tyranni
Ut tibi curvato poplite dona ferant.
30 Perde truces acies, quas paſſim robore vaſto,
Triſtibus & jaculis ſternere cuncta vides:
Hos dele, qui bella crepant; argentea coge
Hos tibi ſubmiſſo munera ferre genu:
31 Æthiopum tunc ora tuas venerabitur aras;
Et vectigalis barbara Memphis erit.
32 Tollite rectorem cœli ſuper æthera Reges;
Quæque decet, Domino ſolvite vota Deo:
33 Ille triumphali tranſcendit ſidera curru;
Et prior eſt ſeclis, & ſola voce quatit.
34 Cuncta Dei vires celebrent; his nubila cœli
Frenat, & Iſacidûm protegit ille domum.
35 Rupe ſedens ſacrâ, quàm formidabilis orbi
Eſt Deus Iſacidûm, cœlicolûmque parens!
Ille ſuo populo fons eſt & robor is auctor;
Illius excluſo fine perennet honos.

PSAL

PSAL. LXIX.

FEr, Deus! auxilium, dum fluctibus obruor altis;
Deficit & medias ſpiritus inter aquas:
2 Verticis extremum gurges ſupereminet; hærent
Intricata putri crura pedeſque luto:
3 Dum clamo, ſperoque miſer meliora; fatiſcit
Mens mihi, vox aret, lumina torpor habet.
4 Impia gens, odiis me quæ nil tale merentem
Opprimit, eſt numero verticis æqua pilis;
Viribus & ſuperans, mihi nullo crimine partas
Per ſcelus extorquet barbarus hoſtis opes.
5 Simplicitas tibi nota mea eſt, delictaque vitæ;
Quidquid & in cæco pectore labis ineſt.
6 Ne noſtri pudeat caſtæ pietatis amantes,
Da, Deus! Iſacidûm qui bonus arma regis.
7 Tu mihi cauſſa mali es; te propter perfero clades;
Prô dolor! indignus turpat & ora pudor:
8 Me fratres odêre mei; peregrinus & illi,
Heu! videor, cui lac præbuit una parens:
9 Me populi, templique tui diſpendia torquent;
Quæque vibrant in te, me quoque tela petunt;
10 Fletibus indulſi, lacrimis jejunia junxi;
Opprobrii pietas ſed mihi cauſſa fuit:
11 Lugubri quoties velavi corpus amictu,
Crudeli petiit me fera turba joco:
12 Me quoque qui leges dat in urbis limine judex
Sibilat, & nimio rauca taberna mero.
13 Tempeſtiva, Deus! tibi fundo vota; precanti
Annue; te bonitas cingit & alma fides:
14 Pelle truces hoſtes; me, ne vorer, eripe cœno;
Et fer opem, vaſti dum furit ira maris:
15 Abſit ut infandæ tenebris involvar abyſſi!
Et peream tumidas naufragus inter aquas!
16 Me bonus exaudi propiùs; totieſque probatus
Priſtinus in tenero pectore perſtet amor:
17 Rebus in afflictis famulo ne tetricus ora
Subtrahe; ſed poſitis ſuſcipe vota moris.
18 Dexter ades, propiùſque veni, vitamque tuere
Ociùs, hoſtiles dum timet illa manus.

19 Turpia te coram miſcens opprobria ſannis,
Cladibus inſultat gens inimica meis:
20 Hæc mihi ſexcentis lacerârunt pectora curis;
Hæc mihi tabifici cauſſa doloris erant:
Quæſivi fruſtrà qui ſolarentur amicos;
Nec ſocii noſtris ingemuêre malis:
21 Inter & ærumnas quibus intricabar, aceto
Mixta propinârunt pocula, felle dapes.
22 Hæc, precor, implicitos epulis gens devoret hai
Et pereat gazis illaqueata ſuis:
23 Lumina, ne videant, piceâ caligine fuſca;
Occupet & gelidus crura ſoluta tremor:
24 Quem premis indomiti fluctus effunde furoris;
Et ſemel ardeſcens neſciat ira modum.
25 In dominos everte lares & prædia vaſta;
Nullus & hæc heres tecta vel arva colat:
26 Scilicet hi famulo, quem tu premis, acriùs inſi
Irritantque tuâ vulnera facta manu:
27 Crimina criminibus cumula; nec judice quiſqu
Te ſperet placido propitioque frui:
28 Hos tabulis eràde tuis; vitæque perennis
Abſit in archivis homina læva notes!
29 At pater, oppreſſum curis & ſorte malignâ,
Me tua cœleſti dextera ſervet ope:
30 Tunc ego de læto depromam pectore grates;
Et mihi tu, rerum conditor! hymnus eris:
31 Gratius hoc certè eſt, vitulus quàm corniger ara
Ante cadens bifido cùm pede pulſat humum.
32 Geſtiet hæc ſpectans humilis, cœtuſque piorum
Omnibus & veniet priſcus in ora vigor:
33 Eſt inopum tutela Deus; nec deſpicit illos,
Compede quos vinctos carcer opacus habet.
34 Illius attollant laudes polus, æquora, tellus;
Quidquid & arx cœli, cærula, terra fovent;
35 Ille manu forti reparabit mœnia Judæ;
Tecta Sionææ protegit ille domûs:
36 Hîc figet gens ſancta larem, ſerique nepotes;
Qui pede devoto ponè ſequuntur avos.

PSA

PSAL. LXX.

HUc, Deus! adproperans, me tutelaribus armis
Aſſere; nec patriam, quam peto, differ opem.
1 Terga, precor, vertat, qui vim, qui tela minatur;
Inquinet & turpis, dum fugit, ora pudor:
3 Huic fuga ſit merces, me qui petulante cachinno
Excipit, & damnis paſcitur uſque meis.
4 Sed quiſquis te poſcit opem, te numine fretus
Geſtiat, in laudes ſolvat & ora tuas:
Quique tuæ fidit dextræ, ſperatque ſalutem,
Optet ut in terris ſit tibi perpes honos.
5 Ah! premor adverſis; te ſolo vindice nitor;
Nunc ades, inviſas & mihi pelle moras.

PSAL. LXXI.

ALme parens rerum! ſpes te mea reſpicit unum;
Ne mihi ſit Dominum te coluiſſe pudor.
1 Eripe me telis, qui jus tutaris & æquum;
Nec mea da rapidis vota ferenda Notis.
3 Sis mihi tu rupes, dum ſævit & ingruit hoſtis;
Sis, Deus! in mediis turris ahena malis:
Tu quibus incolumis ſerver mandata dediſti;
Arx quia tu vitæ præſidiumque meæ es.
4 Ah! Deus, ah! famulum populi trucis eripe dextris;
Et ſcelerum ſocios me procul eſſe jube.
5 Vindice te nitor; teneris qui ſemper ab annis,
Unus eras vitæ portus & una ſalus.
6 Matris ab uberibus ſervâſti: matris ab alvo
Me quia traxiſti, tu mihi carmen eris.
7 Me fugiunt ſocii ceu formidabile monſtrum;
Spe tamen auxilii tu mea vota foves.
8 Da, Deus! ut cœlo meritis te laudibus æquem;
Sintque meo tituli ſemper in ore tui.
9 Ne mihi te ſubduc; capulo vicina ſenectus
Dum ſubit, & periit, qui fuit, oris honos.
10 Adſpicis ut, dentes acuens, conſpiret in unum,
Meque petat tacito gens inimica dolo:
11 Hunc, ait, inviſum Domino quin impete facto
Obruimus? Quis enim criminis ultor erit?

12 Sis

12 Sis mihi tu præſto; fer opem placatus; opemque
Dum, pater, optatam fers mihi, rumpe moras.
13 O precor! ut pereat me qui petit impius hoſtis;
Et pudor obſcœnis inquinet ora notis.
14 Aſt ego te nitar; vox te mea jugiter unum
Efferet, è cœlo viribus aucta novis.
15 Teque, tuamque fidem, benefactaque limite nullo
Clauſa canam; terras dum rota ſolis obit.
16 Clara tuæ vates referam miracula dextræ;
Unius & ſolium fons mihi laudis erit.
17 Hactenus hæc docui populos; feſſuſque ſenectâ
Jam cano, quæ didici, te præeunte, puer.
18 Ne mihi te, vetulo ſolitum ne ſubtrahe vultum;
Dum tegar ingeſtâ lumine caſſus humo:
Antè tuas populis fas ſit mihi pandere laudes;
Ultima quas tellus poſteritaſque legat.
19 Juſtitiæ qui laude nites & robore polles,
Magne parens! ecquid par tibi mundus habet?
20 Me manus oppreſſit tua; ſed clementia vitæ
Reſtituit, mediis eripuitque malis.
21 Auſpice te feriam ſublimi vertice cœlum;
Et ſpes in dubiis tu mihi rebus eris:
22 Ergò tuam, Rex magne! fidem mea concinet uſqu
Barbitos, & teneræ nablia juncta lyræ.
23 Gaudia concipiet pectus, partâque ſalute,
Geſtiet in laudes lingua ſoluta tuas.
24 Juſtitiam lux nulla tuam non evehet, hoſtes
Namque mei totis erubuêre genis.

PSAL. LXXII.

DA Regi tua jura, Deus! da natus ut olim
Regius hæc poſſit, te præeunte, ſequi.
2 Ille tuo populo leges feret arbiter æquus;
Imperio tenues proteget ille ſuo.
3 Montibus ex ipſis, palmâ redimita capillos,
Pax aderit; populis & pia jura dabit.
4 Ille patrocinio legum defendet egenos;
Hoſtis & infenſi colla proterva premet.
5 Omnia te metuent illo ſub principe ſecla;
Orbita dum lunæ, ſolis & axis erit.

6 Ver dabit hic terris ; ſic miſſo deſuper imbre
Prata ſimul rident, & modò tonſus ager.
7 Candida tum probitas florebit, & optima rerum
Pax ; vario donec lumine luna nitet.
8 Huic vagus Euphrates, huic ſerviet æquor utrumque ;
Imperii tellus ultima limes erit.
9 Hunc colet Æthiopum ſoboles ; populuſque rebellis
Hoc coram nudo vertice verret humum.
10 Dona ferent Cilices, & gens circumdata Ponti
Fluctibus, & ſitiens Indus, & uſtus Arabs.
11 Procumbent tumidi ſubmiſſo poplite Reges ;
Nullaque non illi terra tributa feret.
12 Fortibus hic armis teget & defendet egenos ;
Et populum, cui ſpes nulla refulget opis :
13 Et parcet miſeris, tenues & muniet ; enſes
Franget & hoſtiles, diſcutietque dolos :
14 Carus erit juſti ſanguis ; feliciter ergò
Ducet inauratos & ſine nube dies.
15 Dona dabunt Arabes, & fauſta precabitur orbis
Ultimus ; & famæ præco perennis erit.
16 Montibus in ſummis, parcâ ſemente peractâ,
Naſcetur domino luxurioſa ſeges ;
Sic Libani veſtitur apex conterminus aſtris ;
Cùm levis aëreas ventilat aura cedros :
Utque viret gramen pratis in mollibus, illi
Subdita florebunt oppida, fœta viris.
17 Illius in regnis fulgebit gloria ; donec
Purpureo nitidum ſol vehet axe diem ;
Audiet hic felix ; felices reddet & urbes,
Et populos, vaſtâ quos ditione tenet.
18 Ergò Dei, qui mira poteſt & perficit unus,
Creſcat in immenſum non fugiturus honos ;
19 Qui regit Iſacidas, titulis illuſtribus orbem
Impleat, & famâ ſolis utramque domum.

PSAL. LXXIII.

QUàm favet Iſacidis Rex qui rotat ætheris orbes !
Ille ſacri quanto flagrat amore gregis !
2 Me tamen implicuit non extricabilis error ;
Peſque vacillavit, mens quoque cæca fuit.

3 Indolui, ſpectans ſcelerum florere miniſtros;
Et dare propitiis impia vela Notis.
4 His ſuperant vires, & inexpugnabile robur;
Et manet in ſenibus, qui fuit antè vigor.
5 Dura premunt alios & nubila tempora; puri
His redeunt ſoles, & ſine fæce dies.
6, 7 Corda tument faſtu, vis armat pectora, turgent
His oculi; nec mens, quas habet, æquat opes.
8 Excutit os frenum, ſpirans fraudeſque, neceſque;
Audet & in circo grandia verba loqui.
9 Nec ſcelerum modus eſt; acuunt in ſidera linguas
Nequiter, inque homines dira venena vomunt.
10 Hæc ſpectans huc vertit iter, ſua caſtra relinquens,
Vir pius; irati quem rapit unda freti:
11 Ecquis, ait, ſuperâ Deus hæc deſpectat ab arce?
Ecquis in æthereo pectore ſenſus ineſt?
12 Ecce Dei gens hæc cultum dum proterit omnem,
Floret, & immenſas per ſcelus auget opes.
13 Quid mea me juvit pietas? Quid pectus honeſtum
Profuit, aut inſons & ſine labe manus?
14 Undique me lethi ſepſit gravis horror, & omnis
Lux fuit in pœnas ingenioſa meas.
15 Hæc ego ſi promam, pater orbis & arbiter! aures
Offendet populi vox minùs æqua tui.
16 Ah! ego dum rerum cauſſas exquiro latentes,
Deficio; & caſſum lumine pectus hebet.
17 Tu tamen è ſacris adytis, pater ætheris alti!
Me gregis iſtius fata futura doces.
18 In juga tu ſontes duxiſti lubrica; prónos
In caput hinc volvi præcipiteſque jubes:
19 Quàm gravis eſt lapſus! quàm triſtis & aſpera clades!
Quàmque repentino fulmine corda quatis!
Sors gregis iſtius vaneſcit, imaginis inſtar,
Quæ fugit, ignavus mox ubi ſomnus abit.
20 Tu, Deus! evigilans faſtum calcabis, & illas,
Quas nimium jactat faſtus inanis, opes.
21 Antè miſer tacitâ torquebar mente; cucurrit
Et mihi tabificus fracta per oſſa dolor:
22 Aſt ego deſipui; nec me levis error habebat;
Menſque ſub inſipido pectore bruta fuit:
23 Te tamen aſſiduè fruor; &, ne fortè vacillet
Pes dubius, dextrâ fulcior uſque tuâ:

24 Consilio tu cæca tuò vestigia flectis;
Et cinges posthac perpete fronde comam.
25 Quis mihi te præter supera succurret ab aula?
Quid quod amem, nisi te, summa vel ima dabunt?
26 Membra mihi quoties animâ fugiente fatiscunt;
Tu vigor es vitæ deliciumque meæ.
27 Ibit in exitium tua quisquis signa relinquit;
Gaudet & alterius transfuga castra sequi.
28 Ast egò te solum sectari dulce putabo;
Et tua, sis cùm spes tu mea, facta canam.

PSAL. LXXIV.

CUr, Deus! æternùm nos deseris? Acribus iris
Cur tibi dilectas depopularis oves?
1 Te populi veteris, te sacri cura peculî
Tangat; & ante oculos sit tibi sancta Sion.
3 Ociùs adproperans, sceleratas obrue gentes;
Sacrilegâ violant dum tua templa manu.
4 Prò pudor! in medio feralis buccina cœtu
Clangit, & in muris fixa tropæa vides.
5 Claruit hic olim, qui, cæsis undique silvis,
Intulit arboreas in tua templa trabes:
6 Nunc operosa ruit luxata bipennibus ædes;
Et cælaturæ nobilioris opus:
7 Ignibus injectis fœdârunt atria templi;
Quod colis, æquârunt culmina summa solo:
8 Fana quot his restant, dicebant, perdite flammæ;
Cuncta simul juffæ corripuêre faces.
9 Nulla, quibus fidam, superant oracula; nemo
Cernitur hîc vates; nemo futura videt.
10 Quò, Deus! usque trucem acuet gens hostica dentem?
An tuus æternùm prostituetur honos?
11 Cur tua se nobis subtraxit dextera? Vires
Exsere; deque sinu defide prome manum.
12 Tu mihi Rex olim, rerum & tutela mearum;
Tu populi columen spesque salutis eras:
13 Te Dominum agnoscens tumidum se dissidit æquor;
Obruit & Pharios unda reversa duces:
14 Cautibus illisus periit cum milite ductor;
Et data sunt avidis ossa voranda feris:

15 Dura ſilex latices effudit, & alveus alti
Fluminis attonitas aruit inter aquas.
16 Tu jubar auratum ſolis diffundis in orbem;
Et ſtabili noctem lege diemque regis:
17 Imperioque tuo, medio ſtat in aere tellus,
Septa vadis; æſtas ardet, & alget hiems.
18 Adſpice ſacrilegi populi convicia, laudes
Qui premit & ſtulto deterit ore tuas.
19 Turturis, ah! vitam ne milvis objice; curam
Nec gregis afflicti deleat ulla dies.
20 Vive memor pacti: nequicquam quærimus umbras:
Scilicet hoſtilis regnat ubique furor.
21 Abſit! ut afflicto turpis pudor inquinet ora:
Da potius laudes ut canat ille tuas.
22 Evigila, cauſſamque tuam ne deſere; probri
Vive memor, quo nos ſtulta caterva premit.
23 Hoſtiles expende minas; en prurit in arma,
Inque dies creſcit ſeditioſa manus.

PSAL. LXXV.

LIngua, Deus! te noſtra canet; tibi ſolvere grates,
Perque tuas laudes barbitos ire parat:
Te tua præſentem monſtrant miracula terris;
Et tuus hinc orbi fit manifeſtus amor.
2 Mox, ais, aſſumam gentem mihi fœdere vinctam;
Legibus & ſanctis juſtitiâque regam:
3 Cum populis luxata licet, liquefactaque tellus
Diffluat; illa meâ reſtituetur ope.
4 Vana cohors, dixi, ſcelerum quid frena relaxas?
Stulta, quid elatis cornibus aſtra feris?
5 Deſine, gens exlex, cœlo, Dominoque minari;
Deſine præfracto gutture verba loqui.
6 Nec Notus aut Boreas dat opes, faſceſque; nec Eos,
Nec plaga, ſe vitreis ſol ubi mergit aquis.
7 Jura dat humanis divina potentia rebus;
Hunc levat; hunc pedibus, cùm lubet, illa premit.
8 Tu, Deus! undantem pateram fers vindice dextrâ;
Mixtaque purpureo ſunt aconita mero:
Hos meritæ devota neci gens impia ſuccos
Ebibet, & quidquid pocula fœcis habent.

9 Cel-

9 Te, pater Iſacidûm! ſublimi carmine tollam;
Dum ſtabilis tellus, mobilis æther erit.
10 Colla premam tumidis; ſed cultor juris & æqui
Surget humo, merito cinctus honore comas.

PSAL. LXXVI.

SAncta Deum Judæa colit; virtutis & ille
Iſacidûm populo dat documenta ſuæ:
2 Ille ſacro ſolio Solymam delegit amœnam;
Ille Sionæa gaudet in æde coli:
3 Hîc clypeos, enſeſque ducum confregit & arcus;
Et bellatrici tela vibrata manu.
4 Tu, Deus! immanes ſuperas virtute leones;
Quos tegit in tetricis ſilva remota jugis.
5 Hoſtibus obrepſit ſopor; &, te vindice, dextræ
Diriguêre metu; prædoque præda fuit:
6 Vox ſimul intonuit cœli de vertice; currus
Impetus, & volucres vis ſua liquit equos.
7 Te tremit accenſo tellus; ultricibus iris
Quis queat & telis obvius ire tuis?
8 Cum tua de cœlo populis mandata dediſti;
Conticuit ſacro terra retenta metu:
9 Vidit & obſtupuit, lex cùm cœleſtis egenis
Attulit optatam, dum premerentur, opem.
10 Te canet hoſtili nuper quæ ferbuit irâ
Turba ferox; reliquis protinùs ora premes.
11,12 Concipe vota Deo, qui terret fulmine terras;
Quodque voves poſito, gens pia, ſolve dolo:
Munera fer Domino, qui colla tumentia faſtu
Proterit, & Regum ſceptra pavore quatit.

PSAL. LXXVII.

VOta meo ſupplex fudi Dominoque, Deoque;
Audiit ingenuas impiger ille preces.
2 Æger opem petii; ſed nocte recruduit atrox
Vulnus, & auxilium reſpuit omne dolor:
3 Sidera ſuſpiciens implevi queſtibus auras;
Et mens curarum mole ſepulta fuit:
4 Triſtibus ex oculis ſomnum, Deus! excutis omnem;
Et dolor infeſtus non ſemel ora premit:

5 Sæpe quod exegi ſubit irreparabile tempus;
Et pede qui volucri præteriêre dies:
6 Plectra miſer recolo, longæ ſolamina noctis;
Et mecum vigili ſic ego mente queror:
7 An Deus afflictis æternùm ſubtrahit ora?
An ſolitam poſthac ferre negabit opem?
8 Illius an ſumtis fugit clementia pennis?
An data ſunt agili vota ferenda Noto?
9 Priſcus an ex animo favor eſt eraſus? amoris
An teneri famulis obſtruit ira fores?
10 Hæc ego: ſed mentem querulo malus abſtulit error:
Nunc recolam dextræ facta priora tuæ:
11, 12 Hæc mihi ſuccurrent annalibus eruta priſcis;
Jugiter hæc repetet mens pia, lingua canet.
13 Sunt operum ſideique tuæ ſacraria teſtes;
Nec tibi par ſuperâ regnat in arce Deus:
14 Inclita fulmineam comitant miracula dextram;
Et majeſtatis conſcia terra tuæ eſt:
15 Tu, Deus! Iſaciâis, invicto robore cinctus,
Demſiſti Pharii barbara vincla ſoli:
16 Te mare conſpecto tremuit, fluctuſque profundi;
Protinùs & poſitis obſtupuêre minis:
17 Nubibus è ruptis imbres cecidêre ſonori;
Actaque præcipiti turbine grando ruit:
18 Fulmina terrebant & mixta tonitrua flammis;
Et tremuit ſubito concita terra metu:
19 Tu mare calcâſti; tua ſed veſtigia delens
Obruit hoſtiles unda reducta rotas:
20 Auſpice te, ſacras Moſes cum fratre phalanges
Duxit, ut errantes per juga paſtor oves.

PSAL. LXXVIII.

SAcra cohors! monitis reſera cœleſtibus aures;
Et memori voces mente reconde meas:
2 Merſa diu tenebris populis oracula pandam;
Omnibus & priſci temporis acta canam:
3 Auribus acceptas, & quas benè novimus omnes,
Res loquar; & ſancti quæ memorâſtis avi;
4 Abſit! ut hæc ſeros celemus facta nepotes;
Miraque pollenti parta tropæa manu.

5 Jura

5 Jura ſuo populo Dominus, legeſque perennes,
Pactaque perpetuò commemoranda dedit:
6 Juſſit ut hæc ſoboli pietas & cura parentum
Proderet; & ſeclis ſecla priora novis.
7 Sic Deus agnoſcit, ſic ſpem fulcire piorum,
Sic populum voluit, quò jubet, ille ſequi:
8 Cura fuit, legum detrectans frena rebelles
Æmula poſteritas ne ſequeretur avos:
Mens illis diſtorta fuit; nec cura, nec ullus
Numinis in bruto pectore ſenſus erat.
9 Cur tribus Ephræmi, gravidis incincta pharetris,
Terga dedit; primæ cùm cecinêre tubæ?
10 Scilicet infandis violârat fœdera dextris;
Spreverat & Domini juſſa tremenda ſui:
11 Merſerat & tenebris ſuperi miracula Regis;
Totque triumphatos, hoc præeunte, duces.
12 Quem fugiunt, coram proavis quæ conditor orbis
Edidit ad portas, barbare Nile, tuas?
13 Hîc mare diſſecuit, cumulataque murmure ſacro
Æquora ſecurum pandere juſſit iter.
14 Sol jubar ut pandit, rexit veſtigia nubes;
Noctis & in tenebris prævia flamma fuit:
15,16 Fluxit & è ſilicum venis arentibus humor;
Cotis & è medio flumina dulcis aquæ.
17 Non tamen abſtinuit ſcelerum gens impia, rupes
Inter inacceſſas, & loca ſenta ſitu:
18 Mente nefas meditans accendit numinis iras,
Ingluvies epulas dum petit atra novas:
19 Inque Deum linguas acuens, in finibus iſtis
Delicias populo quas, ait, ille dabit?
20 Elicuit ſaxis latices; an munera farris,
Et quas appetimus proferet inde dapes?
21 Talibus accenſus rerum Deus arbiter, iræ
Strinxit in Iſacidas tela timenda ſuæ:
22 Scilicet hæc ſuperûm gens eſt diffiſa parenti;
Illius & nihili perfida duxit opem.
23 Ille tamen nubes reſeravit & horrea cœli;
Unde pluit liquidis æmula manna favis:
24 Deſuper irrorans meſſes ſuffecit olimpus;
Omnibus angelicas præbuit ille dapes:
25 His epulis populum Dominus cumulavit ab alto;
Quæque ligurivit fercula quiſque tulit:

26 Illius

26 Illius imperio volucres hinc impiger Auſter
Ponè ruens caſtris intulit, inde Notus:
27 Si numeres, non tot vallatur littus arenis;
Plura nec æſtivus corpora pulvis habet:
28 Agminis aligeri circum tentoria nubes
Decidit, & patulas texit ubique vias:
29 Talibus ingluviem gens hæc devota ſaginæ
Pavit, & optatus venit in ora cibus.
30 Creſcebat ſcelerata fames, ſemeſaque fruſta
Faucibus hærebant, cùm Deus ultor adeſt;
31 Ille ſaginatos, odio ſtimulatus & irâ,
Obruit Iſacidas, Iſacidûmque duces.
32 Non tamen hæc populi mutant miracula mentes;
Nempe ſacris monitis derogat ille fidem:
33 Ergò Dei juſſu gens hæc evanuit omnis;
Inter & ærumnas concidit ante diem.
34 Tot mala perpeſſus rediit, vigilique labore
Divinam populus poſcere cœpit opem:
35 Tum ſubiit, quoties cœleſti tectus aſylo,
Spreverit inſtantem depuleritque necem:
36 Impia ſed blandæ demens mendacia linguæ,
Verbaque fundebat byſſina texta dolo:
37 Blanditias inter medias mens neſcia recti;
Immemor & ſancti fœderis uſque fuit.
38 His tamen ignovit Deus, & quas ſumſerat iras
Exuit; ultrices abſtinuitque manus:
39 Scilicet humanæ ſubiit ſors lubrica vitæ;
Æmula quæ venti non reditura fugit.
40 Irritata Dei quoties patientia victa eſt;
Invia dum populus per loca ferret iter?
41 Crevit & impietas, brevibus comprendere metis
Cùm majeſtatem numinis auſa fuit:
42 Mentibus exciderant ſuperæ miracula dextræ;
Et libertatem quæ dedit alma dies:
43 Nec ſubeunt animos Phariis quæ nuper in oris,
Inque Soanæo geſta fuêre ſolo.
44 Hîc Peluſiaco manârunt ſanguine rivi;
Nec latices uſquam qui biberentur erant:
45 Alta venenatis ſquallebant attia muſcis;
Scandit & auratos lurida rana toros:
46, 47 Bruchus edax ſegetes, vaſtârant arva locuſtæ;
Decideràt uvæ grandine, mora gelu:

48 Gra

48 Grandine percuſſi validi cecidêre juvenci;
Fulmine lanigeri diſperiêre greges:
49 Numinis incaluit furor, inviſoſque Canopi
Triſtibus eſt geniis depopulatus agros:
50 Ira ferox ſibi fecit iter; diſcrimine nullo,
Omnibus eroſit viſcera peſtis atrox:
51 Mors cita primitias ſobolis, floremque juventæ
Abſtulit, & vires, maxime Nile, tuas.
52 At Deus Iſacidas Phariis eduxit ab oris;
Pandit & inſolitas per loca ſola vias:
Perdius & pernox, inter deſerta ferarum;
Sic ſolet imbelles ducere paſtor oves:
53 Carpſit iter tutum populus, formidine pulsâ,
Cùm Peluſiacos obruit unda duces:
54 Appulit huc tandem, ſacras ubi cernimus aras,
Et juga cœleſti ſub juga miſſa manu:
55 Gentibus ejectis, Deus illi tecta, lareſque,
Et diſtincta ſuis finibus arva dedit.
56 Illa tamen rurſus tentavit numinis iras,
Fallere jurati fœderis auſa fidem:
57 Rurſus ad ingenium rediit, moreſque priores;
Et perjuratis æmula vixit avis:
Cornibus adductis oculos ſic decipit arcus;
Et facies ſubitò quæ fuit antè redit:
58 Stulta ſuperſtitio celſis in collibus aras
Struxerat, & pictos eſt venerata Deos.
59 His Deus incenſus, populum ſibi fœdere junctum
Odit, & exſuperans neſciit ira modum:
60 Nec mora, Silonis fugiens ſacraria, dixit,
Cara priùs tellus, nunc odioſa, vale:
61 Numinis & teſtis locuples, & fœderis index,
Præda peregrinis arca ſacrata fuit:
62 Dumque ſuam contra ſobolem Deus aſperat iras,
Telaque; ſacrilego ſanguine tinxit humum:
63 Ignibus exſtincti juvenes cecidêre; puellæ
Feſta novis thalamis carmina nemo dedit:
64 Enſe ſacerdotes perierunt; nulla ſuperſtes
Funera quæ fleret conjugis uxor erat.
65 Mox Deus evigilans æſtum convertit in hoſtes;
Sic fremit à nimio militis ira mero:
66 Foſſaque ſunt illis inhoneſto vulnere terga;
Turpis & æternùm venit in ora pudor.

67 Non

67 Non tamen indulſit Siloni fœderis arcam;
Sacra nec Ephræmo ſceptra ferenda dedit:
68 Prætulit his Judæ ſobolem, ſanctæque Sionis
Culmina; divini captus amore loci:
69 Sic ſibi templa Deus poſuit contermina cœlo;
Et duraturo tecta coæva ſolo:
70 Jeſſiademque legens famulum ſibi, linquere caulas
Juſſit, & hirſutos lanigeroſque greges:
71 Protinùs huic ſceptrum tribuit, moderator ut eſſet,
Ductor & Abramidûm, qui modò paſtor erat;
72 Præfuit hic regno; vigil & prudentia faſces,
Et ſolii candor cinxit utrumque latus.

PSAL. LXXIX.

TElluris cœlique parens & rector! agellum
En tibi devotum barbarus hoſtis habet!
En tua flagitiis inceſtat templa nefandis!
Et ruit arx Solymes & jacet æqua ſolo.
2 Ah! gregis electi depaſcitur ilia vultur;
Dantur & infeſtis membra voranda lupis:
3 Mœnia cæde madent, undat per compita ſanguis;
Oſſa legit nemo, ceſpite nemo tegit:
4 Interea noſtras ridet gens accola clades;
Orbis & opprobrium, ludibriumque ſumus.
5 Ecqua tuas, rerum genitor! lux finiet iras?
Ignis an in morem perpetis uſque fremes?
6 Numinis ignaros, & te qui poſcere votis
Detrectant, iræ fac documenta tuæ.
7 Segregis in populi jugulum manus impia ferrum
Merſit; & eſt ſacros depeculata lares:
8 Mille modis premimur: tu quæ patravimus olim
Dele animo, promtam lenis & adfer opem.
9 Aſſere ſemineces, & nævos elue; laudes
Nominis ut celebrent terra fretumque tui.
10 Cur mala progenies ſic ſecum muſſitat, Illud
Quod colit Abramidûm natio, numen ubi eſt?
Ultor ades, populoque tuo ſpectante, rebelles
Obrue, qui noſtro ſanguine tela linunt:
11 Suſcipe captivi gemitus, mortiſque propinquæ
Impia pollenti vincula ſolve manu.

12 Te

12 Te quibus adſperſit ſacræ gens accola terræ;
Probra, parens rerum! multiplicata refer:
13 Hoc tibi ſolennes reddet pro munere grates
Grex pius, & laudes concinet uſque tuas.

PSAL. LXXX.

ADfer opem, Solymæ paſtor! cui luce coruſcâ
Spiritus hinc ales cingit & inde latus:
2 Prome jubar vireſque tuas, ſpectante Manaſsâ;
Et patris Ephræmi Benjaminique tribu.
3 Arbiter armorum! palantes collige: vultum
Redde tuum; vitam protinùs ille dabit.
4 Quò furor uſque tuus belli, pater optime! præſes,
Noſtra dabit levibus vota ferenda Notis?
5 Tu lacrimis epulas, lacrimis tu mixta dediſti
Pocula; nec fuit his meta moduſve malis:
6 Impia, quas patimur, rifit vicinia clades;
Motaque de ſpoliis rixa moleſta fuit.
7 Arbiter armorum! palantes collige: vultum
Redde tuum; vitam protinùs ille dabit.
8 Gentibus exciſis hîc vinea floruit, arvis
Quam tua de Phariis tranſtulit antè manus:
9 Auſpice te, Solymæ radices fixit in oris
Altiùs, & multo palmite texit humum:
10 Pampinus apricis induxit collibus umbras;
Sic viret in Libani cedrus amœna jugis:
11 Hinc erat Euphratis gelidæ contermina ripæ;
Æquoreis illinc brachia junxit aquis:
12 Cur, Deus! hanc ſeptis viduas? Cur ſepibus altis
Orba viatorum carpitur illa manu?
13 Sævus aper vites violavit dente novellas;
Et rabidis uvæ præda fuêre feris:
14 Ergò redi, viteſque tuas de ſede ſuprema
Protege, victrici qui regis arma manu:
15 Quam tua conſevit, quam fovit dextera, curæ
Sit tibi votivo vinea fœta mero:
16 Hanc populant igniſque vorax, ferrumque; furoris
Præda ſumus miſeri materieſque tui.
17 Tu tibi ſelectos ultrici protege dextrâ;
Viribus invictis quos tuus auxit amor:

18 Redde tuis vitam; ſic quò tu juſſeris omnes
Ibimus, & laudes vox canet una tuas.
19 Arbiter armorum! palantes collige: vultum
Redde tuum; vitam protinùs ille dabit.

PSAL. LXXXI.

QUiſquis es, auctorem vitæ ſuper æthera lætus
Effer, & Iſacidûm carmina pange Deo:
2 Sidera vox feriat, jungantur nablia voci;
Et fidibus teneræ plectra canora lyræ:
3 Clange tubâ, dum luna filet contermina ſoli;
Feſtus erat ſanctis patribus ille dies:
4 Hanc tulit Iſacidis legem Deus ipſe Sionis;
Nec populo lux hâc ſanctior ulla fuit:
5 Illa dies indicta fuit, cùm ſancta propago
Liquiſſet Pharii barbara regna ſoli.
6 Huic ego ſuccurri Nili, Deus inquit, ad undas;
Faſce levans humeros, fictilibuſque manus:
7 Obſcura de nube tonans, ego rebus in arctis
Reſpondi votis, auxiliumque tuli:
Hujus at ingenium populi, moreſque probavi;
Cùm Meribæ querulis ora rigavit aquis.
8 Quiſquis es Iſacidûm, memori mea dicta reconde
Pectore; jurato nec mihi deme fidem:
9 Si mihi das aurem, me præter vana Deorum
Nulla tibi finges numina, nulla coles:
10 Te Peluſiaci duxi de carceris umbrâ,
Compede detracto; plus pete, plura dabo.
11 Hæc ego: ſed pelagi ſoboles mea ſurdior undis,
Aversâ monitus reſpuit aure meos:
12 Ergò libidinibus juſſi dare frena, ſuoque
Quemque rapi genio conſilioque regi:
13 O utinam noſtris auſcultans vocibus, Hebri,
Me duce, poſteritas inſtituiſſet iter!
14 Obvius iviſſem cuneis hoſtilibus, ipſos
Et mea juſſiſſem vincula ferre duces:
15 Hoſtibus illa meis, omnis ſecura ruinæ,
Calcâſſet domino colla ſuperba pede:
16 Terra ferax illi meſſes fudiſſet opimas;
Dulcibus undâſſent aſpera ſaxa favis.

PSA.

PSAL. LXXXII.

CUm pater æthereus ſolio conſideret alto;
Purpureos inter, ſceptrigeroſque choros:
2 Veſtra cohors, inquit, quò leges proteret uſque?
Et pendet trutinâ faſque nefaſque pari?
3, 4 Legibus armentur tenues & patribus orbi;
Nec premat imbelles tincta cruore manus.
5 Sic ait: aſt illis cæcâ caligine pectus
Cingitur, & lucem mens malè ſana fugit:
Hos ultrix ſcelerum luxato cardine tellus
Obruet, in priſcum ſponte relapſa chaos.
6 Hos ego, quos ſceptris decoravi, voce benignâ
Sæpe Deos dixi, progeniemque Dei:
7 Regia ſed raſtris æquabit ſceptra, tyrannis
Et vos cum reliquis mors violenta metet.
8 Tu, Deus! exſurgens telluri jura miniſtra;
Quos habet hæc populos tu, pater alme! regis.

PSAL. LXXXIII.

REbus in adverſis vocem ne ſupprime; rebus
In deploratis, ne, Deus! uſque ſile:
2 Gens inimica tibi, furiis immanibus acta,
En fremit! & criſtis cominùs aſtra ferit,
3 En coit! utque pios ſolâ caligine tutos
Opprimat, inſidias ſubdola mille parat.
4 Quin, ait, eruimus recutitæ germina gentis;
Ne qua Jacobæos natio jactet avos.
5 Te Dominum contra conſpirant nequiter omnes,
Et feriunt tacito fœdera ſæva dolo:
6 Cum Nabathæorum populis conjurat Idume;
Cumque Moabæa gens Agarena coit:
7 Gabala ſe Tyriis jungit, crudelis & Ammon;
Cumque Paleſtinis fert Amalecus opem:
8 Advolat Aſſyriæ populus, Lothique nepotes
Impiger anxilio conſilioque juvat.
9 Hos, Deus! exſtirpa; pereant, Ciſſontis ad undas
Ut cecidit telis gens Madiana tuis:
Utque ruit ſubito tranſfixus Sifera ferro;
Quod tibi perniciem, ſæve Jabine, tulit:

10 More ſimi campos texêre cadavera; cladis
Hujus & Endoræ conſcia terra fuit.
11 Ut Zebus, & Zebeas, & Zalmana junctus Orebo;
Sic pereant, populus quos habet iſte duces:
12 Ad ſacra, dixerunt, properemus limina templi;
Limina victrici mox ſubigenda manu.
13 Hòs age, rerum opifex! & verſa vindice dextrâ;
More levis paleæ, præcipitiſque rotæ:
14 Ut vaga piniferas vaſtant incendia ſilvas;
Ut furit in ſummis ſtridula flamma jugis:
15 Sic tu ſacrilegum populum crepitante procellâ,
Et fera fulmineo turbine caſtra quate:
16 Inquinet ora pudor, mens dum ſtupefacta malorum
Mole, tuam tandem poſcere diſcat opem:
17 Turpibus opprobriis & fluctibus obrue vaſtis;
Et pereant, merſos nec levet ulla dies:
18 Ultor ades, qui jura regis; ſic maximus orbis
Te Dominum, ſolum te ſciet eſſe Deum.

PSAL. LXXXIV.

O Quibus illiciis, belli, Deus! inclite præſes!
O quibus imperiis me tua templa trahunt!
2 Cor micat, exſultant fibræ, vox infremit, illis
Dum ſimul & ſacro numinis ore fruar.
3 Ponè tuas habitat, belli, Deus! arbiter, aras
Paſſer, & hîc cunas paſcit hirundo ſuas.
4 O felix nimiùm tua qui colit atria! laudes
Ille tuas jugi voce ſub aſtra feret.
5 Audiet & felix te quiſquis fidit, & ille
Qui comes eſt populo, dum tua templa petit:
6 Quà ferret hic greſſum, fontes dabit arida vallis;
Inque cavas foſſas depluet agmen aquæ:
7 Inſtaurabit iter vires, & numinis ora
Viſurus, Solymæ figet in æde pedem.
8 Tu qui bella regis, Solymam qui protegis armis,
Cœli opifex! famuli fac rata vota, precor.
9 Aſpice nos placidus, clypei quos protegis umbrâ;
Et ſimul in Chriſtum lumina fige tuum.
10 Quàm domus, alme parens, tua me delectat! in illa eſt
Mille mihi ſæclis gratior una dies:

Aurea

PSAL. LXXXV.

Aurea purpurei ſibi ſervent atria Reges;
Hîc potiùs cuſtos liminis eſſe velim.
11 Te fas eſt clypeum, te fas eſt dicere ſolem;
Tu decus & vitæ præmia certa dabis:
Candida cui mens eſt, & purum crimine pectus;
Hunc honor, ingentes hunc comitantur opes:
12 O pater armipotens! te quiſquis nititur uno,
Hic mihi felices inter habendus erit.

PSAL. LXXXV.

TU, Deus! Iſacidûm ditâſti meſſibus arva;
Te duce, Niliaci liquimus antra ſoli:
2 Agminis electi tua quondam gratia nævos
Texit, & æquoreis crimina merſit aquis.
3 Quâ prius ardebas, tandem deferbuit ira;
Et minus antiquæ jam feritatis habet:
4 Da reduces tua caſtra ſequi; cuſtoſque fidelis!
Quod ſupereſt iræ perpete nocte preme.
5 Nullane conceptam reſtinguent ſæcula bilem?
Nullane fulminei meta furoris erit?
6 Nec ſolitas unquam vires, vitamque reduces?
Geſtiat ut vultu mens animata tuo,
7 Adfer opem, patriique jubar diffunde favoris;
Pace, Deus! niveâ te comitante veni.
8 Deſuper exſpecto vocem; ſi turpia vitant,
Mentibus illa piis nuntia pacis erit.
9 Vicinam promittet opem metuentibus iras
Numinis, & Solymæ clara tropæa jugis.
10 Ibit in amplexus alacris clementia veri;
Oſcula juſtitiæ pax quoque blanda dabit:
11 Altiùs è terris verum caput efferet; æquum
Exſeret os cœlo, deſpicietque ſolum:
12 Pandet & aſtriferi rerum pater horrea cœli;
Et ſata cum multo fœnore reddet ager:
13 Prævia cœlicolûm Regi pax aurea paſſim
Ibit, & optatas pandet ubique vias.

PSAL.

PSAL. LXXXVI.

TEnde meis aurem, cœli Rex optime! votis;
Advolvor genibus pauper inopſque tuis.
2 Protege nunc vitam famuli non digna ferentis;
A te, quam poſco, ſpes mihi pendet opis.
3 Fer, Deus! auxilium, ſemperque ſalutifer adſis;
Te Dominum ſupplex nocte dieque voco.
4 Tu famulum recrea, dum cingunt undique ſyrtes;
Spes mea te ſolum, quem tueatur, habet,
5 Supplicis, abjectâ quâ mens excanduit irâ,
Te miſeret; bonitas & tua ſine caret.
6 Te precor, exaudi genitus & vota precantis;
Ne pereat pelagi ſpes mea merſa vadis.
7 Cùm premar adverſis, te poſcam ſupplice voto;
Aure, Deus! facili tu mea verba leges.
8 Par tibi nemo deûm eſt; nec ſunt miracula, divi
Quæ reliqui jactant, æquiparanda tuis:
9 Te, Deus! auctorem rerum canet ultimus orbis;
Seque ſui ſternet principis ante pedes.
10 Majeſtas immenſa tibi eſt; miracula captum
Exſuperant: ſolus tu, Deus! aſtra regis.
11 Tu mihi pande viam, tu greſſus dirige, firma
Pectus; ut intrepidus, te duce, recta ſequar:
12 Sic ego te toto celebrabo pectore; carmen
Et mihi perpetuum tu, Deus! unus eris.
13 Fine carens bonitas tua me defendit; opaco
Me tuus à lethi carcere traxit amor.
14 Ah! quoties in me vefano turgida faſtu,
Contemtrixque tui gens violenta ruit?
15 Sed tibi, cœlicolûm rector! mens ſegnis ad iram;
Et memor eſt pacti, pollicitique tenax.
16 Reſpice me famulum; letho, Deus! eripe vernam;
Neve ruam, vires jugiter adde novas.
17 Hoſtis in opprobrium, veteris da pignus amoris;
Et patrocinii lucida ſigna tui.

PSAL.

PSAL. LXXXVII.

ECce Sionæas infertas nubibus arces!
Et Solymæ ſacris mœnia nixa jugis!
2 Urbibus hanc præfert quot habet ſtirps inclita Judæ;
Hanc in deliciis conditor orbis habet.
3 Fama tuos titulos totum diffundit in orbem,
Urbs ſacra! divinâ quæ fabricata manu es.
4 Civibus addentur Solymæ Babylonis alumni;
Confluet huc populus, barbara Memphi, tuus;
Juncta Paleſtinæ Tyrus huc concedet, & ipſi
Æthiopes; ſacri pars aliquanta gregis:
5 Nobilis hic Solymæ civis dicetur, & ille;
Hanc Deus imperio muniet ipſe ſuo.
6 Et populum quoties ſupera cenſebit ab aula,
Dicet, Hic eſt urbis civis & ille meæ.
7 Efferet hanc linguis populus, fidibuſque canoris;
Et mea victurum vox canet alta melos.

PSAL. LXXXVIII.

FOns opis & vitæ! ſupplex tibi nuncupo vota;
Pallida ſeu nox eſt, ſeu nitet orta dies.
2 Jugibus inclina facilem clamoribus aurem;
Nec famuli tetricâ deſpice fronte preces.
3 Cladibus indignis, & fluctibus undique cingor;
Jamque meas pulſat mors inopina fores.
4 Manibus adſcribor gelidis, & inanibus umbris;
Priſtinus & liquit flaccida membra vigor:
5 Sic jacet exſanguis tumuli ſub fornice; cuſpis
Quem fera legitimum meſſuit ante diem:
Hunc, ubi conceſſit fatis, de pectore deles
Protinùs, exſtincti cura nec ulla ſubit.
6 Ah! miſer inferni ſpeluncâ condor in imâ;
Et tenebras inter vita trahenda mihi eſt.
7 Fluctibus innumeris miſerum caput obruis, iræ
Dum nimis indulges libera frena tuæ.
8 Me fugiunt ſocii, me deteſtantur amici;
Squallida dum duri carceris antra colo.
9 Triſtibus ora madent lacrimis, ad ſidera palmas
Dum levo, te Dominum dum ſine fine voco.

10 Tunc

10 Tune tuas famuli promes in funere vires?
An poſt exſequias te canet umbra redux?
11 An fidei tumulus putris, & ſine nomine corpus?
An cinis exſtinctus pignus amoris erit?
12 Juſtitiamne tuam celebrabunt carmine manes?
Fortia vel tenebræ facta ſub aſtra ferent?
13 Te tamen oravi ſupplex, ſemperque vocabo;
Orta dies croceis dum fugat aſtra rotis.
14 Ah! Deus, ah! animam mediis cur linquis in undis
Cur tua jactatæ ſubtrahis ora rati?
15 Me mala, me teneris mors circumſeſſit ab annis;
Et tua me trepido perculit ira metu.
16, 17 Obrutus his perii; dejectus ab æthere nimbus
Intempeſtivis ſic fata mergit aquis.
18 Quos mihi junxit amor ſocii fugêre; tribules
Et ſimul in tenebris delituêre mei.

PSAL. LXXXIX.

TE Dominum, pater alme! canam fidumq; bonumq;
Audiet & numeros ultima terra meos:
2 Certus amor, dixi, tuus eſt, bonitaſque perennis;
Et fidei cœli regia teſtis adeſt.
3 Cum tibi dilecto pepigiſti Davide fœdus;
Summaque jurati fœderis iſta fuit:
4 Progenies, ſoliumque tuum durabit; in orbe
Semita dum lunæ, dum via ſolis erit.
5 Sancte parens! tua facta polus, tua fœdera tellus
Efferet; & populi, quos tuus urit amor.
6 Par tibi quid ſuperûm ſublimia tecta? ſecundum
Quem tibi purpureo de grege terra dabit?
7 Grex facer attonitus te ſpectat, & agmina cœli
Poplite curvato te venerantur herum.
8 Arbiter armorum! quis te vel viribus æquat?
Fœdera vel ſervat candidiore fide?
9 Te penes imperium eſt pelagi; tua juſſa capeſſens
Sponte procelloſi ſternitur unda maris.
10 Foſſa tuis cecidit pubes Mareotica telis;
Tergaque nudavit gens inimica fugæ.
11 Te Dominum tellus, auctorem ſuſpicit æther;
Et quidquid tellus, quidquid & æther habet:

12 Vox tua ſublimi Boream deduxit ab arctò;
Et pluvios humili miſit ab axe Notos:
Geſtit ovans Hermon, te geſtit principe Tabor;
Hic Zephyris, Euro proximus ille levi:
13 Eſt tua per cunctas diffuſa potentia terras;
Cunctaque pollenti robore dextra regit.
14 Sunt comites jus faſque tui; ſolioque perenni,
Hinc ſine labe fides adſtat & inde ſalus.
15 O felix tua quem delectat buccina! vultûs
Ille tui fretus lumine carpet iter.
16 Nocte dieque tuas ſolemni carmine laudes
Dicet ovans, & te vindice ſurget humo.
17 Tu decus æternum, tu vires ſufficis unus;
Et tuus è cæno tollit in aſtra favor:
18 Tu, pater Iſacidûm! nos tutelaribus armis
Cingis, & invicti munia Regis obis.
19 Sedibus è ſuperis afflatus numine vates,
Quem tibi ſacrâſti, talia dicta dedit:
Donavi Solymis præſtanti corpore Regem,
Quem meus è populo ſegrege legit amor:
20 Jeſſiadæ famulo, ſucco cui dulcis olivæ
Tempora perfudi, ſceptra ferenda dedi:
21, 22 Huic ego ſufficiam vires, dextrâque tuebor;
Sive parent hoſtes ſpicula, ſive dolos:
23 Quæ premet hunc odiis coràm ruet hoſtica pubes,
Ultriceſque mihi ſentiet eſſe manus:
24 Huic mea ſed bonitas & amor, non immemor icti
Fœderis, imperii frena regenda dabit:
25 Illius Euphrates olim victricibus armis,
Totaque Sidonii ſerviet unda maris:
26 Fœderis ille memor ſacri, patremque Deumque,
Omnis & auctorem me celebrabit opis:
27 Illum ego primitias ſobolis, Regemque vocabo,
Sceptrigeriquè ducem præſidiumque chori:
28 Quod pepigi, nullo claudetur limite fœdus;
Nullaque promiſſi meta favoris erit:
29 Sera nec illuſtres exſtinguent ſecla nepotes;
Sceptraque durabunt, dum vehet aſtra polus.
30, 31 Sed ſi fortè meas ſoboles detrectat habenas
Degener, & renuit fœdera ſancta ſequi:
32 Protinùs ulciſcar: meritas dabit improba pœnas:
Progenies plagas ſentiet iſta meas:

33 Hunc tamen æternùm ſolitâ bonitate tuebor;
Perpetis & fidei pignora certa dabo:
34 Abſit! ut antiqui diſrumpam vincula pacti;
Et rapiant voces ventus & unda meas:
35 Ipſe meum jurans numen, cum Davide ſanxi
Fœdera, non dubiam quæ meruêre fidem;
36 Æquævum ſoli ſolium reget inclita proles;
Sceptra nec excutiet, quæ geret, ulla dies:
37 Aſtra poli teſtor, citiùs ſul aureus orbem
Linquet, & exſtincto lumine luna ruet.
38 Tu tamen hunc orbis faſtidis rector & horres,
Bile calens; Regis nec tibi cura tui eſt:
39 Fœdera tu violans ſacrum diadema profanas;
Calcat & hæc tumido gens ſcelerata pede:
40, 41 Oppida tu muris nudas, & ſubruis arces;
Prædaque nunc hoſtis ludibriumque ſui eſt;
42 Hoſtibus interea tu munis robore dextras;
Cordaque, lætitiâ luxuriante, reples.
43 Rex tuus, ah! trepidus totis excedere caſtris
Cogitur, & turpi vertere terga fugæ:
44 Jamque ſacræ pedibus calcatur gloria frontis;
Et jacet obſcæno merſa corona luto:
45 Carpitur ante diem demeſſo flore juventa;
Turpat & auguſti principis ora pudor.
46 Quò, Deus! uſque tuos abſcondent nubila vultus?
Perpes an accenſi flamma furoris erit?
47 Ah ſubeat quàm fluxa mihi ſit vita, breviſque!
Cur genus Adamidûm fabrica vana ſumus!
48 Quem non falce metit fera mors? Quis mole ſepulc
Obrutus, inferno victor ab orbe redit?
49 Quò ſe priſcus amor, quò ſe clementia vertit
Priſtina, cumque tuo Davide pacta fides?
50 Adſpice quæ patimur procerum ludibria paſſim,
Probraque quæ tacito pectore clauſa fero:
51 Aſperat in Chriſtum ſtolidas gens impia linguas,
Illius & lentas exprobrat uſque moras.
52 Ah precor! alme parens, tuus ut ſuper ætheris axes
Emicet, & demto fine perennet honos.

PSAL

PSAL. XC.

NOs, Deus! à primis tua texit dextera ſeclis;
Hæc errabundis ſtruxit ubique lares.
2 Tu conſtans, ſtabiliſque manes; convallibus imis,
Montibus & ſummis, ſideribuſque prior:
3 Sed mortale genus diffingis vindice dextrâ;
Inque leves cineres durus abire jubes.
4 Sunt tibi ſecla decem, ceu lux heſterna vel hora;
Quæ vigili, freno non remorante, fugit:
5,6 Inſtar aquæ fluimus; tacitæ ſic noctis imago,
Sic flos manè virens, ſole cadente, perit.
7,8 Nos, Deus! exſcindis, meritas dum ſurgis in iras;
Nudaque ſunt oculis crimina tecta tuis.
9 Dum tua mille modis nos vexat dextera; præpes
Vita volat, ceu vox, quam rapit aura levis:
10 Quâ fruimur luſtris bis ſeptem clauditur ætas;
Contingunt vegeto luſtra bis octo ſeni:
Triſtius at nihil eſt aut ærumnoſius illis;
Ah! ferimur rapidis æmula turba Notis.
11 Quis, pater alme! tuæ vires ſat perſpicit iræ?
Par majeſtati, prò dolor! illa tuæ eſt.
12 Metiri da poſſe dies, momentaque vitæ
Futilis; & veri pectora luce reple.
13 Tolle moras, faciliſque veni, famuloſque ſagittis
Tempore venturo figere parce tuis.
14 Ociùs adfer opem, mens ut, dum veſcimur aurâ,
Geſtiat aucta tuis & ſaturata bonis.
15 Tempora temporibus compenſa triſtia lætis;
Noctis & abſtergens nubila, redde diem.
16 Da famulis, ſoboliquæ, Deum te noſſe potentem;
Et tuus his poſthac ſit manifeſtus amor.
17 Nos, pater! illuſtra radiis, quibus ipſe coruſcas;
Et tuus æternùm facta ſecundet amor.

PSAL. XCI.

NUminis excelſi cui ſunt ſacraria ſedes,
Illius hunc, hoſtis cùm premit, umbra teget.
2 Auctor opis certè Deus eſt; hunc rebus in arctis
Agnoſcam vitæ ſpem columenque meæ:

3 Ille dabit, tacitis ne te gens impia technis
Implicet, aut peſtis tabida falce metat:
4 Illius imbellem te proteget ala; fideſque
Pacta ſemel, clypei triplicis inſtar erit:
5,6 Te neque terrebunt tenebræ, nec tela diurna;
Nec fera quæ ſævit nocte dieque lues:
7 Mille licet dextram cingant, totidemque ſiniſtram
Funera, pernicies nulla timenda tibi eſt.
8,9 Te coram gens prava ruet, quia ſuſpicis illum,
Qui ſpes eſt vitæ præſidiumque meæ:
10 Sed tua te pietas tutum præſtabit; ab hoſte
Nec tibi vis ulla eſt, nec metuenda lues:
11 Te Deus aligeris cœli ſtipabit alumnis;
Hos tibi ſiderea mittet ab arce duces:
12 Te manibus per teſqua feret chorus ille; nec hirt
Illides ſcopulis, hoc comitante, pedes:
13 Et draco calcandum tibi ſe præbebit & aſpis,
Indomituſque leo, ſeminiumque leæ.
14 Hunc ego defendam, Deus inquit, fortibus armis
Et quia me ſequitur, ſceptra ferenda dabo:
15 Hic me poſcit opem, ſors cùm premit aſpera; va
Nec mihi quas fundit ſentiet eſſe preces:
Hoſtibus ereptus mediis tolletur in altum;
Et duraturo cinget honore comas:
16 Aurea felicis producam ſtamina vitæ;
Et famulo pandam molle ſalutis iter.

PSAL. XCII.

ESt mihi jucundum tibi, rerum maxime! grates
Solvere, per laudes & juvat ire tuas:
2 Quàm bonus & conſtans ſis, ſeu ſol explicat ora,
Seu jubar abſcondit, dicere dulce mihi eſt:
3 Dulce mihi eſt denis modulari carmina nervis,
Jungere & argutæ nablia blanda lyræ:
4 Gaudia concepi, tua quondam facta revolvens;
Hinc quoque lætitiæ ſurget origo meæ.
5 O vis quanta tuæ eſt, ô quanta potentia dextræ!
Conſilium nubes quàm tenebroſa tegit!
6 Brutus ad hæc populus caligat; mentis & exſors
Hæc ſpectans, oculos nyctícoracis habet:

7 Hu

7 Hunc modò, qui læti vernabat graminis inſtar,
Demetet immiti mors properata manu:
8 Tu tamen æternùm duras, ævique fugacis
Deſpicis aligeras inſtabileſque rotas.
9 Impius, & quiſquis tua ridet juſſa, peribit;
Cedet & iratis præda ferenda Notis:
10 At tua me bonitas dulci perfundet olivo;
Vinciet & certo multicolore comas:
11 His oculis cernam, quas gens luet hoſtica, pœnas;
Imbuet his aures nuntia fama meas.
12 Gens pia florebit, victricibus æmula palmis;
Utque cedrus, Libani quæ juga fronde tegit:
13 Altiùs in Domini radices quiſquis agello
Fixerit, undantes tollet in aſtra comas:
14 Creſcet, & effætæ ridebit damna ſenectæ;
Pomaque proventu luxuriante feret:
15 Sic mihi dicetur juris Deus auctor & æqui;
Et columen, vitæ turris & una meæ.

PSAL. XCIII.

REgnat ubique Deus; cui majeſtate verendâ
Frons nitet, invicto robore dextra viget:
Illius imperio ſtabit ſecura ruinæ
Terra, vagas cœlum volvet & uſque faces.
2 Quo ſedet hic, ſolium neſcit primordia ſecli;
Nullaque ſiderei Regis origo fuit.
3 Flumina quantumvis conſpirent murmure vaſto,
Et tumidum fluctus tollat in aſtra fretum:
4 Ille tamen fluviis, pelagóque potentior ipſo,
Mulcet, & indomitas numine frenat aquas.
5 Illius æternùm durant oracula; ſacræ
Et Solymæ pietas hoſpita ſemper erit.

PSAL. XCIV.

MAgne parens! dextrâ qui vindice concutis arma,
Deque reis pœnas exigis, ultor ades:
2 Legibus incinctum, judex! conſcende tribunal;
Et quod promeruit turba proterva luat.
3 Quò premet uſque pios furor hoſticus? Obice nullo
More triumphantis, quò ſcelus uſque ruet?

4 Im-

4 Impius an perget dura, & metuenda minari;
Et quod patravit, ferre ſub aſtra nefas?
5 Ah! tibi dilectum populum deglubit, & armis
Opprimit heredes gens ſcelerata tuos:
6 Prô pudor! & viduæ jugulantur & advena ferro,
Per ſcelus, & proles orba parente cadit:
7 Nec videt, hæc, ajunt, nec curat conditor orbis;
Quem ſibi Judæus legit apella Deum.
8 Bruta cohors, pravique tenax & perfida, tandem
Stultitiæ metam pone modumque tuæ.
9 An ſurdum reputas, aurem qui ſtruxit? An illum
Lumina qui finxit, cernere poſſe negas?
10 Parcet an ille ſuis, qui gentes plectit? An omnes
Qui docet, ipſe velut tyro docendus erit?
11 Rerum opifex renes ſcrutatur, & abdita mentis;
Vanius & nihil his, futiliuſque videt.
12 O ter felicem! rerum quem corripit auctor;
Quemque docet leges, & ſua juſſa ſequi:
13 Ille procul curis traducet mollia vitæ
Tempora, dum præceps turba profana ruit:
14 Nam Deus heredes quos ſcripſit proteget alis;
Nec ſua dilecto ſubtrahet ora gregi:
15 Hic aderit vindex, armatus legibus æquis;
Et leget has vitæ ſancta propago duces.
16 Quis mihi mittet opem, cum cingor & impetor armis?
Hoſtibus impoſito quis pede colla premet?
17 Me niſi juviſſes, rerum pater optime! pridem
Texiſſent cineres muta ſepulcra meos.
18 Te, Deus! oravi greſſu titubante vacillans;
Nec mora, cœleſti pes mihi fultus ope eſt:
19 Me mihi reſtituis, curis cùm mille fatigor,
Et recreas radiis pectora mœſta tuis.
20 Judicis an ſocius dicêris, nequiter effrons
Qui ſua, neſcio quâ, crimina lege tegit?
21 En coit, inque pius ſtringit gens impia ferrum!
Omnis & innocuo ſanguine dextra rubet!
22 At mihi præſidium Deus eſt, portuſque ſalutis;
Quâque vehor fragilem ſuſtinet ille ratem:
23 Hic ſcelerum vindex poſcet pro crimine pœnas;
Turpis & artifici fraus nocitura ſuo eſt.

PSAL

PSAL. XCV.

Ela agedum, gens ſancta Deum, quo nitimur omnes,
Cantet; Iô geminans, & pede pulſet humum!
Quas decet hoc coram grates perſolvat, & orbis
Rectorem numeris tollat in aſtra novis.
Illius excellit majeſtas, viribus ille
Quotquot habent gentes vincit honore Deos:
Ille manu forti terram ſuffiaminat; imis
Vallibus, & ſummis imperat ille jugis:
Finxit & occanum, vitreis & præſidet undis,
Et terram è mediis ſurgere juſſit aquis:
Ergò Deum flexo veneremur poplite, & omnis
Cura ſit æthereo ſolvere vota patri:
Ille Deus noſter, nos grex ſumus illius; ultrò
Si modò fert animus, quæ jubet ille, ſequi.
Abſit! ait, vobis dureſcant pectora callo;
Ut patribus, vetitæ quos ſitis uſſit aquæ:
Hæc mihi gens Arabum bilem ſuccendit in oris;
Tentavit vires nec ſemel illa meas:
Illius hîc quamvis laſſatus murmure, ſigna
Roboris invicti non dubitata dedi.
Turba proterva meo luſtris bis quatuor olim
Obſtitit imperio, mille moleſta modis:
Futilis eſt illi mens & temeraria, dixi;
Stulta nec obſervat quas ego monſtro vias:
Ergò meum ſanctè juravi numen, & irâ
Non ſemel accenſus, talia dicta dedi:
Gens odioſa mihi nec ſacræ tecta Sionis,
Nec cernet famulis otia pacta meis.

PSAL. XCVI.

Dicite rectori ſuperûm nova carmina, laudes
Perque ter illuſtres ultimus orbis eat:
Vindicis ætherei nomen tollatur in aſtra;
Inque dies jugi carmine creſcat honos:
Ferte per extremas Domini miracula terras;
Hunc unum geminus prædicet orbis apex:
Illius eſt ingens & formidabile numen;
Par nihil huic tellus, par nihil æther habet.

5 Ludicra ſunt reliquæ quæ jactant numina gentes ;
Finxit at hic cœlum, ſidereaſque faces :
6 Robur & auratis hunc cingit adorea pennis ;
Quæque colit roſeâ limina luce nitent :
7 Illius ignotæ gentes agnoſcite vires ;
Et quàm ſit reliquis altior ille deis :
8 Et date quos meruit titulos, manibuſque ſupinis
Debita ſacratis figite dona tholis.
9 Gens pia ſiderei veneretur limina templi ;
Omnis & hoc coram judice terra tremat :
10 Gentibus hunc reliquis auctorem dicite ; cœli,
Et maris & vaſti ſceptra tenere ſoli :
Hunc orbem narrate manu fulcire potenti ;
Quæque dat hic omni jura carere dolo.
11 Geſtiat exſultans tellus, & lucidus æther ;
Et mare, cæruleum quidquid & æquor habet :
12 Vernet ager Zephyris, & meſſibus halet odoris ;
Rideat & teneris arbor amicta comis :
13 Rector adeſt cœli, populos ut judicet ; illi
Et latus hinc æquum ſtipat & inde fides.

PSAL. XCVII.

SCeptra gerit Dominus; ter Iô dic ultima tellus;
Omnis & æquoreis inſula ſepta vadis.
2 Cingitur hic nebulis, & opacâ conditur umbrâ ;
Et comes it ſceptris fas, ſtabiliſque fides :
3 Antè ruunt volucres eliſi nubibus ignes ;
Ultriceſque vorant hoſtica caſtra faces :
4 Fulgura præſtringunt oculos, cœlumque remugit ;
Et gelido tellus intremit icta metu :
5 Montibus in ſummis ſolvuntur marmora ; ceræ
More novæ coram numine terra fluit :
6 Juſtitiam ſuperi teſtantur ſidera Regis ;
Et majeſtatis conſcia terra ſacræ eſt.
7 Qui colit, & jactat quæ finxit numina, vultus
Huic, precor, inficiat dedecoretque pudor :
Quidquid in orbe deûm cudit malè credulus error,
Hunc colat, Iſacidas cui dare tura vides.
8 Geſtiit alma Sion, & Judæ ſancta propago ;
Vidit ut ultrices illius eſſe manus.

9 Illius

9 Illius imperium cœli ſupereminet axes;
Et reliquos inter præſidet ille deos:
10 Ergò Dei quem tangit amor, fuge crimina; vindex
Hoſtibus è mediis eripit ille pios:
11 Ille ſuos recreat cœleſti lumine; juſtis
Ille dat optatos, & ſine nocte, dies.
12 Vos quibus æqua placent, læti perſolvite grates;
Et ſubeat, Domino ſanctius eſſe nihil.

PSAL. XCVIII.

CArmine tolle novo Dominum; miracula pande;
Partaque cœleſti mille tropæa manu:
2 Hujus opem ſenſêre pii; gens hoſtica pœnas
Cæſa luit, juſtum vidit & eſſe Deum.
3 Ille memor pacti Solymæ ſervavit alumnos;
Teſtis & his locuples ultima terra fuit:
4 Ergò Dei laudes in cœlum, carmine feſto,
Tollat ovans gemini terra ſub axe poli:
5, 6 Vox canat, & voci ſocientur plectra canoræ;
Et lituos ſacræ junge tubaſque lyræ:
7 Æquor, & æquoreæ teſtentur gaudia turmæ;
Terraque, telluris quidquid & orbis habet:
8 Unda loquax feriat jucundo murmure ripas;
Dentur & è ſummis ſibila læta jugis:
9 Stat Deus ante fores, cives ut cenſeat orbis;
Nunc quæ promeruit præmia quiſque feret.

PSAL. XCIX.

REgnat, & aligeros cœli Deus inter alumnos
Emicat; æthereo ſub pede terra treme.
2 Illius eſt Solymæ majeſtas nota, poteſtas
Eminet, & reliquis præripit omne decus:
3 Ergò Dei celebra plenum formidine numen;
Quo majus, quo nil ſanctius orbis habet.
4 Temperat huic vires jus & fas; legibus æquis
Hic regit Iſacidas, præſidioque tegit:
5 Quiſquis es, hunc effer; da ſacris debita plantis
Oſcula; ſanctus hic eſt, & pietatis amans.
6 Blæſus ab hoc Moſes, & Aron, & filius Hannæ,
Dum reſponſa petunt, audiit ille preces:

7 Nubis & è pila leges indixit, & illis
Cura fuit Domini juſſa verenda ſequi:
8 Annuit hic votis, & texit crimina; vindex
Sæpe tamen ſcelerum numinis ira fuit:
9 E ſacris hunc ergò jugis ad ſidera tolle;
Scilicet eſt ſanctus qui colit illa Deus.

PSAL. C.

VOce Deum celebra ſolenni; quiſquis Eoo,
Quiſquis & Heſperio figis in orbe larem:
1 Illius imperium fer lætus, & impiger hymnos
Ede novos; quoties limina ſancta teris.
3 Hunc agnoſce Deum, cui debes luminis auras;
Auctor enim nemo vel faber ipſe ſui eſt:
Hic Deus eſt nobis, populus nos illius; inſtar
Et gregis, æthereâ quem regit ille manu.
4 Laudibus hunc effer, meritas & concipe grates;
Ad ſacra cùm templi limina vertis iter:
5 Illius eſt ingens bonitas, & limitis expers;
Sanctaque reſcindet fœdera nulla dies.

PSAL. CI.

TE, Deus alme! canam; cujus manus altera juſtè
Protegit, in fontes altera tela vibrat.
2 Te ſequar, & prudens incedam tramite recto;
Ecqua tuo tandem lux dabit ore frui?
Pectore ſincero poſthac tua juſſa faceſſam;
Quoſque colam cernes labe vacare lares.
3 Lumina deflectam, ne ſpectent turpia; nullum
Et mihi non odio crimen & error erit:
4 Et ſcelus, & ſcelerum ſocios procul eſſe jubebo;
Meque ſiniſtrorum nulla libido trahet:
5 Et ſocii ficto qui lædet crimine famam,
Hunc dabit infami dextera noſtra neci:
Nec mihi vel ſocius, vel pars cenſebitur aulæ,
Tranſverſum populi quem rapit aura levis.
6 Hunc inter famulos, inter numerabo ſodales,
Cui mens eſt pravi neſcia, pura manus:
7 Nec mendax conviva mihi; nec verba popello
Qui dat, & os vulgo ſublinit, hoſpes erit:

8 Ibit in exſilium, brevis eſt mora, talia quiſquis
Suſcipit, huic ſacra ne ſit in urbe locus.

PSAL. CII.

ÆTheris excelſi rector! me deſuper audi;
Dum gemitus, clamor dum meus aſtra ferit:
2 Rebus in acciſis vultum ne ſubtrahe; promtâ
Sed trahe, proſtratus dum queror, aure preces.
3 Vita mihi fumo ſimilis vaneſcit in auras;
Triſtis & in cineres diſſipat oſſa dolor:
4 Debile cor languet, ceu flos ſucciſus aratro;
Nec deſiderio tangor, ut antè, dapis:
5 Dum ſine fine gemo, macies deformat; & exſtant
Oſſa, per exſanguem dinumeranda cutem:
6 Haud aliter mœſtis implet loca ſola querelis
Ibis, & infauſto carmine noctis avis:
7 Sic vigil, heu! dulci viduatus compare paſſer
Mœret, & ex alto triſtia fata vocat:
8 Mille vides circùm ſtrictas in crimina linguas;
Et conjuratas in mea damna manus:
9 Fercula ſunt ſordes cinerum, farriſque canini
Relliquiæ; lacrimis pocula miſta bibo:
10 Vis iræ ſecreta tuæ me ſuſtulit olim
Sublimem, lapſu quò graviore ruam.
11 Umbra velut fugiens, vaneſcit futilis ætas;
Aret & exſuccum corpus, ut ægra ſeges:
12 Tu, pater annorum! ſtas nullo mobilis ævo;
Orbaque principio gloria fine caret.
13 Exſurges, Solymæque tuæ miſerebere; venit
Pacta dies, votis ſæpe petita meis:
14 Nempe tuis famulis urbs delectabilis illa eſt;
Et capimur ſaxis ruderibuſque loci:
15 Sic nomen numenque tuum venerabitur orbis;
Quiſquis & hîc populos ſub ditione tenet.
16 Structa Deo celſæ cùm ſurgent tecta Sionis;
Ille ſacrum ſacrâ fundet ab arce jubar:
17 Agminis afflicti queſtus pater audiet æquus;
Nec vani gemitus, ſpes nec inanis erit,
18 Hæc duraturis ſunt inſcribenda tabellis,
Ut canat ætherei gens nova facta patris:

19 Scilicet aſtrifera terras deſpexit ab aula,
Laturus miſeris conditor orbis opem:
20 Captivis ſiccare genas, & ſolvere vincla,
Inſtantemque necem pellere cura fuit:
21, 22 Juſſit ut hæc Solymæ celebrarent undique regna,
Dum coëunt ſuperûm tura datura patri.
23 Illius imperio medio mihi robur in ævo
Deficit, & clauſa eſt limite vita brevi:
24 Spe tamen erectus, Ne, qui ſine limite vitæ es,
Ante diem, dixi, lumina conde mihi.
25 Eſt tellus ſtabilita tibi; tu ſurgere cœli
Mœnia juſſiſti, ſidereaſque domos:
26 His modus eſt ævi, præſcriptaque tempora vitæ;
Nec vitæ modus eſt, meta nec ulla tuæ:
Lana velut teritur moles & machina mundi;
Inque dies vultus ſumit, ut illa, novos:
27 Tu tibi par ſemper; dentes tu deſpicis ævi;
Annorumque leves, præcipiteſque rotas.
28 Hæc ſervi ſoboleſque tui, ſoboliſque nepotes,
Felices tecum gaudia ſemper agent.

PSAL. CIII.

MEns cane læta Deum: totas ſimul exſere vires;
Nominis & ſancti ſer ſuper aſtra jubar:
2 Redde ſuam meritis laudem, nec falce ſenectæ
Hanc metat, aut tenebris obruat ulla dies:
3 Scilicet & ſcelerum nævos obliterat omnes;
Et medicam morbis applicat ille manum;
4 Ille tuos animat cineres, redivivaque lauru
Perpete cœleſtis tempora cingit amor:
5 Delicijs os mille beat, pulſiſque ſenectæ
Exuviis, aquilæ ſecula more novat.
6 Ne tenues vis ulla premat, dat jura tyrannis;
His pater æthereus faſque nefaſque regit:
7 Credidit Amramidæ leges Deus arbiter æqui;
Abramidûm populo facta notanda dedit.
8 Sponte Deum noſtri miſeret; qui ſegnis ad iram,
Quos ſibi delegit, non patienter amat:
9 Nec litem de lite ſerit; flammæque fugacis
Æmula, momento deperit ira brevi;

10 Non

Non hic fulmineum, quoties deliquimus, enſem
Accinxit; ſceleri pœna nec æqua fuit.
Eſt bonitas immenſa, pios quâ protegit; ima
Nec magis à cœli vertice diſtat humus:
Crimina depellit, quantùm ſol diſtat ab ortu;
Cæruleo teſſàs cùm lavat amne rotas:
Cultores fovet ille ſuos, & diligit unos;
Ut tenero prolis flagrat amore parens.
Scit genus Adamidûm quâ ſimus origine nati;
Et meminit fragili corpora fiĉta luto:
Graminis in morem ſurgens citò carpitur ætas;
Sic violæ primo purpura vere fugit:
Vere fugit, rapiturque Notis, de ſtirpe reciſa;
Nec manet indicium, quo fuit orta, loci:
Sed fovet electos ſuperi clementia patris;
Excubiaſque ſacro pro grege ſemper agit:
Tranſit & ad ſeros bonitas divina nepotes;
Obſtrictam patribus ſervat & uſque fidem.
His promiſſa Dei rata ſunt & fœdera, leges
Quos juvat æthereas, imperiumque ſequi.
Ætheris in medio ſolium ſibi rector olimpi
Fixit, & hinc orbem ſolus ubique regit:
Turma potens, volucriſque! Dei quæ juſſa faceſſis,
Huic age cœleſti pectine pange melos:
Qui cœli ſub Rege meres, exercitus omnis!
Pange tui laudes, quo decet ore, ducis:
Divinà cœlata manu, tu machina mundi!
Tu mea, dum ſuperes, mens cane læta Deum.

PSAL. CIV.

Dicere fert animus ſuperûm nova carmina Regi;
Quem ſacra majeſtas cingit, & ambit honos:
Se radiis, ceu veſte, tegit; ceu byſſina vela,
Explicat aſtriferi mœnia vaſta poli:
Inter aquas domus alta trabes expandit eburnas;
Dantque triumphales nubila ſumma rotas:
Terga premens Zephyris, Euriſque jugalibus actus,
Pervolat Eoas, occiduaſque plagas:
Stant circùm aligeri proceres, flammæque miniſtræ;
Et certant alacres, quò jubet ille, ſequi.

5 Pondere nixa ſuo, medio ſtat in aëre tellus
Pendula; nullius præcipitanda manu:
6 Illa priùs pelago, ceu velo, tecta latebat;
Altius & ſummis montibus æquor erat:
7 At ſimul intonuit tua vox, pater alme! mariſque
Cedere juſſit aquam; juſſa, receſſit aqua:
8 Surgere cœperunt montes, & ſidere valles;
Collibus incinctæ nubiferiſque jugis.
9 Tu mare ſepſiſti clauſtris; ne, fœdere rupto,
Terra repentinis obrueretur aquis.
10 Vallibus in mediis, & rupes inter acutas,
Flumina tu ſtabili currere lege jubes:
11 His pecudes, timidique ſimul ſaturantur onagri;
Quæque colunt ſilvas, & loca ſola feræ:
12 Hæc circum glomerantur aves; nidoſque loquaces
Intexunt ramis, arboreiſque comis.
13 Æthereo tu rore beas juga conſita dumis;
Totaque cœleſti ſub pede ridet humus:
14 Hæc pecori gramen de vectigalibus arvis;
Hæc homini veſcum ſponte miniſtrat olus:
15 Farre novas vires, & vultum pingis olivo;
Et recreas dulci triſtia corda mero.
17 Silvarumque potens, Libani ſacra culmina cedris
Conſeris; hîc volucrum pendula tecta locas.
16 Apta fretis abies ſe tollit in æthera; pullos
Paſcit & hîc colubris nuntia veris avis.
18 Incolit imbellis latebroſa cuniculus antra;
Errat & in ſummis hirta capella jugis.
19 Tu lunæ rapidis metiris tempora bigis;
Sol jubar Heſperiis, te duce, mergit aquis:
20 Tu tenebris condiſque diem, noctemque reducis;
Noctivagaſque feras, quò lubet, ire jubes:
21 Tum ruit in prædam ſoboles animoſa leonis;
Et te mugitu ſupplice poſcit opem:
22 Aſt ubi ſol oriens vitreis caput extulit undis,
Turba ferox latebras quærit, & antra ſubit;
23 Gens hominum interea ſtratis excita, labori
Inſtat; & in noctem continuatur opus.
24 O Deus, ampla tuæ quàm ſunt miracula dextræ!
O quàm ſolerti ſingula mente regis!
25 Divite tu gazâ terras & meſſibus imples;
Nec minùs eſt vaſti fertilis unda maris:

Squa-

Squamiger hanc peragrat populus, proleſque parentem
Stipat, & ingentes turba minuta duces :
26 Hîc, inter circumque rates maris incola piſtrix
Ludit, & informi mole ſuperſtat aquis.
27 Quidquid humus, vel pontus alit, te ſuſpicit ; uno
Te tempeſtivas poſcit & ore dapes :
28 Cuncta legunt epulas, tu quas, pater alme ! miniſtras ;
Cuncta ſaginantur, te referante manum :
29 Omnia turbantur, tu cùm jubar occulis oris ;
Et fiunt, animam te revocante, cinis :
30 Mox ubi vitales inſpiras luminis auras,
Secla renaſcuntur, juſſaque vernat humus.
31 Ætheris ergò parens omni cantabitur ævo ;
Gaudebitque operis nobilitate ſui :
32 Illius adſpectu tellus tremit infima ; fumant
Ardua cœleſti culmina tacta manu.
33 Æthere dum veſci datur, & vitalibus auris,
Hic mihi materies carminis unus erit :
34 Grata ſit huic opto vox hæc, ſic gaudia carpam,
Dum recolam Domini munera tanta mei.
35 O pereant ſcelerum ſocii de ſtirpe reciſi !
O premat infandos fœda ruina lares !
Interea tu læta Dei mens concipe laudes ;
Quiſquis & hunc orbem, quem regit ille, colis.

PSAL. CV.

FUndite vota Deo, meritas & ſolvite grates ;
Gentibus ætherei pandite facta patris :
2 Tollite grandiſono Domini miracula plectro ;
Sint argumentum carminis illa novi.
3 Vir pius hoc unum jactet venerabile nomen ;
Geſtiat & Domini quem pius urit amor :
4 Hunc colat, hunc poſcat victricis pignora dextræ ;
Optet & illius jugiter ore frui :
5 Quæ Deus exhibuit, ſubeant miracula mentes ;
Quæque piis olim jura reliquit avis.
6 Adloquor Iſacidas, lectum genus ; adloquor Abræ
Progeniem ; famulus numinis ille fuit :
7 Rerum opifex nobis Deus eſt ; hic præſidet orbi ;
Juſtitiæ terris & monumenta dedit :

8 Fœderis ille ſui memor eſt; & verba, fideſque
Priſtina, tot ſeclis inviolata manent.
9 Hic Abrahæ, natoque pio, magnoque nepoti,
Non ſemel obſtrinxit tempus in omne fidem:
10 Hæc eadem toti juravit fœdera genti
Abramidûm, nullo diſſolüenda die:
11 Quos, ait, hîc habitat Canaæ gens impia, fines
Adſpice; diviſos hos tibi ſorte dabo.
12 Nec numero, memini, nec belli robore pollens,
Hoſpes in hac olim gens ſacra vixit humo:
13 Nec mora, nec requies, populis, heu! præda profanis
Ceſſit; in exſilium nec ſemel acta fuit:
14 Vim tamen, & noxam Deus omnem depulit; ipſos
Fulmineis Reges terruit ille minis:
15 Quem mihi ſacravi populum ne tangite, dixit;
Ne viola vates, turba profana, meos.
16 Intulit hic olim miſeris jejunia terris;
Aruit & lævo ſidere tacta ſeges:
17 Tum gregis electi meminit, famulumque Joſephum,
Qui jam venierat, miſit in arva Phari:
18 Ille diu latuit tenebroſi carceris antro
Clauſus, & arctârunt ferrea vincla pedes:
19 Aſt ubi miſſa polo diſcuſſit ſomnia; vatis
Et patuit pietas, mille probata modis:
20 Vincula Rex demſit, libertatemque priorem
Reddidit; hunc populi juſſit & eſſe ducem:
21 Principis ornatus titulo, præfectus & aulæ,
Memphi, tuas idem rexit & auxit opes:
22 Fas erat huic regni proceres compeſcere vinclis;
Inque Senatorum jura docere choro:
23 Mox pater Iſacides Pharias deſcendit in oras;
Inque peregrinâ ſubſtitit hoſpes humo:
24 Illius & ſobolem rerum pater auxit, opeſque;
Et novus indigenis advena major erat.
25 Tum Peluſiacus mutatâ mente tyrannus
Æſtuat, & populum tollere fraude parat:
26 Ergò Deus Moſen lecto cum fratre miniſtrum
Mittit in inviſi barbara regna ſoli:
27 Numinis attonitus vidit miracula Nilus;
Senſit & ultrici ſpicula miſſa manu:
28 Illius Heroes alacres dum juſſa faceſſunt;
Triſtibus eſt tenebris undique ſepta Pharos:

29 In-

Indigenûm tepido manârunt ſanguine rivi;
Squamigeroſque patris ſuſtulit unda greges:
Fudit humus turpes, frugum pro munere, ranas;
Et torus his Regis tectus, & aula fuit:
Regia peſtiferæ fœdarunt pocula muſcæ;
Et nuſquam vacuus cimice lectus erat:
Antè dabat cœlum pluvias, tum grandinis imber
Deſuper, & crepitans fulmine flamma ruit;
Ficus & everſis periit cum vitibus uva;
Et nemora excuſſis procubuêre comis:
Agmine mox denſo vaſtârunt arva locuſtæ;
Bruchus & herboſos eſt populatus agros:
Nec mora; primitias ſobolis, floremque juventæ,
Abſtulit atroci mors inopina manu.
Aucta Phari ſpoliis, fines gens ſacra nefandos
Liquit; & imbelli corpore nemo fuit:
Vidit ut hanc abitum moliri terra Canopi,
Geſtiit; excuſſo quo fuit icta metu:
Nube Deus populum ſolis defendit ab æſtu;
Flammaque per tenebras prævia rexit iter.
Mox pater æthereus volucres in caſtra cupitas
Miſit, & ignotas cœligenaſque dapes:
Limpida de ſilicum manârunt flumina venis;
Et dulces Arabum teſqua rigaſtis aquæ.
Nempe Deus pacti meminit fideique, miniſtro
Quæ data Thariadæ, nec violata fuit.
Sic bonus Iſacidas cœleſti vindice lætos,
Finibus eduxit, maxime Nile, tuis:
Expulit & gentes; & quæ coluere tot annis
Indigenæ, populo contulit arva ſuo:
Legis in obſequium ſic flexit pectora; laudes
Illius altiſonis ferte ſub aſtra modis.

PSAL. CVI.

Ea agedum, laudate Deum, facilemque bonumque;
Illius excluſo limite durat amor.
Facta quis illius numero comprendere? Laudes
Quæ queat & titulos æquiparare chelys?
O felix nimium populus, cui candida mens eſt,
Labe vacans pectus, juſtitiæque tenax!

4 Reſpice me placido, ſuperûm rex inclite! vultu
Lenis & optatæ ſterne ſalutis iter:
5 Da bona, ſelectæ da gaudia carpere gentis;
Inter & heredes poſſe nitere tuos.
6 Æmula progenies proavûm deliquimus; inſons
Nec ſcelerum mens eſt, nec ſine labe manus:
7 Hos latuit Phariis cœli quæ rector in oris
Præſtitit; & toties, hoc duce, parta ſalus:
Nec ſemel hunc patres irritavêre rebelles;
Hîc ubi purpurei panditur unda maris.
8 Sed memor hic pacti populum ſervavit, & orbi
Roboris immenſi pignora certa dedit:
9 Æquor ut increpuit, campi maris alveus inſtar
Aruit, & tutum per vada fecit iter:
10 Hâc ope traducens populum, vim depulit hoſtis;
Cui furor accendit triſtis & ira jecur:
11 Gentis at inviſæ reflui maris unda phalanges
Obruit; & cladi nemo ſuperſtes erat.
12 Tum Domino fidens populus, cœleſtibus hymnis
Invicti cecinit clara tropæa ducis:
13 Mox tamen hæc partæ gens eſt oblita ſalutis;
Abnuit & Domini juſſa ſacrata ſequi:
14 Illius, arentes Arabum dum calcat arenas,
Mota libidinibus numinis ira fuit:
15 Annuit optatis, miſsâ dape, rector olympi;
Sed fuit huic macies pernicioſa comes.
16 Obſtitit hæc Moſi, fratrique, rebellibus auſis;
Sparſit & in ſacros impia probra duces:
17 Dathanem tum ſorpſit humus recluſa; periſti
Tu quoque cum ſociis, dux Abirame, tuis:
18 Flamma vorax reliquos involvit, & impete vaſto
Cum dominis ipſos eſt populata lares.
19 Crevit & impietas; ſculpto gens impia tauro
Supplicat; hirſutos ante voluta pedes:
20 Judice pro ſuperûm, cœli pro numine, culta eſt
Fronde ſaginati turpis imago bovis:
21,22 Mentibus exciderat favor, & miracula tanti
Vindicis, & Phariis unda refuſa vadis:
23 Ergò ſoli, cœlique parens, extrema minatus
Corripit ultrici tela tremenda manu:
Hunc niſi flexiſſet fusâ prece legifer heros,
Straviſſet ſcelerum mors violenta duces.

24 Per

24 Pergit adhuc, & ridet opes gens impia terræ,
Quam petit, & Domino derogat uſque fidem:
25 Illius imperium detrectans caſtra tumultu
Diſtrahit, & querulâ ſidera voce ferit:
26 Talibus accenſus, tandem ſe conditor orbis
Ulturum jurat perpete morte nefas:
27 Deſtinat exitio populum, genteſque per omnes
Spargere cum tota poſteritate parat.
28 Gens tamen hæc amens Beli dare munera templis,
Inferiaſque nigris manibus auſa fuit:
29 Sic rurſum calidâ rerum pater æſtuat irâ;
Obruit & plagis perfida caſtra novis:
30 Ultor adeſt Phineas, armatus vindice ferro;
Hâc ope cœleſtis ſubſtitit *ira patris*:
31 Vindicis hunc juſti titulis inſigniet orbis;
Tollet & in cœlum neſcia fama mori.
32 Et Meribam propter meritas Deus induit iras;
Sumtaque de populi principe pœna fuit:
33 Turba ducem ſecum rapuit; dubiumque coëgit
Vana Deo coram, nec ſatis apta, loqui.
34 Sed neque cura fuit gentes delere nefandas;
Quas Deus è ſacrâ pellere juſſit humo:
35 His junxit gens ſancta lares; populique profani
Mox didicit mores ingeniumque ſequi;
36 Numine poſthabito peregrinis munera divis
Obtulit; indignis ludificata modis:
37 Nec ſat id eſt; furiis agitur ſine fine modoque;
Mactat & infernis pignora cara deis:
38 Cæde ſuæ ſobolis Cananæas imbuit aras;
Inſontique ſacram ſanguine tinxit humum:
39 Sic ſibi quos ſculpſit, ſupplex dedit oſcula truncis;
Inventis & ſe polluit ipſa ſuis:
40 Ergò ſuum contra populum Deus arſit in iras;
Nec fuit Iſacidis gens odioſa magis:
41 Nec mora; ſanguineis hunc inſervire tyrannis
Cogit, & hoſtili ſubdere colla jugo:
42 Oppreſſæ, fractæque malis, & cladibus hauſtæ,
Iſacidûm quot erant ingemuêre tribus.
43 Sæpe Deus populum defendit, ſæpe rebelles
Traxit in exitium, qui fuit auctor opis:
44 Aure tamen facili gemitus excepit; amoris
Scilicet & priſci fœderis uſque memor:

45, 46 Ipſe ſuas iras, & pectora molliit hoſtis;
Gens ſacra cùm durâ compede vincta foret.
47 Aſſere nos vindex! ſparſoſque recollige, rerum
Conditor! Iſacidæ quò tua facta canant:
48 Sic te præſidium lecti gregis efferet orbis
Ultimus, & laudes poſtera ſecla tuas.

PSAL. CVII.

REdde Deo grates, bonitas cui paſſibus æqui
It comes, & nullo limite ſeptus amor:
2 Hunc canat, huic vitam ſe qui debere fatetur,
Quiſquis & hoc olim vindice ſenſit opem:
3 Hunc populi celebrent Eois quotquot ab undis,
Et quot ab Heſperiis ille reduxit aquis:
Et quos à gelido collegit cardine mundi;
Et quos nimbifero traxit ab axe Noti.
4 Errabant queruli per inhoſpita teſqua; nec urbes
Nec domus his, profugi quâ tegerentur, erat:
5 Omnibus ora fames, ægras ſitis arida fauces
Clauſerat; & priſcus liquerat oſſa vigor:
6 Rebus in adverſis fuderunt vota Tonanti;
Nec mora; de mediis eruit ille malis:
7 Prævius optatas palantes duxit in urbes;
Et bonus afflictis tecta colenda dedit:
8 O precor, illius celebret miracula tellus;
Et largam miſeris munificamque manum!
9 Ille ſuos epulis olim ſaturavit opimis;
Invalidis vires præbuit ille novas.
10 Adſpice captivos lethi caligine merſos;
Cuſa quibus torquet pectora, vincta pedes:
11 Hi priùs ætherei monitus risêre parentis;
Juſſaque ſupremi conſiliumque ducis:
12 Ergò Deus ſontes curis oppreſſit amaris;
Nec tamen auxilio qui foret, ullus erat:
13 Rebus in adverſis fuderunt vota Tonanti;
Nec mora; de mediis eruit ille malis:
14 Extulit è lethi tenebris, & carceris umbra;
Duraque cœleſti vincula rupit ope:
15 O precor, illius celebret miracula tellus;
Et largam miſeris munificamque manum!

16 Illius imperio vectes & ahenea claustra,
Et ferro rigidæ diffiliêre fores.
17 Dum ruit in præceps, & legum spernit habenas,
Quas meruit pœnas stulta caterva luit:
18 Respuit illa dapes, & nauseat, arida febris
Dum coquit, & pulsat mors inopina fores:
19 Rebus in adversis fundit pia vota Tonanti;
Nec mora; de mediis eruit ille malis:
20 Voce suâ mœstum recreat, membrisque vigorem
Inspirat, tetricam pellit & inde luem:
21 O precor, illius celebret miracula tellus;
Et largam miseris munificamque manum!
22 Quas decet, huic libet curvato poplite grates;
Et canat ætherei clara tropæa patris.
23 Adspice velivolis populum qui puppibus æquor
Sulcat, & ignotâ merce fatigat aquas:
24 Huic Deus omnipotens mediis affulget in undis;
Scilicet hîc vires exserit ille suas:
25, 26 Imperat ille Notis, & nunc mare tollit in altum;
Nunc premit; huic pectus liquitur omne metu:
27 Curritur huc illuc; & ceu malè sobrius, alnum
Qui regit, ah! titubat; spes neque restat opis:
28 Rebus in adversis fundit pia vota Tonanti;
Nec mora; de mediis eruit ille malis:
29, 30 Sternit aquas, frenatque Notos; portumque petitum
Illius auspiciis læta carina subit:
31 O precor, illius celebret miracula tellus;
Et largam miseris munificamque manum!
32 Cœtibus in sacris vox illum prædicet omnis;
Numinis & referant fortia facta senes:
33 Illius arescunt fontes & flumina nutu;
Et loca sicca priùs, luxuriantur aquis:
34 Dumque reos plectit dominos, pro ditibus arvis
Exhibet hirsutis horrida tesqua rubis:
35 Dulcibus & scatebris steriles fœcundat arenas;
Siccaque flumineos ducit in arva lacus:
36 Hîc epulas inopi, peregrinis sufficit urbes;
Vertit & in nitidos horrida tesqua lares:
37 Hîc lætas segetes, gravidas hîc surgere vites
Imperat, & domino ferre tributa suo:
38 Prole beat multâ populum, gregibusque petulcis;
Vixque suas numeret vespere pastor oves.

39 Mox

39 Mox carpit, tumidumque gradu deturbat ab alto;
Lancinat & vindex pectora mille modis:
40 Qui modò fulgebant, fœdati pulvere reges
Carpere coguntur per loca ſenta fugam:
41 Sed pater omnipotens humiles attollit in altum;
Auget & afflictas prole virente domos.
42 Hæc olim ſpectabit ovans, qui diligit æquum;
Ora ſed impietas tacta pudore premet:
43 Qui ſapit, & memori mea condit pectore dicta,
Diſcet ab his, quanto flagret amore Deus.

PSAL. CVIII.

PRomta mihi mens eſt, & te, Deus! adſpicit unum
Te mea vox Dominum, te celebrabit ebur.
2 Excute ſegnitiem, numeris cane, lingua, decoris;
Pſallite vocali nablia juncta lyræ:
3 Manè novo ſuper aſtra, Deus! te carmine tollam;
Et tua per populos fortia facta feram.
4 Magne parens! æquat tua te clementia cœlo;
Tranſvolat & nubes intemerata fides.
5 Quâ, Deus! effulges effer ſuper æthera lucem;
Terraque ſit radiis tota coruſca tuis:
6 Tu tibi dilectum ſuperis de ſedibus audi;
Dumque vibrant hoſtes ſpicula, tende manum.
7 Vox hilarat me ſacra Dei; quo vate Sucothi
Metiar, & Sichemæ partiar urbis agros:
8 Cum Giliadæis ſubdam mihi rura Manaſſæ;
Juda dabit leges, gens Ephraïma viros:
9 Juncta Moabæis populis juga dives Idume
Induet, imperiis obſequioſa meis:
Quæque Palæſtinæ pingues gens incolit oras,
Victa gravi bello, noſtra tropæa canet.
10 Quo duce munitæ ſuccedam mœnibus urbis?
Gentis Idumææ quo duce regna petam?
11 Qui priùs exoſas acies educere bello
Jure recuſâſti, tu, Deus! arma reges.
12 Fer bonus auxilium, nos dum ferus obſidet hoſtis;
Te, Deus! excluſo, nemo miniſtret opem:
13 Numinis auſpiciis pugnabitur; hoſtica pubes
Concidet, & pedibus colla premenda dabit.

PSAL

PSAL. CIX.

QUi mihi regali cingis diademate frontem,
Dum premor adverſis, ne, pater alme! file:
2 Hoſtis atrox famam mihi rodit dente maligno;
Armat & occultis ora nefanda dolis:
3 Frenaque dans odiis inſultat; &, impete facto,
In caput inſontis ſpicula mille vibrat:
4 Penſat amicitiam pluſquam capitalibus iris;
Aſt ego te ſupplex, dum premor, uſque voco:
5 Utilis obſequii gravis eſt injuria merces;
Triſtis & eſt odii cauſſa fidelis amor.
6 Hunc, precor, auctori ſcelerum, pater! objice prædam;
Cingatur geniis impia dextra feris:
7 Judicis ante pedes huic calculus exeat ater;
Dumque rogat veniam ſe probet ipſe reum:
8 Occidat ante diem fato præreptus, & alter
Occupet illuſtrem quem tenet ille locum:
9, 10 Exſulet orba viro conjux, ſoboleſque parente;
Et quærant inopes per loca ſenta dapem:
11 Inſtitor uſuris loculos emungat, & hoſtis
Bellipotens reliquas depopuletur opes: [bam;
12, 13 Nemo patrem miſerans, vel prolem ſublevet or-
Sed cadat hæc nullo commemoranda die:
14 Tu delicta patrum, Deus! altâ mente reconde;
Impia nec matris crimina merge freto:
15 Jugiter hæc ſpecta, ſceleratæque nomina dele;
Nemo parens illi, nemo vocetur avus:
16 Scilicet hic inopum miſereri neſcius, olim
Geſtiit innocuâ tingere cæde manus:
Ille pios olim leto devovit & umbris;
Sit potior voti pars, precor, ipſe ſui:
17 Attulit hic hominum nulli, dixitve ſalutem;
Huic quoque nec dicat, nec ferat ullus, Ave:
18 Hunc tegat opprobrium ceu veſtis; & inſtar olivi
Oſſa, jecur penetret fluxilis inſtar aquæ:
19 Hoc humeros velet, toti ſpectabilis orbi;
Supplicat hoc zonæ tempus in omne vicem:
20 Sic Deus effrenis penſet convicia linguæ;
Hoſtibus, ô utinam! pœna ſit iſta meis.

21 Aſſe-

21 Aſſere me vindex, ſic te canet ultimus orbis;
Tu pater es vitæ, ſolus & auctor opis:
22 Me mala pauperies & ſors nimis aſpera vexat;
Cernis & ærumnis pectora mille premi:
23 Sol ubi declinat, nemorum ſic deficit umbra;
Sic fugit iratis acta locuſta Notis:
24 Longa fames genuum juncturas luxat & artus;
Et tenuem macies aſperat atra cutem:
25 Fabula ſic ſio, caput & plebs impia quaſſans,
Me quoties ſpectat, dente minante petit.
26 Tu fer opem miſero, Deus! & de ſede ſuprema,
Signa patrocinii da manifeſta tui:
27 Impius hinc diſcat quàm ſit tibi dextera fortis;
Omnis & auctorem te fateatur opis.
28 Me petat ille probris, ſed tu bonus adſpice; meque
Dum recreas, illi tinge pudore genas;
29 Hunc pudor involvat, ceu lana bis ebria cocco;
Et quæ Sidonio murice palla rubet.
30 Tunc ego te Dominum ſublimi carmine tollam;
Audiet & numeros læta corona meos:
31 Nempe tuis tu dexter ades, tenueſque tueris;
Hoſtilis ſtricto dum furor enſe petit.

PSAL. CX.

ILle opifex rerum, Dominuſque decemplicis aulæ
Sic Domino ſupera dixit in arce meo:
A dextris tu, Nate, mihi conſide coruſcus;
Dum ſubdam pedibus colla inimica tuis:
2 Sceptra Sionæâ mittet de rupe; rebelles
His olim domitos ſub tua jura trahes.
3 Sponte triumphantem populus, Dominumque ſequetur
Gens ſacra; quæ niveâ ſindone tota nitet:
Roſcida quot gemmas in pratis parturit Eos;
Tot lecti juvenes ad tua ſigna ruent.
4 Nempè Deus, cui certa manet ſententia mentis,
Juravit ſolvens talibus ora modis:
Regia dum ſtabit ſuperûm, tu, Nate, ſacerdos
Regis ad exemplum Melchiſedecis eris.
5 Ille tibi dextrum ſtipans latus, induet iras;
Et regum ſubito tranfiget enſe jecur.

6 Stra

6 Strage virûm campos cumulabit vindice ferro;
Illius & populi proteret ira duces:
7 Hauriet in terris acidi nigra pocula fellis;
His quoque libatis carpet in astra viam.

PSAL. CXI.

JUdicis ætherei laudes attollite; totâ
Cœtibus in sacris hunc ego mente canam;
1 Armatur valido cœlestis robore dextra;
Nec latet hoc Domini quos pius urit amor;
3 Hanc honor, auratis hanc stipat adorea pennis;
Omnibus & seclis inviolata fides.
4 Tradidit hæc seris memoranda nepotibus olim,
Ille sequestrati spesque salusque chori:
5 Ille pios epulis recreat cœlestibus, ictì
Fœderis æternùm pollicitique memor:
6 Ille suas populo vires patefecit ab alto;
Gentis & exosæ prædia sorte dedit:
7 Estque pium dextrâ quidquid molitur & æquum;
Et stabili terras lege polumque regit:
8 Jussa dedit, quæ nulla potest delere vetustas;
Hâc ope se justum veridicumque probat:
9 Ille suum asseruit populum, fœdusque perenne
Sanxit, & æternum comparat inde decus.
10 Hunc purâ si mente colis, prudentia summa est;
Et sapis, hunc quisquis supplice mente times;
Illius elogium durabit, fidera cœlum
Dum vehet, & solis lucidus axis erit.

PSAL. CXII.

PAnge Dei laudes. O terque quaterque beatum
Qui timet hunc, & quod lex jubet instat iter!
1 Sceptra geret soboles solis contermina metis;
Pandet & in placido candida vela salo:
3 Quæ colet Eois splendebunt atria gemmis;
Justitiam pariter postera secla canent:
4 E tenebris lux orta pios regit; arbiter orbis
Scilicet electi flagrat amore gregis.
5 Vir pius afflictum miserans ope sublevat ultrò;
Dumque juvat, servant mensque manusque modum:

6 Non illum vis ulla loco, vel techna movebit
Hoſtica; nec .amam deteret ulla dies:
7 Nec vulgi rumore vago terrebitur, unam
Sed Domini ſupplex poſcit & ambit opem.
8 Spem fovet afflictus, ridetque pericula; certus
Vindicis ultrices non procul eſſe manus:
9 Quas habet incertas nimiùm, ſemperque fugaces,
Erogat in tenues officioſus opes:
Illius hinc pietas omni cantabitur ævo;
Claraque victurus tempora cinget honos.
10 Impius hæc ſpectans fremet, & tabeſcet, & Euris
Sentiet iratis vota nefanda rapi.

PSAL. CXIII.

EIa age, ſacra cohors! Domini quæ juſſa faceſſis,
Hunc celebra toto pectore, voce, lyrâ:
2, 3 Illius elogium venturum transfer in ævum;
Audiat & titulos orbis utrumque latus:
4 Quo ſedet hic ſolium terras ſupereminet; aſtra
Gloria tranſcendit, cœlicolûmque domos.
5 Iſacidûm Domino, ſuperos qui temperat axes,
Par nihil, immenſus, quà patet, orbis habet:
6 Deſpicit hic cœli, cœlo ſublimior, arces;
Regnaque cæruleis quot mare cingit aquis:
7 Hujus & imperio vili de pulvere pauper
Surgit; & è medio turba miſella luto:
8 Dat Deus his ipſos inter conſidere reges,
Inter & Abramidûm ſceptra tenere duces:
9 Stirpe beat ſteriles & lætâ prole penates:
Illius, ergò pii dicite, vivat honos.

PSAL. CXIV.

CUm domus Iſacidûm Nili ſeptemplicis undas
Linqueret, & turres, barbara Memphi, tuas:
2 Rerum opifex ſacro ſibi junxit fœdere Judam;
Ille comes, dubiæ dux erat ille viæ:
3 Vidit, & obſtupuit mare, diffugientibus undis;
Et ſacra Jordanis verſa cucurrit aqua:
4 Subſiliêre ſimul montes cum collibus imis;
Non ſecus ac nivei dux ſoboleſque gregis.

5 Cur mare fugiſti ? Quis te, ſacra fluminis unda,
In caput antiquum vertere juſſit iter ?
6 Cur montes, colleſque ſimul ſaliiſtis, ut hirti
Dux gregis, hirſutæ matris & agna comes ?
7 Scilicet Iſacidûm conſpecto numine tellus
Intremuit ; ſacro fugit & unda metu :
8 Cautibus è ſiccis latices fluxêre ſalubres ;
Largaque devolvit flumina fiſſa ſilex.

PSAL. CXV.

ALme parens ! ne nos titulis illuſtribus orna ;
Debita ſunt armis noſtra tropæa tuis :
Vindicias, vitamque tuo debemus amori,
Et fidei, quam lux ſolvere nulla poteſt.
2 Cur roget inſano turgens gens impia faſtu,
Nunc Deus, Iſacidæ quem venerantur, ubi eſt ?
3 Noſter in aſtriferâ ſolium Deus obtinet aulâ ;
Et populos nutu flectit ubique ſuo :
4 Cætera turba deûm, nil eſt niſi fuſilis auri
Maſſa, vel argenti pondus, & artis opus :
5,6 Ora quidem, ſed muta gerit, ſunt lumina cæca ;
Nare nec olfactat, nec trahit aure ſonos :
7 Nec palpare manu datur, aut incedere plantis ;
Mutua nec ficto gutture verba loqui.
8 Ipſe ſuo par eſt operi, qui numina cœlo
Fingit, & argentum ſculptile poſcit opem ;
9 At vos Iſacidæ rectori fidite rerum ;
Hic clypeus vitam qui tueatur erit ;
10 Seque Deo credat, patrem qui jactat Aronem ;
Hic clypeus vitam qui tueatur erit :
11 Tu fac idem cœli quiſquis venerare parentem ;
Hic clypeus vitam qui tueatur erit :
12 Ille memor noſtri, patrio nos fovit amore ;
Mox dabit & vitâ proſperiore frui :
13 Hoc duce progenies florebit læta Jacobi ;
Quiſquis & à ſancto ducit Aronе genus ;
14 Eriget ille ſui cultores numinis ; ætas
Seu viret his, canâ ſeu nive tecta coma eſt ;
15 Ille ſimul patres, & qui naſcentur ab illis,
Dotibus augebit, deliciiſque ſuis.

16 Vota ſecundabit Dominus; palatia cœli
Qui ſibi, mortali pro grege finxit humum.
17 Illius obſcuri nequeunt præconia manes
Pandere, perpetuò mors quibus ora premit;
18 At nobis, cœli liquidâ dum veſcimur aurâ,
Ille, polus dum fert ſidera, carmen erit.

PSAL. CXVI.

URor amore Dei, me qui proſpexit ab alto;
Et facili gemitus non ſemel aure bibit:
2 Aure bibit facili gemitus; huic ergo ſupinas,
Dum fruar ætherea luce, levabo manus.
3 Me dolor obſedit lethi; mihi terror abyſſi
Ante oculos, mœror pectoris hoſpes erat:
4, 5 Sidera tum ſpectans, Fer opem, pater optime! dixi;
Cui latus hinc bonitas claudit & inde fides;
6 Sublevat ille humiles, & me propè fluctibus hauſtum
Suſtulit, innumeris eripuitque malis:
7 Eja age pone metum mens jam tranquilla; quod optas,
Quodque juvat, largâ ſufficit ille manu:
8 Eripit exitio vitam, lacrimantia ſiccat
Lumina, lapſantes firmat & ille pedes.
9 Illius auſpiciis incedam tramite recto;
Hîc ubi ſelecto cum grege luce fruar.
10 Vindice ſum nixus Domino; qui rebus in arctis
Me recreans, docuit libera verba loqui:
11 Vim fugiens dixi, video jam vota virorum
Pondere deſtitui, verba carere fide.
12 His ego pro donis, regi, qui præſidet orbi,
Dicere quas grates, quaſve referre parem?
13 Huic dape feſtivâ lætus libabo, meroque;
Et pia pro partâ vota ſalute feram:
14, 15 Vota palam Domino perſolvam; ſanguine gentis
Qui ſibi dilectæ tingere tela vetat.
16 Verna, Deus! famulæque tuæ ſum ſanguine cretus;
Vindice ſolviſti tu mihi vincla manu:
17 Mille tibi referam tanto pro munere grates;
Teque patrem jugi ſollicitabo prece:
18, 19 Vota redux ſolvam, populi ſpectante coronâ;
Teſtis & his rupes ſacra Sionis erit.

PSAL.

PSAL. CXVII.

PAndite facta Dei populi, domus utraque ſollis
Quos videt, & geminus deſpicit orbis apex :
2 Quâ fovet ille pios, brevibus clementia metis,
Temporis & claudi limite neſcit amor :
Ergò Dei laudes cœli tollantur in arces ;
Æternùmque volet fama per ora virûm.

PSAL. CXVIII.

QUas decet auctori rerum depromite grates;
Illius eſt nullo limite clauſus amor :
2 Jam domus Iſacidûm dicat ſimul ore rotundo,
Illius eſt nullo limite clauſus amor :
3 Dicat Aron vates, & ſacri ſanguinis auctor,
Illius eſt nullo limite clauſus amor :
4 Dic Dominum quicunque colis cœlique ſolique,
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
5 Hunc ego, cum premerer, flexi prece; vincula ſolvens,
Ille dedit cœlo liberiore frui :
6 Rerum opifex mihi dexter adeſt; jam nulla pericla,
Nullius incutient tela vel ira metum :
7 Ille meas partes juvat auxiliaribus armis,
Victaque me coram gens inimica ruet.
8,9 Tutius eſt Domino, populi quam fidere dextris,
Poſcere vel regum, cum premit hoſtis, opem.
10 Me ſimul hoſtiles circum fremuêre phalanges,
Has mea, ſed Domino vindice, dextra metet :
11 Me petiêre ſimul nimiùm crudelibus armis ;
Has mea, ſed Domino vindice, dextra metet :
12 Me numeroſa cohors circumdedit ; atria circum
Cerea mellificæ ſic glomerantur apes :
Ignis ut arentes populat violentia ſepes,
Hanc mea, ſic Domino vindice, dextra metet.
13 Me dare præcipitem gens invidioſa parabas ;
Sed tamen illius ſuſtinuêre manus :
14 Ille mihi rupes ſimul eſt portuſque ſalutis ;
Unica materies carminis ille mei eſt.
15 Numinis elogiis reſonant pia tecta ; potentem
Illius & celebrant belligeramque manum ;

16 Lau-

23, 24 Ah me de ſolio, dum tibi pareo,
Allatrant proceres! aſt ego geſtio
Sectari tua juſſa,
Vitæ perpetuos duces.

4. DALETH.

25 Curarum nebulis mens jacet obruta;
Promiſſo reſidem lumine recrea.
26 Te coram explicui pectoris abdita;
Tu me reſpiciens deſuper erudi:
27 Tu me quæ fugiam, quæ ſequar, edoce;
Ut miracla tui roboris eloquar.
28 Mens languet tetricis cincta moleſtiis;
Tu fer lenis opem, polliciti memor.
29 Fac ut mente procul ſit dolus impius:
Lex vitæ, precor ô, ſit mihi regula!
30 Hanc legi dubiis in tenebris ducem;
Per fluctus Helicen hanc ſequar unicam:
31 Hæſi, nil dubitans, illius orbitæ;
Tu fac ora mihi ne pudor inquinet:
32 Hanc unam intrepidè pes teret impiger;
Tu deterge modo nubila pectoris.

5. HE.

33 Juſſa me doce ſacra:
Hæc, luce cœli dum fruar, faceſſam.
34 Pectus erudi, tua
Ut pro virili ſecter inſtituta.
35 Quæ jubes fac exſequar:
Hoc optat, hoc & mens anhelat unum.
36 Fac amem quod imperas;
Nec cæca mentem faſcinet libido.
37 Vana fac abominer,
Et recreentur ſpiritus remiſſi.
38 Pacta ſint precor rata,
Favorque fido debitus miniſtro.
39 Probra pelle plurimùm
Timenda, judex & parens benigne!
40 Juſſa mens ſitit tua;
Largire vires auctor æquitatis.

6. VA

6. VAU.

41 Fœderis & favoris
Tu memor, ſerva famulum præſidio paterno.
42 Nitor ego, regorque
Legis æternæ placitis; his reprimam obloquentes:
43 Hæc, quia pectus ægrum
Fulciunt, rerum genitor! ne mihi durus aufer:
44 Sic tua juſſa promtus
Exſequar, ſolem celeres dum rapiunt quadrigæ:
45 Hæc quia mente totâ
Semper amplector, gladios deſpiciam minaces.
46 Nec pudor ora pinget,
Cum tuas leges proceres purpureos docebo:
47 Has ego dum revolvo,
Gaudium pectus ſubit, imas penetrans medullas.
48 Numinis imperata,
Senſibus condens penitis, intrepidus faceſſam.

7. ZAIN.

49 Sis pacti veteris memor;
Pacti, quod famuli ſpem renovat tui:
50 Hoc me, cum premor, erigit;
Et mentem recreat rebus in aſperis.
51 Non me legis ab orbitâ
Divertit petulans lingua potentium:
52 Hanc olim meditans puer,
Concepi tacito gaudia pectore:
53 Me totum ſtupor occupat,
Hanc faſtus quoties proterit inſolens:
54 Hanc unam ſuper omnia,
Dum vixi, meritis laudibus extuli.
55 Te, ſol cum jubar occulit,
Adſpecto in tenebris, & tibi pareo:
56 Quàm, rerum genitor, mei
Merces ampla fuit, fructus & obſequî!

8. HETH.

57 Tu pater omnipotens ſors es mea; Legis æviternæ
Parebo, dixi, ſemper inſtitutis.
58 Te, Deus! oravi prece ſupplice, lenis ut faveres;
Promiſſa ſervans ſubleva precantem.

59 Mente catâ rexi veſtigia, legis & pependi
Bilance juſtâ cogitationes.
60 Me tenuit mora nulla, ſed impiger imperata feci,
Quæ, rector orbis! fulminans dediſti.
61 Compede me vinxit gens impia, ſedulò ſed inter
Tormenta mens eſt obſecuta legi.
62 Concubiâ te nocte canam, memor æquitatis, un
Quâ tu refulges & benignitatis.
63 Si quis in hoc populo eſt te qui colit, inter hunc ſ
Inter reponam candidos amicos.
64 Irradiat terras bonitas tua, tu reſolve luce
Legum tuarum pectoris tenebras.

9. TETH.

65 Tu, rerum genitor! polliciti perpetuò memor,
Juviſti famulum propitio ſubſidio tuum.
66 Tu mentis tenebras luce tuâ diſcute, nam tuis
Conſtanter placitis & monitis credo fidelibus.
67 Erravi priùs, & vita fuit ſepta moleſtiis;
At nunc æthereis, nil dubitans, vocibus obſequ
68 Te nil eſt melius, te famulis nemo benignior;
Leges ergò tuas, & monitus, me bonus edoce.
69 Me quamvis laceret dente truci gens nimis arro
Te quocunque jubes ponè ſequar, legibus audi
70 Eſt illi populo mens hebes abdomine pinguior;
Sed lex mille mihi deliciis pectus inebriat.
71 Me pungi ſtimulis deſuper ô quam fuit utile!
Hinc patris didici cœlicolûm juſſa faceſſere.
72 Argentum ſitiat vulgus iners, & miſeras opes;
Legis luce tuæ ſidereâ plus ego recreor.

10. JOD.

73 Dextera me finxit tua, leges, nube remotâ,
Da mihi nôſſe tuas.
74 Cùm cernet gens ſancta tuis me fidere juſſis,
Ingeminabit Iö.
75 Ah miſer agnoſco, quibus hinc, quibus inde face
Me mala jure pati!
76 Me tua ſolctur bonitas & fœdera, nullo
Diſſolüenda die;
77 Me tua reſtituat vitæ clementia, namque
Lex tua grata mihi eſt.

78

78 Qui premit insontem fastu sit dedecus orbis ;
Nam tua jussa sequor :
79 Quisquis & observans legem tibi supplicat, opto
Flagret amore mei.
80 Cor tibi morigerum tu dona, ne mihi turpis
Inquinet ora pudor.

11. CAPH.

81 Mens spe salutis languet, & vires labant,
Dum legis insto semitæ :
82 Visus hebescunt, dum queror pactam tuis
Abesse promissis fidem :
83 Arescо curis, uter ut fumo solet,
Sed voce delector tuâ.
84 Lux ecqua tantis afferet finem malis,
Pœnasque dignas hostibus ?
85 Gens plena fastu fodit insonti scrobem,
Dum fræna legum respuit :
86 Lex æqua certè est, innocens quamvis premor ;
Tu me potenter libera.
87 Me cùm superbus mille plagis obruit,
Legum statutis parui :
88 Tu redde vitam, spiritus & pristinos,
Et quæ jubes mox exsequar.

12. LAMED.

89 Cœli siderei vox tua vinculis
Suspendit fabricam plusquam adamantinis;
90 Idem perpetuò stare loco jubes
Terram fallere nescius.
91 Jussis & placitis obsequium tuis
Præbent, & stabilis machina permanet.
92 Busto jam tegerer, me nisi languidum
Fulcissent tua fœdera.
93 Leges usque memor mens recolet, quibus
Et vivo & valeo viribus integer :
94 Illarum cupidè dum tero semitam,
Cassum viribus affere.
95 Eheu ! mille dolis opprimor undique,
Leges continuò dum veneror tuas :
96 Pennâ dum celeri cætera transvolant,
Hæ semper stabiles manent.

13. MEM.

97 Quàm legum ſtudio levor ſacrarum,
Quas noctes meditor vigil dieſque!
98 Has dum ruminor, eruditionis
Palmàm præripio hoſtibus malignis:
99 Inter & caput effero magiſtros,
Has dum cogito pertinax ſequorque:
100 Dum legum placitis regor tuarum,
Ipſos exſupero ſenes peritos.
101 Ut te ponè ſequar ducem viarum,
Pes declinat iter tenebrionum.
102 Tu præcepta mihi parens dediſti;
His paſſus moderor, procul ruinâ.
103 O quàm ſermo tibi fluit venuſtus!
Quàm mellis ſuperat meri liquorem!
104 Hic mentem tenebris levat, viaſque
Hoc fretus fugio catus ſiniſtras.

14. NUN.

105 Inſtar lucernæ, legis aureum jubar
Me regit, & tenebras potenter omnes diſſipat.
106 Sanctè ſpopondi, nutibus pater tuis
Me fore morigerum, datamque præſtabo fidem
107 Quot cingor, eheu! quot premor moleſtiis?
Me mihi redde, tui favoris & pacti memor.
108 Quas ore libo ſpirituque victimas
Accipe, ſed facilis, doceque rectam ſemitam.
109 Me mille quamvis obruant pericula,
Te tamen uſque ſequor, tuo dicatus numini:
110 Dum me doloſis implicare caſſibus
Gens ſcelerata parat, tuis ſtatutis hæreo:
111 Nunc ſunt, & olim mentis hæc erant meæ,
Gaudia, deliciæ, lucerna, ſpes, hereditas.
112 Præcepta legis mente candidâ ſequar,
Dum mihi mens ſupereſt, & oſſa velantur cute.

15. SAMECH.

113 Odi ego quæ pectus ſibi fingit futile, legis
Nempe tuæ dulcedine captus.
114 Tu rupes, clypeuſque mihi es; cinctuſque perici
Fido tuis, pater optime! dictis.

115

115 Sit procul impietas omnis, ſcelerumque miniſtri;
Semper ego tua juſſa capeſſam.
116 Me, pater! ut vivam, verbi firmamine fulci;
Nec ſpes ſit comitata pudore.
117 Da vitam vireſque mihi; ſic paſſibus æquis
Te ſequar, & quò juſſeris ibo.
118 Hos pede calcâſti, quos devius abripit error;
Hos ſua fraus dimittit inanes.
119 Pulveris in morem ſceleratos ſpargis in auras;
Ergò ſequi tua diligo juſſa:
120 Tela tuæ quoties & fulmina conſpicor iræ,
Stat coma, cor ſtupet, horreo totus.

16. AIN.

121 Me juvit æquum ſemper & bonum ſequi;
De me fac, oro, ne triumphet impius:
122 Tu ſed benignus me tuere ſervulum;
Fac arrogantûm ne moleſter ſpiculis.
123 Ah! dum ſalutem præſtolor diu nimis,
Fidemque pactam, victa torpent lumina:
124 Favoris alâ me paterni protege,
Et pande vitæ purioris ſemitam.
125 Devotus uni numini cùm ſerviam,
Pulſis tenebris, ſcire da quod imperas.
126 Nunc ultioni tempus inſtat debitum;
Hos perde ſacris qui ſtatutis obſtrepunt.
127 Legum tuarum ſuavitatem præferam
Auro, quod ignis jam probavit ſeptimus;
128 Amuſſis hæ ſunt æquitatis aurea;
Has ſector, & tortas abominor vias.

17. PE.

129 Quàm tua mortalem ſuperant oracula captum!
Hæc eruditus perpete proſequar obſequio.
130 Prima tuæ legis pellunt elementa tenebras,
Et cæcitatem pectoris, inſtituuntque rudes.
131 Attraxi tua verba, velut cùm gutture toto
Invitat auras ætheris æger agens animam.
132 Quâ tibi dilectos nimiùm dignaris amicos,
Rerum creator maxime! da mihi luce frui.
133 Legis ad arbitrium titubantem dirige greſſum,
Nec pectus in prædam ſine cedere flagitiis.

134 Eripe

134 Eripe me furiis hoſtilibus, eripe telis:
Da, rector orbis maxime! te duce recta ſequi.
135 Me radiis perfunde tuis, pectuſque ſerena,
Et da faceſſam, tu mihi quod pater imperas.
136 Dum reliqui tua juſſa ſequi monituſque recuſant,
Ah! lacrimarum protinus obruor oceano.

18. TSADDI.

137 Res hominum, rector ſuperûm! tu legibus æquis
Et lance diſpenſas pari:
138 Eſt rectum quodcunque jubes; nil ſanctius illo;
Tuo vel æquius foro.
139 Tabeſco, dum jura ferus tua proterit hoſtis,
Et pectus omne liquitur.
140 Candidus eſt ſermo tuus, hunc exoſculor unum,
Et corde toto diligo.
141 Eſt mihi ſors tenuis, gens & me ſibilat exlex;
Verbis ſed obſequor tuis.
142 Æternùm durant tu quæ præſcribis, & una
Sunt veritatis regula:
143 His ego delector, me quamvis mille malorum
Moleſta cingant agmina:
144 Nulla dies illis metam præfigit; ut ergò
Vivam, doce quod imperas.

19. KOPH.

145 Te, Deus! oravi ſupplex; da queſtibus aurem,
Ut imperata promtus exſequar tua.
146 Æthera laſſavi gemitu, ſuccurre precanti;
Tibique, rector orbis! obſequar lubens.
147 Dum gemo, dum clamo, quos Eos explicat ignes
Querela triſtis antevertit aureos:
148 Anticipo vigiles ipſos, tua nocte dieque
Statuta mente dum revolvo ſedulâ.
149 Me bonus exaudi, vires & redde, favoris
Et æquitatis uſque priſtinæ memor.
150 Me premit à tergo ſcelerum qui laxat habenas,
Fugitque legis deſpicitque ſemitam:
151 Tu tamen es præſtò: leges diſcrimine nullo
Tuas coronat æviterna veritas.
152 Includi brevibus renuunt tua fœdera metis,
Viceſque temporum ſubire lex nequit.

20. RESCH.

153 Sis memor ſervi pereuntis, altâ
Qui mente legem condidi:
154 Me, tenax pacti, famulum tuere,
Et luce pectus recrea.
155 Nulla ſpes illi ſupereſt ſalutis,
Qui frena legum reſpuit.
156 Tu mihi vires repara, paterno
Amore qui me protegis.
157 Me licet cingant tumidæ procellæ,
Tuis ſtatutis dirigor.
158 Hoſtium ſpectans animos rebelles,
Mœrore percellor gravi.
159 Me refocilla radio favoris,
Teſtis perennis obſequi.
160 Terminos neſcit tua lex prioris,
Sed nec futuri temporis.

21. SCHIN.

161 Inſons potentum ſpiculis
Legiſque cuſtos obruor.
162 Ut præda dives militem,
Sic una lex me recreat:
163 Hanc mente totâ diligo,
Sed fraudis odi retia:
164 Hanc me canentem ſedulò
Lux una cernet ſepties:
165 Hanc quiſquis unam deperit,
Quiete gaudet perpete.
166 Me ſpes ſalutis erigit,
Dum juſſa ſector numinis.
167 Dum legibus vaco ſacris,
Delector his & recreor:
168 His obſequutum me vides,
Notaſque vitæ ſemitas.

22. TAU.

169 Exaudi gemitus, tuis
Et me legibus inſtrue.
170 Auſcultans famulum, Deus!
Serva polliciti memor.

171 Leges

171 Leges me bonus edoce,
Laudes & referam tuas.
172 Te vox tollet ad æthera,
Leges qui ſtabilis pias:
173 Illas cùm ſequar, affere
Servum vindice dextrâ:
174 His lætor, fer opem, diu
Quæſitam prece ſupplice.
175 Ut te laudibus eveham,
Vitam vox tua foſpitet.
176 Me quære ut pecudem vagam,
Leges & recolam tuas.

PSAL. CXX.

TE, Deus! oravi mediis in fluctibus, aures
Et ſenſi faciles in mea vota tuas.
2 Me, quibus infeſtor, fallacibus eripe linguis;
Fraudis & artifices me procul eſſe jube.
3 Quam dolus armat atrox, nimis & penetrabile virus
Quid tibi non optem, perfida lingua! mali?
4 Ignea juniperi minus urit pruna; nec enſis,
Par huic, aut jaculi cuſpis acumen habet.
5, 6 Cur, Nomadas inter, deſerta mapalia ſector?
Inter inhumanos cur ego vivo Getas?
7 Me juvat alma quies; gens hæc fera bella minatur
Et, quoties pacem poſcimus, arma crepat.

PSAL. CXXI.

AD ſacra devotos attollam culmina vultus,
In quibus antiquæ ſpes mihi reſtat opis:
2 Me juvat hic, cœli volucres qui texuit orbes,
Et terram vitreis undique cinxit aquis.
3 Sic ego me ſolor; Greſſus moderabitur ille,
Ne tibi pes uſquam ceſpitet, ille dabit:
4 Uſque vigil, ſeu ſol rutilat, ſeu conditur undis,
Ille tuas cuſtos excubat ante fores:
Adde fidem dictis, Solymam qui ſervat, apertis,
Dum ſtertunt alii, lumina ſemper habet:
5 Te regit & præſtò eſt, & lætâ nubilat umbrâ,
Invia ſi quando per loca carpis iter:

6 Sol

5 Solis, ubi lux eſt, radios arcebit & æſtum;
Nocte tuum pellet, roſcida luna, gelu:
8 Te Deus æternùm cœleſti proteget alâ,
Sive domi malis vivere, ſive foris.

PSAL. CXXII.

Gaudia tum cepi, vox cum mihi perculit aures,
Ad pia quæ juſſit limina ferre gradum:
1 Ibimus in ſacri reduces penetralia templi;
Nobilis urbs hilari nunc adeunda pede eſt.
3 Urbibus hanc confer reliquis; concinnius illâ,
Nil & ſplendidius maximus orbis habet:
4 Huc domus Iſacidûm properat, ſtata tempora ſervans;
Et ſupplex Domini ſternitur ante pedes:
5 Davidis hîc ſolium ſpectas, quod præſidet orbi;
Legibus & ſanctis faſque nefaſque regit.
6 Numinis auſpiciis urbs hæc ut floreat, opta;
Qui favet huic, illi proſpera vita fluet.
7 Urbs ſacra! fidereis te pax circumvolet alis;
Quaſque tenes arces incolat alma quies.
8 Civibus opto meis, cariſque tribulibus alta
Otia, perpetuis concomitata bonis:
9 Cum tua prætulerit reliquis moderator olympi
Atria, præ reliquis hæc tibi fauſta precor.

PSAL. CXXIII.

Alme parens! in te defigo lumina, cœli
Qui procul à nobis diffita tecta colis:
2 Sedulus ut famulus geſtus obſervat heriles;
Et nutus dominæ fida miniſtra ſuæ:
Sic, Deus! intentis oculis te ſpecto, ſalutem
Dum populo cœli lenis ab arce feras.
3 Adfer opem miſeris, tot qui faſtidia paſſi
Fabula jam vulgi ludibriumque ſumus:
4 Otia dum ducit, ſannis nos excipit hoſtis;
Calcat & audaci turba proterva pede.

6 Auctibus immodicis ſpectabis ſurgere prolem,
Et genus Iſacidûm perpete pace frui.

PSAL. CXXIX.

GEns fera mille malis primis me preſſit ab anni
Jam Solymæ populus dicere jure poteſt:
2 Gens fera mille malis primis me preſſit ab annis;
Non tamen hoſtiles prævaluêre manus:
3 Terga mihi fodit non uno vulnere; duro
Ruſticus haud aliter vomere ſulcat humum:
4 At pater omnipotens, qui ſervantiſſimus æqui eſt,
Hoſtica diſrupit vincula, largus opis.
5 Sacra Sion! odiis te qui premit impius hoſtis,
Terga det infami ſanguinolenta fugæ:
6 Sit velut herba recens, quæ tecti in culmine ſumm
Sponte ſuâ ſurgens, vix benè nata perit:
7 Falce metit nemo, maturis implet ariſtis
Nemo manum, nulli degravat illa ſinum:
8 Nemo viatorum, felici ſidere meſſis
Uber, ait, dextro numine creſce ſeges.

PSAL. CXXX.

INgemui, vocemque trahens de pectoris imo,
Te, Deus! oravit mens ſtupefacta malis:
2 Supplicis exaudi gemitus, auremque querelis
Inclinans, famuli fac rata vota tui.
3 Si quoties peccant mortales, mente recondas,
Pars quota quæ mittes fulmina ferre queat?
4 Sed tua te niveis cingit clementia pennis,
Ut pius hinc ſubeat pectora ſancta timor.
5 Fluctibus in mediis Dominum ſpes omnis in unu
Incubuit, pactis certa ſubeſſe fidem:
6 Hoc ſpectat mens læta jubar; nocturnus Eoâ
Parciùs excubitor luce refectus ovat.
7 Erigat Abramidas Domino ſpes nixa fideli,
Cui comes eſt bonitas & cumulata ſalus:
8 Hic gregis electi vitali flumine noxas
Abluet, & quidquid pectora fœcis habent.

PS

PSAL. CXXXI.

NOn ego, magne parens! criſtas attollo comantes;
Nec tumet inflatum pectus amore ſui:
Fronte nec elatâ ſpecto ſublimia; captum
Quidquid & exſuperat mens procul eſſe jubet.
Rebus in adverſis, infantis, lacte recenter
Provida quem mater depulit, inſtar eram:
Sic ego conticui: ſic diſcat ſemper Abrami
Poſteritas uni credere vota Deo.

PSAL. CXXXII.

REſpice Jeſſiaden, pater & regnator olympi!
Quaſque tulit memori mente revolve cruces.
2 Ille Deum jurans, Solymam qui protegit, ora
Solvit; & hæc voti ſumma caputque fuit:
3 Non mihi regali prius aut ſuccedere tecto
Fas erit, aut molli credere membra toro:
4,5 Nec prius obrepet ſomnus, quàm limina ſignem,
Quæ colat Iſacidûm tempus in omne Deus.
6 Rumor erat Bethlæ deberi numinis ædem;
Debita ſed Solymæ laus fuit illa jugis.
7 Huc carpamus iter, patris hîc ſternamur ad aras,
Scamnaque, ſidereo quæ premit ille pede.
8 Surge, parens rerum! ſtabiles hîc fige penates;
Sitque tibi conſtans fœderis arca comes.
9 Huc properent purâ velati ſindone myſtæ,
Plenaque lætitiæ gens ſacra cantet Io.
10 Quod tibi ſacrâſti, tu Jeſſæ reſpice germen,
Nec tetricus CHRISTI reſpue vota tui.
11 Jeſſiadæ, memini, jurâſti, vertere mentem
Neſcius, obſtrictam vel temerare fidem:
Davide prognatus, dixiſti, ſceptra tenebit;
Conſcendet ſolium mox patris ille ſui.
12 Et mea ſi ſeri ſervârint juſſa nepotes,
Hæc illis pariter ſceptra regenda dabo.
13 Ipſe mihi ſanctæ delegi tecta Sionis;
Illa placent, ſtabiles hîc ego figo lares.
14 Hæc domus eſt, & certa quies, ædeſque perennis;
Deliciumque animæ dimidiumque meæ:

15 Hîc

15 Hîc bona de pleno fundetur copia cornu,
Nec deerit tenui meſſis opima gregi.
16 Caſta ſacerdotes pietas decorabit, & hymnis
Æthera mulcebit ſancta caterva novis.
17 Davidis excreſcet ſoboles, & robore pollens
Hîc nitidum róſeo fundet ab ore jubar.
18 Illius æternùm florebunt ſceptra, notabit
Sed pudor hoſtiles inficietque genas.

PSAL. CXXXIII.

O Quibus illecebris pax & concordia fratrum
Me trahit, & pia qui pectora jungit amor!
2 Qui caput & barbam, limbum qui veſtis Aroni
Perluit, haud alio fragrat odore liquor.
3 Sic geſtit, plauditque Sion & nubifer Hermon,
Florea cœleſti cum juga rore tepent:
His quibus arridet pax aurea, conditor orbis
Proſpicit, & vitâ dat ſine fine frui.

PSAL. CXXXIV.

EJa agedum, templi cuſtos nocturne, miniſter
Quiſquis & es, ſuperûm fer ſuper aſtra patrem.
2 Tolle ſupinatas ſupplex ad ſidera palmas,
Cantibus & templum perſonet omne ſacris.
3 Hic tibi ſuccurret celſa de rupe Sionis,
Qui dominâ terras finxit & aſtra manu.

PSAL. CXXXV.

EJa agedum, ſacri Dominum laudate miniſtri,
Dicite cœleſti carmina læta patri.
2 Vos templi vigiles, laudes celebrate Tonantis;
Quo melius, quo nil pulcrius orbis habet.
3 Aurea ſolenni reſonant ſacraria cantu;
Elogiis Domini convenit ille locus.
4 Legit his Iſacidas multis de millibus unos;
Gens ea theſauri divitis inſtar erat.
5 Non ignota loquor: præſtanti robore dextra
Eminet, & reliquis imperat ille deis.

6 Illius

6 Illius ad nutum tellus verſatur & æther,
Et mare, ſub pedibus quidquid & abdit humus.
7 Sedibus ex imis tolluntur in ardua nubes,
Imbribus & ſubitis prævia flamma ruit:
Ille, ſuos reſerans theſauros, evocat auras;
Et quatit hibernis culmina ſumma notis.
8 Illius eſt dextrâ tellus orbata Canopi
Flore juventutis, primitiiſque gregis.
9 Numinis attonitus ſenſit miracula Nilus,
Hauſtus & irato dux populuſque freto.
10 Mille ſimul ferro domiti perière tyranni,
Duraque pro ſceptris vincla tulêre duces.
11 Gentis Amorrhææ princeps, dominuſque Bazanis
Concidit, & proceres, gens Cananæa, tui.
12 Regibus exſtinctis felicia prædia rerum
Conditor Iſacidis, imperiumque dedit.
13 Ergò, Deus! ſacri ſpes & tutela peculî,
Nulla tuas laudes eſt tacitura dies.
14 Eſt populi tibi cura tui, tibi flexilis ira eſt,
Et tua tela tuus ſæpè retundit amor.
15 Impius argentum pro dîs veneratur & aurum,
Et colit artificis numina ficta manu.
16, 17 Luce carent oculi; nec verba, nec halitus ori
Suppetit; eſt pelagi ſurdior auris aqua.
18 Talia qui cudit vel adorat numina demens,
Numinibus par eſt ſculptilibuſque ſuis.
19, 20 Iſacidæ Dominum celebrent; & quiſquis Aronem,
Et Levi quiſquis prædicat inter avos.
21 Hunc canat & Solyme regem quicunque veretur,
Grandibus hunc titulis ornet & alma Sion.

PSAL. CXXXVI.

QUas decet auctori rerum depromite grates;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
2 Solvite jam grates Regi Dominoque Deorum;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
3 Ferte Deo grates, cui paret purpura regum;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
4 Dextera cui fortis, cui ſunt miracula ſoli;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.

5 Ar-

5 Ardua qui ſolers ſuſpendit mœnia mundi;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
6 Fluctibus è mediis qui juſſit ſurgere terras;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
7 Aurea qui rutilis accendit ſidera flammis;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
8 Tempora qui lucis moderatur tramite ſolis;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
9 Aſtrorum lunæque rotis qui temperat umbras;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
10 Robora qui Phariæ ſtravit floremque juventæ;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
11 Qui bonus Iſacidas Nili revocavit ab undis;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
12 Qui ſibi devotos defendit vindice dextrâ;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
13 Qui mare diſſecuit medium, ſpectante Canopo;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
14 Quo duce ſacra cohors evaſit ſoſpes ab undis;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
15 Gurgite qui Pharium merſit cum milite regem;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
16 Pervia qui populo fecit priùs invia teſqua;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
17, 18 Cujus & illuſtres obtrivit dextera reges;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
19, 20 Gentis Amorrhææ dominum qui ſtravit & Ogu
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
21, 22 Qui populo dedit arva ſuo, quibus exuit hoſtes
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
23 Vindice qui ferro rebus nos juvit in arctis;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
24 Qui jugulo toties hoſtiles depulit enſes;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
25 Qui dape mortales ſaturat de ſedibus altis;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
26 Solvite cœlicolûm regi pia pectora grates;
Illius eſt nullo limite clauſus amor.

PSAL

PSAL. CXXXVII.

URbe procul Solymæ, fuſi Babylonis ad undas
Flevimus, & lacrimæ fluminis inſtar erant:
Sacra Sion toties animo totieſque recurſans,
Materiem lacrimis præbuit uſque novis.
Deſuetas ſaliceta lyras & muta ferebant
Nablia, ſervili non temeranda manu.
Qui patriâ exegit, patriam qui ſubruit hoſtis,
Pendula captivos ſumere plectra jubet:
Imperat & lætos mediis in fletibus hymnos,
Quoſque Sion cecinit, nunc taciturna, modos.
Ergone pacta Deo peregrinæ barbita genti
Fas erit & ſacras proſtituiſſe lyras?
Ante meo Solyme quàm tu de pectore cedas,
Neſciat Hebræam tangere dextra chelyn.
Te niſi tollat ovans unam ſuper omnia, lingua
Faucibus hæreſcat ſidere tacta meis.
Ne tibi noxa recens, ſcelerum Deus ultor! Idumes
Excidat, & Solymis pernicioſa dies:
Vertite clamabant, fundo jam vertite templum,
Tectaque montanis mox habitanda feris.
Te quoque pœna manet Babylon: quibus aſtra laceſſis
Culmina, mox fient, quod premis, æqua ſolo:
Felicem, qui clade pari data damna rependet,
Et feret ultrices in tua tecta faces!
Felicem, quiſquis ſcopulis illidet acutis
Dulcia materno pignora rapta ſinu!

PSAL. CXXXVIII.

PEctore te toto celebrabo, maxime rerum!
Aligeros inter ſceptrigeroſque choros.
Ad ſacra ſiderei proſternar limina templi,
Devotus Solymis & dabo tura focis:
Hic nomen numenque tuum ſuper æthera tollam,
Nec favor eſt priſcus, nec reticenda fides:
Tu tua qui ſanctè ſervâſti fœdera, metis
Orbis in extremi nobile nomen habes.
Supplicis audîſti gemitus in vota vocatus,
Et memini vires te reparâſſe meas.

4 Ore tuo moniti reges, procereſque frequentes
Undique concurrent, & tua facta canent.
5 Facta canent regis, qui majeſtate coruſcâ
Exſuperat rerum machina quidquid habet.
6 Tu licet emineas, humiles tamen ore benigno
Reſpicis, elatos & procul eſſe jubes.
7 Me licet infeſtent fluctus & lerna malorum,
Vita ſaluſque tuâ reſtituentur ope:
Tu, Deus! invictis proſternes viribus hoſtes;
Dextra ſed incolumem me tua tollet humo.
8 Perge, precor, nec te pigeat tua facta tueri;
Namque tuus demto fine perennat amor.

PSAL. CXXXIX.

TU, Deus! exactâ luſtras indagine mores;
Tu rigidus vitæ cenſor es ipſe meæ.
2 Seu ſedeo ſeu ſurgo, mihi tu ſemper adhæres;
Et pectus nil te quod latet intus habet.
3 Tu, quacunque feror, ſequeris veſtigia; præſtò
Tu, Deus! es, quoties membra quiete levo.
4 Auribus arrectis tu quæ loquor, arbiter orbis!
Accipis, & præſens ſingula verba notas.
5 Undique dum cingis, fibras dum pectoris omnes
Excutis, obſidio me nimis arcta premit.
6 Dum reputo, quàm ſint tibi lyncea lumina, miror,
Omnis & ingenii vis & acumen hebet.
7 Quò fugiens oculos fallam, quibus omnia cernis?
Quæ latebræ, profugi quæ caput antra tegent?
8 Si miſer aſtra petam, ſolium tibi cingitur illis;
Tartara ſi ſubeam, tu, Deus! illa tenes.
9 Me licet exoriens aurora volucribus alis
Vectet ad Heſperii littora nigra freti;
10 Te tamen Heſperiis cernam novus hoſpes in oris,
Et metuam dextræ fulmina certa tuæ.
11 Me licet involvam tenebris & noctis amictu,
Non tamen, heu! tenebris, non ego nocte tegar.
12 Te præſente nigræ vaneſcunt nubila noctis;
Et ſunt te coram lux tenebræque pares.
13 Quod cute texiſti tenui, genitricis in alvo,
Nil tua quod fugiat lumina pectus habet.

14 T.

14 Te, pater alme! canam mirandæ conſcius artis,
Quâ tua me ſtruxit compoſuitque manus.
15 Oſſa mihi ſolers finxiſti clauſa latebris;
Nec pars ulla mei tum tibi tecta fuit.
16 Molle rudimentum vidiſti & ſtamina prima
Corporis, & miris oſſa ligata modis:
Membraque victuris tibi ſunt inſcripta tabellis,
Ante mihi facies quàm foret ulla viri.
17 Quàm tibi mens ſolers! Tua quis ſecreta bilance
Pendere, vel numero claudere facta queat?
18 Hæc ego ſi metis compleCti coner, arenas
Promtius expediam quot lavet unda maris:
Hæc experrectus mecum dum manè revolvo,
Mens ſtupet, & nimiùm cura laboris habet.
19 Tu, Deus! exſtingues ſceleratos fulmine dextræ;
Sit procul à nobis tincta cruore manus.
20 Hoſtis atrox in te genuinum ſtringit, & iras
Nil profecturo provocat ore tuas.
21 Hunc ego non odi, te qui, pater! odit? & illum
Non ego deteſtor, qui tibi bella parat?
22 Hunc ego, ne dubites, odi cane pejus & angue;
Et mihi te quiſquis non amat hoſtis erit.
23 Tu qui cuncta vides, famuli, Deus! excute pectus,
Si quid & in tacito fortè recludo ſinu:
24 Si ſcelus hîc latitat, noxam ſi machinor ullam;
Me quoque ſacrilego cum grege dede neci.

PSAL. CXLI.

Aſſere me, rerum genitor! violenta retunde
Tela, quibus, nullo vim prohibente, petor.
2 Impia progenies in me ruit agmine denſo,
Audet & indignum volvere mente nefas.
3 Omnibus armatur lethali lingua veneno,
Quale gerit Libycis vipera tecta rubis.
4 Hoſtis ab infenſi famulum me protege dextra,
Illius & clypeo ſpicula pelle tuo.
5 Ille tumens faſtu greſſus mihi fraude paratis
Retibus implicuit, diſpoſitiſque plagis.
6 Tunc ego, Tu Deus es mihi, rerum maxime! dixi;
Tu Dominus, votis annue, quæſo, meis.

7 Tu Deus es Dominusque mihi, columenque salutis;
Tu clypeus, quoties ingruit hostis, eras.
8 Absit ut huic faveas, aut impia vota secundes;
Materiem fastûs hâc ope tolle novi.
9 Factio dira suo pereat cum principe; virus
Et precor infestum, quod vomit, ipsa bibat.
10 Hauriat hanc supera dejectum fulmen ab aula,
Quidquid & indomiti Tartarus ignis habet.
11 Exsulet his terris, cui sunt lita labra veneno;
Et cui cæde madet sanguinolenta manus.
12 Credo equidem, nec vana fides, pater orbis egenos
Proteget, & si quos fors minùs æqua premit.
13 Mens pia mille tibi solvet, pater optime! grates;
Gaudebitque tuo cominus ore frui.

PSAL. CXLI.

TE, Deus! imploro; fer opem festinus, & aurem
Tende mihi, dum te supplice voce rogo.
2 Sint pro ture preces, sublatæ ad sidera palmæ
Sint tibi, ceu primo vespere cæsa biden.
3 Os mihi ne peccem servet custodia; linguæ,
Ne violem leges, injice frena meæ.
4 Da ne prava mihi vitient consortia pectus;
Da gregis impuri posse cavere dapes.
5 Mille modis potiùs me cædat & increpet æqui
Cultor, & hic cui mens candida labe vacat;
Hoc mihi dulce putem, ceu sint lita tempora nardo,
Tristia quod medicâ vulnera sanat ope:
Non tamen his renuam, quos odi, fausta precari,
Cumque luent pœnas tangar amore pio.
6 Cum ruet in præceps judex & censor iniquus,
Verba mihi discent plena fuisse favis.
7 Perfidi scelus hi nobis sparserunt ossa per agros,
Et tumuli juxta cespes inanis erat:
Sic cadit æratis percussa bipennibus ornus,
Et circum latè fragmina fissa jacent.
8 Te tamen adspecto, te nitor, maxime rerum!
Ne, precor, ah! timidæ desere vela ratis.
9 Erue me laqueis, quibus implicor; eripe nodis;
Et quibus hæresci pes mihi, solve plagas.

10 Sospite me, tectis se cassibus induat hostis,
Et pereat technis, ô precor! ipse suis.

PSAL. CXLII.

VOta Deo, superûm suspectans atria, fudi;
Et petii supplex omnipotentis opem.
2 Tristibus, hoc coram, lacrimis & mille querelis
Sum mala testatus quæ fero, quæque tuli.
3 Cum gemerem nimio curarum pondere pressus,
Alme parens! testis tu pietatis eras:
Impius interea me cassibus induit hostis,
Et pedicæ dubios implicuêre pedes.
4 Dum miser huc illuc oculos circumfero, nemo
Auxilium misero qui mihi ferret erat.
5 In Dominum tandem conjecto lumine, dixi,
Tu mihi, dum vivo, spes es & auctor opis.
6 Me bonus exaudi, pedibus dum calcor, & hostis
Robore dum superor, tu mihi tende manum.
7 Eripe captivum cæci de carceris antro;
Sic ego te liber, quo decet, ore canam:
Hâc ope procedam, sanctâ comitante catervâ,
Divitiisque tuis lautitiisque fruar.

PSAL. CXLIII.

AUribus arrectis famuli Deus accipe questus,
Fœderis, & fidei, justitiæque memor.
2 Ne trutinâ me pende tuâ, ne durus ansuffi
Quæsitor vitæ subjice facta meæ:
Adspice mortali prognatos semine: toto
De grege te coram crimine nemo vacat.
3 Me stravit pressitque ferox, me carcere mersit
Hostis, & in tenebris vita trahenda fuit:
Delitui, ceu luce carens & voce silentûm
Turba solet, quam nox semper opaca tegit.
4 Obstupuit mens fracta malis, ceu sidere lævo
Tacta, nec in toto pectore pectus erat.
5 Sed memor, annales recolens, tua facta revolvo;
Hæc referunt animo noxque dieque meo.
6 Cum premor adversis, supplex tibi brachia tendo,
Et desiderio maceror usque tui:

Sic

Sic ager apricus nimio langueſcit ab æſtu;
Sic pluviam ſucco deficiente ſitit.
7 Ociùs exaudi, dum pondere victa fatiſcit
Mens mihi, ne dextram te retrahente ruam:
Ne vultûs jubar abde tui, quo cuncta ſerenas;
Quo ſine me lethi ſquallor & horror habet.
8 Lumine me placido pater adſpice; Phoſphorus umbras
Cum fugat, auxilio ſpes mea nixa tuo eſt:
Luce præi, ſignaque viam; Te ſuſpicit unum
Æquoris undoſi mens propè merſa vadis.
9 Eripe me vindex furiis hoſtilibus; umbo
Tu mihi, tu vitæ portus & aura meæ es:
10 Da famulo tua juſſa ſequi Dominuſque, Deuſque!
In tua, rerum opifex! atria pande viam.
11 Juſtitiæ laudiſque tuæ memor, eripe ſervum
Fluctibus; & vires, ne premar, adde novas:
12 Utque tuus clareſcat honos, diſperde catervam,
Quâ premor, & famuli jura tuere tui.

PSAL. CXLIV.

GLoria ſit cœli Domino; mea temperat arma,
Et bellatrices erudit ille manus.
2 Firma mihi rupes & murus aheneus ille eſt;
Et clypeus vitæ præſidiumque meæ:
Hic vitam, ſceptrumque dedit; ſpes omnis in illo
Eſt mihi, qui populos ſub mea jura trahit.
3 Magne parens! quantillus homo eſt, quem reſpicis? Ade
Pignora quid te quo demereantur habent?
4 Vanius his nihil eſt; his ætas futilis umbræ
More vagæ levibus tranſvolat acta rotis.
5 Ætheris inclinans axes, jam labere cœlo;
Tange manu montes, & juga nube tege.
6 Funde meos cœli flammis ultricibus hoſtes;
Obrue miſſilibus caſtra profana tuis.
7 Deſuper exſerta dextram, fluctuſque coerce,
Quos ciet, ah! ſtudiis gens inimica piis.
8 Eripe me linguis mendacibus; eripe dextris,
Fallere non veritis quam pepigêre fidem.
9 Tum, pater alme! novo te tollam carmine; denis
Te referam nervis, altiſonâque lyrâ.

10 Jure

10 Jure patrocinii tu regum ſceptra tueris;
Jeſſiaden clypei tu tegis ære tui.
11 Eripe me linguis mendacibus; eripe dextris,
Fallere non veritis, quam pepigêre, fidem.
12 Vernet & aſſurgat ſoboles, precor, æmula cedro;
Quæ viret in Libani luxurioſa jugis:
Qualis & in lævi ſpectatur marmore, talis
Pectora virginibus pingat & ora nitor.
13, 14 Ampla penus, fœtura gregis numeroſa, ſegeſque
Fertilis, & fortes ſint ad aratra boves:
Sint procul hoſtiles acies & bella, nec unquam
Funeſtis reſonent compita mœſta tubis.
15 O ter felicem, cui ſic traducitur ætas!
Cui Deus eſt, hominum cœlicolûmque parens!

PSAL. CXLV.

TE regem, pater alme! canam; tua facta per orbem
Diffundam plectro non metuente mori.
1 Nulla dies non te recolet, rex incitie! metis
Includent titulos ſecula nulla tuos.
3 Eſt immenſa tibi, nec ſat laudata poteſtas;
Et tua ſat neſcit gloria mente capi.
4 Inſtruet ætatem priſcis annalibus ætas;
Mille tuâ memorans parta tropæa manu.
5 Inclita cœleſtis referam miracula dextræ;
Et majeſtatis præco perennis ero.
6 Robur ego, dicent alii monumenta furoris;
Et recolent iræ fulmina ſæva tuæ.
7 Omnibus & populis narrabunt voce canorâ,
Quanta, parens! bonitas ſit tua, quanta fides.
8 O tibi quàm comis mens eſt & ſegnis ad iras!
Rebus in afflictis quàm tibi promta manus!
9 Omnibus illuſtrem tua ſe clementia terris
Monſtrat, & in toto, quem regis, orbe nitet.
10 Te, Deus! artificem canit ingens machina mundi;
Et populus tibi qui, cum prece, tura litat.
11 Imperii ſceptrique decus vox efferet omnis;
Laudibus & vires tollet in aſtra tuas.
12 Sic regni ſacra fama tui, ſic gloria dextræ
Creſcet, & implebit ſolis utramque domum.

13 Quo

13 Quos geris æterni sunt & sine limite fasces
Imperii: nil hîc tempora juris habent.
14 Sustinet infirmos cœlestis dextera, terras
Hæc eadem afflictos dextera tollit humo.
15 Te mare, te tellus, totus te suspicit orbis;
Pabula tu præbes tempore cuique suo.
16 Expandis tu sponte manum, quæ sustinet omnes;
Omnibus optatas porrigit illa dapes.
17 Arbiter æthereus recti sectator & æqui est;
Et supera quidquid prodit ab arce pium.
18 Huic animo si promtus adis, nec fallere tentus,
Ibit in amplexus protinus ille tuos.
19 Audiet & questus facilis, votisque suorum
Annuet, & vitæ præmia certa dabit.
20 Gens pia perstabit cœlesti numine tuta;
Impia cœlesti corruet icta manu.
21 Voce Deum referam; cujus nomenque, decusque
Natio nulla sinet, secla nec ulla, mori.

PSAL. CXLVI.

1 TU patris ætherei laudes mens concipe; vitæ
2 Dum fruar, hæc studii summa futura mei est.
3 Quisquis es, ah! regum sceptris ne crede salutem,
Aut homini: nil rex, nil homo præstet opis.
4 His, ubi corpus humum repetit, mens avolat, omnes
Excutit & curas, nec memor inde tui est.
5 O felix nimium, Domino qui fidit amico,
Quisquis & Isacidûm, pro duce, numen habet!
6 Astra, fretum, terras & quidquid cernitur usquam,
Hic dedit, & stabilem servat ubique fidem.
7 Protegit afflictos, inopes dape sublevat, arctâ
Compede constrictos liberat ille pedes.
8 Lumina dat cæcis, humiles attollit in altum;
Diligit & populum, quem juvat æqua sequi.
9 Cum viduis illi puer orbus & advena curæ est;
Sed scelerum socios fœda ruina manet.
10 Sceptra geret Solymæ Dominus, dum lucidus astra
Sol reget: Ergò Deo laus sit & omnis honos.

PSAL

PSAL. CXLVII.

Laudibus in cœlum cœleſtem tollite regem;
Hoc juvat, hæc nimium cura decoris habet.
1 Ille ſuæ Solymæ reparavit mœnia, vindex
Exſulibus patrios reddidit ille lares.
3 Luce ſua mœſtæ depellit nubila mentis,
Et fera cœleſti vulnera lenit ope.
4 Supputat aſtrorum numerum, curruſque volucres,
Nomenclaturis & vocat illa ſuis.
5 Illius omnipotens vis eſt & dextera ſolers;
Non hæc comprendi mente nec illa poteſt.
6,7 Erigit ille humiles, tumidos deturbat ab alto;
Hunc canat argutæ vox tua juncta lyræ.
8,9 Hunc cane, qui cœlum nebulis involvit opacis,
Siccaque fœcundis imbribus arva rigat:
Gramine qui montes operit, pecorique miniſtrat
Pabula, quæſitas & tibi, corve, dapes.
10,11 Nec capit hunc bellator equus, nec militis enſis;
Candida ſed pietas & ſine labe fides.
12 Illius urbs Solymæ celebra præconia; laudes
Illius in cœlum tolle Sionis apex.
13 Ille tibi valido munivit robore portas;
Civibus ille tuis favit, & auxit opes.
14 Illius auſpiciis pax incolit aurea terras,
Meſſibus & lætis luxuriantur agri.
15 Ille jubet; juſſis tellus obtemperat ultrò,
Principis imperiis obſequioſa ſui.
16 Nunc nive velantur, ceu molli vellere, colles;
Paſcua nunc cinerum more pruina tegit.
17 Denſantur liquidæ cruſtis glacialibus undæ,
Præque gelu nimio vix toleratur hiems.
18 Mox ubi rerum opifex adſpirat lenibus auris,
Bruma fugit, glacies liquitur, unda fluit.
19 Dat Deus Iſacidis leges & jura, Sionis
Et populum placitis erudit ille ſuis.
20 Non ita propitium reliquis ſe præbuit oris;
Sole quibus fas eſt, ſideribuſque frui:
His nec jura dedit, nec ſacri fœderis arrham
Obtulit: Ergò Deo laus ſit & omnis honos.

PSAL. CXLVIII.

EJa Deum celebra; Domini de ſede ſuperna
Facta refer, cœli qui juga ſumma tenes.
2 Eja Deum celebra rutilans ſine corpore cœtus,
Siderei propiùs qui patris ora vides:
Eja Deum celebra rapidis exercitus alis
Concite, dum ſuperi juſſa faceſſis heri.
3 Eja Deum celebra ſol, ſolis & æmula luna;
Et cœli levibus ſidera vecta rotis.
4 Hunc pariter celebret ſupremi machina cœli,
Quotquot & ex alto præcipitantur aquæ.
5,6 Hunc celebrate ſimul; verbo vos ille potenti
Condidit, & ſtabili nunc quoque lege regit.
7 Ætheris & Dominum laudet tellure ſub ima
Trux draco, vaſta maris quidquid & unda tegit.
8 Et cava quæ cœli ſubtexunt mœnia flammæ,
Et quæ frugiferos grando flagellat agros:
Et nix cum nebulis, & tempeſtate ſonorâ
Illius ad nutum qui quatis, Eure, rates.
9 Et tetricæ rupes, & ovantes palmite colles,
Et cedrus, & pomis arbor onuſta novis.
10 Cumque feris pecudes, & quæ ſecat æthera pennis
Natio, vel prono pectore verrit humum.
11 Gemmiferoque comam cincti diademate reges;
Voſque quibus fas eſt dicere jura patres.
12 Fervidus & juvenum chorus, innuptæque puellæ;
Et puer imbellis, decrepituſque ſenex.
13 Cuncta Deum celebrent, qui præſtans omnibus unus
Altior eſt terris, ſidereiſque rotis.
14 Hic ſibi devotum populum, gentemque Sionis
Evehit: Ergò Deo laus ſit & omnis honos.

PSAL. CXLIX.

DIcite rectori ſuperûm nova carmina; ſacros
Audiat & populi tota corona modos.
2,3 Rex ſuus oblectet Solymam, ſuus auctor Abrami
Progeniem: citharis gens ſacra junge choros.
4 Ille ſuo populo favet, oblectatur & illo,
Mitibus & vindex cinget honore comas.

5,6 Gens pia ſolenni teſtetur gaudia pompâ,
Geſtiat & quoties nocte cubile premit:
Ore ſui laudes celebret Dominique Deique;
Sed ſimul ancipiti fulminet enſe manus:
7 Demetet hoc ſcelerum ſocios, genteſque rebelles,
Et quos impuros, quos ſciet eſſe reos:
8 Ponè trahat reges, manibus poſt terga revinctis;
Servili procerum ſtringat & ære pedes.
9 Laus gregis eſt ſacri præſcriptas poſcere pœnas:
Hoc decet: Ergò Deo laus ſit & omnis honos.

PSAL. CL.

FEr ſuper aſtra Deum, Solymæ qui protegit aras;
Aurea pollenti qui regit aſtra manu.
2 Fer ſuper aſtra Deum, qui pollet robore dextræ,
Et majeſtatis pandit ubique jubar.
3 Fer ſuper aſtra Deum lituis, buxoque ſonoro;
Et ſocia blandæ nablia feſta lyræ.
4 Fer ſuper aſtra Deum, pulſa cava tympana palmis;
Sit citharæ & fidibus tibia blanda comes.
5 Fer ſuper aſtra Deum, jungantur cymbala plectris;
Dulcibus & reſonent terra poluſque modis.
6 Fer ſuper aſtra Deum, quiſquis vitalibus auris
Veſceris: Ergò Deo laus ſit & omnis honos.

FINIS PSALMORUM.

CANTICI *SOLOMONIS* PARAPHRASIS POETICA.

ARCTURO JONSTONO Scoto,
Medico Regio, Auctore.

Auctoris Dedicatio

AD

Sereniſſimum & Potentiſſimum

CAROLUM

Scotiæ, Angliæ, Galliæ & Hiberniæ Regem.

CAROLE! flos Regum, quo nil auguſtius unquam
Sanctius immenſus quo nihil orbis habet:
Quod fero Pieriis è collibus accipe Regis,
Accipe divini nobile vatis opus.
Sacra Trias numeros, calamum Rex præbuit ore
Davide, materiem numine plenus Hymen.
Hîç Deus ipſe ſuos è cœlo cantat amores;
Succinit in terris filia, nupta, nurus.
Tolle quod hîc noſtrum eſt, interpretis erue ſi
Cætera ſunt violæ, lilia, myrrha, roſæ.

ARCT. JONST

Cantici Solomonis

PARAPHRASIS.

CAP. I.

SPONSA.

FER mihi ſuaviolum roſeis, Dilecte! labellis:
Dulcior O dulci tu mea vita mero es!
Os olet ambroſiam, ſpirant tua baſia myrrham;
Halat & ex ipſo nomine turis odor.
Sic tu virginei tibi vincis pectora cœtûs:
Me quoque cum reliquis ſub tua jura trahe.
Ponè ruam pernix, Regis ſubitura cubile,
Inque tuo carpam gaudia blanda ſinu.
Non ita delectat ſitientem viteus humor,
Meque pioſque tui dulcis ut urit amor.
Fuſca ego ſum, fateor: facie tamen eſſe venuſtâ
Non renuent, Solyme quas habet alma, nurus:
Eſt mihi qui deceat Cedarum tentoria cultus;
Eſt nitor aulæis qui Solomonis ineſt.
Ne me, quod nigra ſim, nigro quod ſole peruſta,
Spernite, vel fratrum quod gravis ira premat;
Quolque aliena mihi malè ſit vindemia quondam
Credita, vel quod ſim paſſa perire meam.

Dic,

Dic, quibus in terris, quâ paſcas rupe capellas:
Dic, quæ te medio protegat umbra die.
Cur ego te linquam, mea lux! mea ſola voluptas!
Cur ſequar alterius, te ſuperante, greges?

SPONSUS.

Si latet hoc, reliquis palmam quæ præripis omnem,
Hanc tibi quam monſtro, Virgo! capeſſe viam:
Junge greges, gregis & nivei te junge magiſtris,
Carpat ut hîc felix pabula læta pecus.
Se tua fidereis dum cingit gloria pennis,
Quid tibi par vaſtus, quà patet, orbis habet?
Sic ſonipes rutilat Pharaonius, undique gazis
Tectus Erythræi Sidoniique maris.
Æquoris Eoi reſpondent temporal gemmis;
Candida chryſolithi lumine colla nitent.
Aurea fingemus tibi, Virgo! monilia, puri
Argenti nivcis vermiculata notis.

SPONSA.

Menſa tuos quoties ſpirat regalis odores,
Cœleſtes redolent balſama noſtra dapes.
Myrrheus eſt totus: circundans brachia collo
Te ſtringam gremio nocte dieque meo.
Sic Engeddini fragrant opobalſama ruris,
Inque racemiferis lacrima lecta jugis.

SPONSUS.

Quàm mihi tu pulcra es, caſtas imitata columbas
Dulcia cæruleâ lumina luce nitent.

SPONSA.

Quàm mihi tu pulcer, rerum dulciſſime! nobis
Inſperſum vario flore cubile viret:
Celſaque victuris radiant palatia cedris,
Pandit & abiegnas porticus ampla trabes.

CAP. II.

SPONSUS.

JM roſa ſuave rubens, qualem Sharonis in hortis
Candida lacteolo pollice virgo metit:
que creant Zephyri molles in vallibus auræ,
Flos ego ſum veſtri lilia cana gregis:
nea virgineas ducens dilecta choreas,
Lucet ut in duris lilia nata rubis.

SPONSA.

lus ut arboribus, ſic & meus ignis ephebis,
Terra quot ulla tulit, præripit omne decus.
is optarem dulci recubare ſub umbra:
Hic lego mellifluis æmula poma favis.
: duce deveni ſpirantem nectare cellam,
Signifer accenſâ luce præibat amor.
ie, puer, cyathos, fragrantia ſuffice poma;
Jam mihi non noto liquitur igne jecur.
ovet amplexu Dilecti dextera molli,
Læva mihi fulcit languida colla manus.
i puellaris, Solymæ florentis alumnæ,
huaſque Paleſtinæ protulit ora nurus,
: felices ſtrepitu depellere ſomnos;
as requie nobis, fas ſit amore frui:
ro per cervos, quot alunt juga celſa Sionis,
rque leves capreas, gaudia veſtra, rogo.
onſi dilecta mei mihi verberat aures:
i nunc inſultat collibus ille ſacris:
s hinnuleo, capreâque citatior omni,
mus in amplexus en ruit ille meos.
ſe ſiſtens, cancellis undique ſeptus,
ſpicit, & tenui luce ſubinde micat;
s eſt ignis vultu ſolatus amico;
ſit & alloquio ſuſtinuitque ſuo.

SPONSA ſub perſona Sponſi.

Surge, ait, his oculis multo mihi carior, omni
Marmore candidior, dulcis Amica, veni.
Diſceſſere nives tempeſtateſque ſonoræ,
Cumque ſuis nimbis turbida fugit hiems:
Floret humus, reſonat volucrum concentibus aer,
Fundit & hic querulos turtur ubique modos:
Induiturque novis jam ficus cærula baccis,
Et fragrans tenero vinea flore viret.
Surge animæ pars magna meæ, pulcerrima rerum
Huc ades: immenſas cur trahis uſque moras?
Quæ fuga? quas latebras ſectaris more columbæ?
Da precor ore tuo, da mihi voce frui.
Dulcius hâc nihil eſt, nihil eſt formoſius illo,
Sed neque par quidquam maximus orbis habet.
Vitibus inviſas cum fœtu interfice vulpes,
Dum tener eſt nobis palmes, & uva recens.

SPONSA in ſua perſona.

Me meus ignis habet, jus & mihi ceſſit in illum:
Ille ſuas inter lilia paſcit oves.
Donec nocturnas aurora reſolverit umbras,
Reddideritque diem, tu mea vita redi:
Accelera capreis cerviſque citatior illis,
Per juga quos ferri Betheriana vides.

CAP. III.

SPONSA.

DEcubui, & tacita quæſivi noctis in umbra
Conſortem thalami præſidiumque mei;
Quæſivi, & votis iterumque iterumque vocavi,
Irrita ſed rapidi vota tulere Noti.
Tunc ego; Quin, inquam, ſurgis? quin excutis urb
Compita, veſtigans irrequieta virum?
Exſurgo, multâque vias indagine luſtro;
Heu mea ſed nuſquam vita reperta mihi eſt!

Obvia me vigilum cinxit cuſtodia : quæro
An mea ſint iſti gaudia viſa choro.
Nec procul hinc, quæſita diu, mihi vita reperta eſt;
Dimidiumque animæ deliciumque meæ.
Protinus amplexans dilecto brachia collo
Implicui nullo diſſolüenda die;
Inque meæ duxi thalamos & tecta parentis,
Lux ubi prima mihi cœlitus hauſta fuit.
Vos ego per capreas cervoſque, Sionides, oro,
Ne ſtrepitu thalami ſollicitate fores.

SPONSUS.

Quæ fuit hæc, olim loca per deſerta columna
Ignea cui noctu prævia rexit iter ?
Hanc circum nebulæ ſpirabant undique myrrham,
Miſſaque Panchæis tura Sabæa jugis.
Adſpice, Nupta, thorum recubat quo Davide natus,
Qui decies ſenis cingitur uſque viris :
Hos legit Solyme duris exercita bellis
Pectora, fulmineo cinxit & enſe latus :
Principis his thalamos ſtudium eſt virtute tueri,
Primaque nocturnos pellere cura metus.
Adſpice odoratis firmata palatia cedris,
Quas Davidiadæ miſit amica Tyrus.
Hic purâ radiant argenti luce columnæ
Sublimes, auro ſub pede fulget humus.
Murice vela rubent, niveis habitata puellis,
Tota tui, Solyme, flagrat amore domus.
Adſpice pacifico rutilent ut tempora Regi!
Conſpicuum gemmis ut diadema nitet!
Gaudia ſancta agitans & conjugialia feſta,
Hoc illi genitrix cinxit honora comas.

CAP. IV.

SPONSUS.

QUàm, mea lux, reliquas vincis candore puellas!
Aureolo quantum ſpirat ab ore decus!
Lumina cœleſti pinguntur luce, columbis
Æmula, quæ collo verſicolore nitent.

Vellera cæſaries æquat, quæ lucida geſtat
In Gileadæis paſta capella jugis.
Sunt poſiti dentes, liquidi ceu fontis ab undis
Cum tonſi redeunt in nova prata greges.
Candor ineſt niveus: partu fœcunda gemello,
Haud aliter loto vellere lucet ovis.
Dulcia Sidonio ſaturantur murice labra,
Blandaque nativo nectare lingua fluit.
Tempora puniceis rutilant circumflua cirris,
Poma velut granis nobilitata rubris.
Ardua Davidicæ ſunt colla ſimillima turri,
Hic ubi mille ducum ſcuta ſuperba micant.
Hinnuleos mammæ geminos imitantur eburnæ,
Lilia quos inter florida paſcit humus.
In juga ture pio myrrhâque fluentia pingui
Diffugiam, tenebras dum fugat orta dies.
Lux mea, formoſis formoſior omnibus una es;
Nullus & in toto corpore nævus ineſt.
Te mihi da comitem, Libani de vertice mecum,
Sponſa, veni, dulcem ponè ſecuta virum.
De Seniræo, de culmine montis Amani,
Hermoniſque cavis deſpice, Nupta, jugis:
Deſpice de luſtris, catulos ubi pardalis atrox,
Trux ubi ſeminium ſæva lœna tegit.
Tu mihi mellito fixiſti lumine pectus,
Torquibus uſſiſti, Nupta Sororque, tuis.
Nupta Sororque, tuus mulſo mihi dulcior omni
Eſt amor, ambroſius balſama vincit odor:
Stillant labra favos, lac ſudat mellea lingua,
Purpureus Libani ſpirat amictus opes.
Hortus es obſeptus dumis, fons nobilis undæ
Signatus domino ſepoſituſque ſuo.
Nardus olens, calamuſque tuo naſcuntur in horto,
Cumque crocis aloe, punica mala, cyprus.
Nec myrrhæ lacrimæ, nec thus nec cinnama deſunt,
Miſſaque de ſacris balſama rara jugis.
Fons ſacer hortorum, vitæ tu lympha perennis,
Tu Libani dulces, Sponſa, recludis aquas.

SPON-

SPONSA.

Aura fave, gemino mundi de vertice flabris
Lenibus adſpirans in mea ſepta veni.
Elice jucundos horti felicis odores,
Vir meus ambroſiæ carpat ut inde dapes.

CAP. V.

SPONSUS.

NUpta Sororque, meum ſi deveni lætus in hortum,
Myrrhea cum nardo lacrima lecta mihi eſt:
Mella favique epulas, ſuffecit pocula nobis
Lac nive candidius, vitigenuſque latex.
Gens dilecta mihi mecum jam læta liquores
Accipe nectareos, ambroſiaſque dapes.

SPONSA.

Nox oculis ſomnuſque natant, pulſantis Amici
Verba tamen patulâ mens vigil aure bibit.
O multum dilecta Soror, ſine labe columba,
Pande tuas, inquit, dulcis Amica, fores.
Ecce caput cœli perfuſum rore videbis,
Nocturnoque graves imbre madere comas.
Tunc ego, Quî, dixi, rurſus velamina ſumam,
Quæ poſui? lotos quî maculabo pedes?
Dumque ſeræ impatiens dextram meus inſerit Ignis,
Quàm mihi cor ſaliit, quàm micuere ſinus!
Protinus excutior ſtratis, ut clauſtra recludam,
Myrrhaque de manibus ſtillat odora meis:
Myrrheus è digitis in poſtes depluit imber,
Totaque cœleſti janua rore madet.
Hæc ubi jam patuit, meus heu diſceſſerat Ignis!
Heu mihi lethalis vox abeuntis erat!
Hunc ego quæſivi nequicquam, ſæpe vocatus
Eſt mihi, reſponſi nil tamen inde tuli.
Me vigilum truculenta cohors deprendit, & heu!
Sauciat indignis barbara turba modis.

Urbis

Urbis ab excubiis, dum paſſim compita luſtro,
Develata mihi turpiter ora queror.
Vos ego, quas Solyme jactat ſpecioſa, puellæ,
Cernere ſi noſtri fors datur ora viri,
Vos precor adjurans, Dilecto dicite, lento
Languidulum nobis igne perire jecur.

VIRGINES.

Pulcrior O ſociis, dic, dum nos talibus urges,
Quo tuus hic reliquos nomine vincat Amor?

SPONSA.

Hic nive candidior, Tyrio rubicundior oſtro,
Dignus & eſt decies mille præire procis.
Par caput eſt auro, criſpantur tempora, corvi
Oſcinis haud alio pluma colore nitet.
Lumina cæruleas æquant ſine labe columbas,
Quæ prope flumineas lacte lavantur aquas.
Floriduliſque genis fragrans exſpirat amomum,
Lilia mellitis myrrhaque pura labris.
Chryſolithis auroque nitet manus utraque, ventrem
Sapphiri rutilans lumine velat ebur.
Candida marmoreas imitantur crura columnas,
Quas auro fultas nobiliore vides.
Illius adſpectus, croceos dum fundit odores,
Æmulus eſt Libano cedriferiſque jugis.
Stillat ab ore favos, dulces è corpore toto
Blanditias ſpirat, deliciaſque meras.
Nobilis O Solymæ proles generoſa puellæ!
Hic tacitâ torret pectora noſtra face.

CAP. VI.

VIRGINES.

INter formoſas O formoſiſſima, monſtra
Quo tuus hic à te fugerit ales Amor:
Utque tuum tecum jam veſtigemus amantem,
Dic age quam fugiens carpſerit ille viam.

SPON

SPONSA.

Venit in areolas horti meus Ignis odoras,
Inter ut has paſcens lilia verna legat.
Hic mihi ſe vovit, conjux ego debeor illi,
Lilia cui ſurgunt inter amœna dapes.

SPONSUS.

Tu Tirzæ, Solymes tu formæ dotibus æquas
Tecta, nec eſt acies ſtructa timenda magis.
Lumina flecte retro, mea lux, ego vincor ab illis;
Vincor, & obtutu maceror uſque tuo.
Vellera cæſaries ſuperat, quæ lucida geſtat
In Gileadæis paſta capella jugis.
Sunt poſiti dentes, liquidi ceu fontis ab undis
Cum tonſi redeunt in nova prata greges.
Candor ineſt niveus, partu fœcunda gemello
Haud aliter loto vellere lucet ovis.
Tempora puniceis rutilant circumflua cirris,
Poma velut granis nobilitata rubris.
Huic ter viginti Reginas, Regis amicas
Huic decies octo nobilis aula fovet.
Turba puellaris numero non clauditur, una
Sed mea, ſi confers, labe Columba vacat:
Sola nitet multis è millibus, unica proles,
Speſque genitricis deliciumque ſuæ.
Hanc ubi viderunt, nimium dixere beatam
Virgineuſque chorus, lacteolæque nurus.
Laudavere thori ſociæ regalis amicæ,
Et quotquot Regi conſeruere latus.
Quæ tibi cenſenda eſt, radios quam cernis Eoos,
Et lunæ & ſolis dulce referre jubar?
Cui datur hoſtiles acies terrere, virorum
Ut cum ſub ſignis ſtat clypeata ſeges.

SPONSA.

Qui mihi florebat pomis felicibus hortum
Inviſi, & valles fertilitate pares:

Anxia

Anxia diſquiro num forſan vinea gemmis,
Num vireat malus punica flore novo.
Huc ego rapta fui ſine ſenſu, paſſibus æquans
Nobilium rapidas alipedeſque rotas.

HIEROSOLYMITANA.

Sacra redi, Solymæa redi, veſtigia Virgo
Flecte retro, reducis da celer ore frui.

SPONSA.

Dic, quid in hac ſpectes? In te, Solymæa, cohortes
Et numerum geminæ vimque phalangis habes.

CAP. VII.

HIEROSOLYMITANA.

QUàm tibi formoſæ ſunt proles regia plantæ!
Quàm mollis niveos velat aluta pedes!
Dædala compages femorum, flexuraque crurum
Artificis imitat nobilioris opus.
Ventris apex medius cyatho par nectare pleno eſt,
Quem torno poliit dextra perita levi.
Ipſe refert venter tritici florentis acervum,
Candida quem circum lilia fundit humus.
Hinnuleos mammæ geminos imitantur, eburnæ
Turris & in morem lactea colla nitent.
Sic oculi radiant, populoſæ proxima portæ
Ut ſolet Heſibonæ piſcibus unda frequens.
Naſus odorſferæ Libani par obtigit arci,
Alta Damaſcenam quæ propè cernit humum.
Vértice fers coccum, fulgent tibi murice vittæ;
Rexque tuo ſemper figitur ipſe lari.
Quàm formoſa mihi, quàm tu mellita videris!
Deliciis animum quàm tuus implet amor!
Corporis electæ tibi forma ſimillima palmæ eſt,
Multaque candidulos purpurat uva ſinus.
Cara mihi, dixi, ſcandetur palma lacertis,
Illius amplectar brachia panda meis.

Pec-

ectora purpurei pingent dilecta racemi,
Spirabunt nares roſcida mala tuæ.
ectare lingua madet, cor hoc perfundit amantis;
Dat liquor hic voces fundere more ſenis.

SPONSA.

e meus ignis habet, mens ſe mea mancipat illi,
Illius & noſtri pectus amore calet.
unc ades, ô dilecte mihi! jam rura petamus,
In villis mecum, lux mea! fige larem.
urge ſub auroram; num trudat germina vitis,
Punica vel malus, me comitante, vide.
ic ego laſſa tuo ſubſternam brachia collo,
Inter & amplexus oſcula pacta dabo.
a tibi mandragoris thalami ſparguntur odoris,
Et cingunt nitidas florea ſerta fores.
unt antiqua mihi, nova ſunt bellaria, dulces
Quas tibi ſepoſui, ſunt mihi mille dapes.

CAP. VIII.

SPONSA.

) Utinam fratrem favor indulſiſſet olympi
Te mihi, lactaſſet mater & una duos!
um foris invento tibi quæ decet oſcula ferrem
Blanda, nec opprobrium gentis, ut ante, forem.
ie duce tecta meæ ſubiens genitricis odoros
Intrabis thalamos, & documenta dabis.
ic tibi vitigenus conditus odoribus humor,
Malaque quem fundunt punica, potus erit.
e meus accipiet gremio vir, colla ſiniſtra
Fulciet, amplexus dextera mille dabit.
s ego dilectæ Solymes adjuro puellæ,
Ne qua tori ſocium ſuſcitet ante diem.
æ rogo, qualis erat, quæ per deſerta locorum
Nixa tuis humeris eſt tibi facta comes?
mus erat, memini, ſub qua tu tactus amore es,
Sub qua te gravis eſt pondere facta parens.
ſere me dextræ, quam diligis, imprime cordi;
Fœderis hoc noſtri geſtet & illa notas.

Omnia vincit amor, lethoque ſimillimus ipſe eſt,
Nec tumulus crudæ plus feritatis habet.
Illius undantes æquant incendia flammas;
Ipſaque cœleſti fulmina torta manu.
Ignibus his lymphæ fruſtra quærentur; amoris,
Crede mihi, nullis flamma domatur aquis.
Ridet amor gazas, ipſum quoque deſpicit aurum,
Et quaſcunque manus parca coegit opes.
Parva ſoror nobis nondum matura marito eſt,
Et nondum teretes intumuere ſinus:
Si quis erit juvenum qui poſcat jungere tædas,
Dic quibus hanc ſtudiis, quâve juvemus ope.

SPONSUS.

Si mihi firma manet muri ſoror inſtar aheni,
Eſtque velut toto janua poſte patens;
Urbs manibus fabricata meis argentea ſurget,
Surget odoratâ janua firma cedro.

SOROR SPONSÆ.

Par ego ſum muro, geminæ ſunt æmula turri
Ubera, quæ, memini, perplacuere tibi.

SPONSUS.

Ruris in aprici Solomonis vinea campo
Floret, & innumero palmite veſtit humum.
Illius eſt famulis cuſtodia credita, nummos
Mille ſolet domino pendere quiſque ſuo.
Me mea cuſtodem nacta eſt, mihi ſervit & uni
Vinea, meque ſuâ fertilitate beat.
Mille tibi, Solomon! tua ſolvit vinea nummos;
Bis centum famuli ſed tamen inde metunt.
Hortorum quæ ſepta colis, tua verba ſodales
Auſcultant, aures tu quoque tunde meas.

SPONSA.

Par capreis cerviſque fugam, Dilecte! capeſſe;
Montis odoriferi culmina ſumma pete.

Cant

Cantica Evangelica.

ARCTURO JONSTONO Interprete.

SALUTATIO ANGELICA.

Ave Maria.

SAlve, Cœlicolûm Virgo cariſſima Regi,
Et cœli cumulata bonis! Tu Numine plena
am frueris præſente Deo. Tanto hoſpite felix,
irginibus reliquis & matre beatior omni es.
e trepida: placido te vidit lumine rerum
onditor. Ecce tuo conceptam ſemine prolem
irgo feres utero, Natumque puerpera fauſtis
ixibus in dias emittes luminis auras.
ui tibi, nec vano titulo, dicetur IESUS.
iribus immenſis & majeſtate coruſcâ
ſtruet hunc mundi genitor, prolemque ſupremi
mnis agnoſcent ſuperûm domus, æquora, tellus.
avidis huic ſolium patris & regalia Judæ
:eptra dabit Dominus, quæ nec dolus auferet ullus,
ec furor hoſtilis, nec quod terit omnia tempus.
irginis in gremium labetur ab æthere ſummo
iritus, & ſacrâ dum lambet viſcera flammâ,
e patris umbrabit virtus, cui ſubjacet æther,
t duraturâ faciet de virgine matrem.
rgò tuo ſacrum ſurgens de ſemine germen
udiet ætherei proles germana parentis.
ece tui conſors generis, nunc obſita canis,
lec fœcunda priùs, prægnans ſibi ſentit Eliza
tumuiſſe ſinus. Ex illo plena nitoris
is ter luna fuit, bis ter jubar abſtulit orbi.

Scilicet auctori rerum ſuprema poteſtas,
Et manus omnipotens eſt, & ſine limite vires.

CANTICUM ELIZABETHÆ.

Benedicta tu.

VIrginei regina chori, collata puellis
Quæ reliquis, quas ſol oriens, quas adſpicit, und
Cum ſubit Heſperias, felicior omnibus una es.
Scilicet hic, utero quem fers, quoſcunque beatos
Vel cœlum vel terra vocat, ſupereminet omnes.
Unde mihi tam rarus honos? Me viſere mater
Cur Domini, totus mecum cui ſupplicat orbis,
Suſtinet, exiguos non dedignata penates?
Ecce ſalutantis ſimul ac mihi perculit aures
Enthea vox, nondum conſpecto lumine, fœtus,
Quo mihi nunc uterus turget, mirabile dictu!
Subſiliit, tacito teſtatus gaudia plauſu.
O felix nimium ſacris quæ vocibus ultrò
Credidit! Eventus Domini promiſſa ſequetur.

CANTICUM B. MARIÆ ſemper Virgini

Magnificat.

HUnc ego, cui Domino paret domus ardua cœli,
Et cœlo quodcunque ſubeſt, de pectoris imo
Grandibus attollo titulis, & ſpiritus intus
Exſultat naſcente Deo, quo pendet ab uno
Noſtra ſalus, humilem placido qui lumine ſervam
Millibus è multis ſupera deſpexit ab aula.
En me cuncta dehinc felicem terque quaterque
Secla canent: ſiquidem cui pollens robore dextra eſt,
Et ſacra majeſtas, genitor me deſuper umbrans,
Perfecit, quæ terra ſimul miratur & æther.
Hunc amor, auratis perpes clementia pennis
Hunc ſequitur, gremioque fovet pietatis alumnos.
Inclita fulmineæ nemo miracula dextræ
Non ſtupet. Elato ſpirantes grandia faſtu
Ille manu forti latè diſperſit, & auris
Vota rapi juſſit, volucri ludibria cœlo.

aludatos & ovantes murice reges
us invictis ſolio detruſit avito,
bus exutos. Humiles è pulvere vili
lit, & ſolidis velavit tempora gemmis.
bonis ſaturans inopis jejunia plebis,
is eluſit ſpes, & dimiſit inanes
quibus Eois undabant atria gazis.
len famulum præſtanti robore dextræ
it, & fulcit, pacti teſtatus amoris
emorem, liquido dum cingitur æthere tellus.
proavis, Abrahæque patri, ſoboliquæ, ſuprema
egit imperio terras, promiſſa reliquit.

CANTICUM ZACHARIÆ.

Benedictus.

udibus Iſacidûm celebra Dominumque Deumque,
lle ſuum populum, delapſus ab ætheris aula,
& infeſti medio de gurgite lethi
it ovans, pretio pro libertate ſoluto.
lis ille domum nati miſeratus in altum
it, & populis hinc juſſit ſurgere vitæ
tis auctorem, validæ qui robore dextræ
: afflictos, tumidos & dejicit hoſtes.
vatum numeroſa cohors, præſaga futuri
et, à prima prædixit origine mundi.
e tempus ait, quo nos hoſtilibus armis
ret qui cuncta poteſt, quo patribus arrham
eret & patrii monumentum inſigne favoris.
ue palam faceret memorem ſe vivere ſancti
ris & fidei, jurato numine, patri
n dedit Abramo. Venturi præſcius ævi
ter æthereus facturum dixit, ut olim,
bus edomitis, cultor pietatis & æqui
ue foret, ſuperûmque patri, dominoque litaret
idus, liquidâ lucis dum veſcitur aurâ.
uoque, parve puer! Vates dicêre ſupremi
inis; auctori vitæ tu prævius ibis,
rnes quod carpet iter, populumque docebis,
per afflatus, nullam ſperare ſalutem,
ina ni tollat ſuperi clementia regis.

Illa ſalutiferum demittet ab æthere ſidus,
Unde diem, lucemque trahet quicunque tenebris
Mergitur, & vitam lethi traducit in umbra.
Hoc jubar erranti greſſus reget; otia terris
Ut ferat, hoc niveis ſequitur pax aurea pennis.

CANTICUM SIMEONIS.

Nunc dimittis.

NUnc famulum, Pater alme! tuum dimittis, & a
Pace beas capulo vicinum, fœderis icti
Pollicitique memor. Jam cernunt lumina vitæ
Præſidium columenque meæ, fontemque ſalutis,
Quem mecum populis ſpectandum mille dediſti.
Viſa mihi lux eſt, roſeo quæ ſolis ab ortu,
Solis ad occaſum rutilat; caligine pulsâ,
His oculis conſpecta mihi eſt nova gloria lectæ
Gentis, & immotæ decus immortale Sionis.

HYMNUS S. S. AMBROSII & AUGUSTIN

Te Deum.

TE ſuper aſtra Deum vehimus, Dominumque fatem
Te ſolis quæcunque jubar ſub fornice cœli
Adſpicit, æternum veneratur terra parentem.
Grex ſacer, auratis qui pervolat æthera pennis,
Imperio nutuque tuo, ſupremaque mundi
Templa tuâ cælata manu, cœlique poteſtas
Omnis, & igne micans acies, & lucidus ordo,
Agminis aligeri princeps tibi, maxime rerum!
Jugiter acclamant, ter ſanctum voce canorâ
Ingeminant, unumque Deum, Dominumque ſalutant
Qui regis imperio terras, belloque triumphas.
Se tua majeſtas latè diffundit, & orbem
Occupat immenſum, radiiſque micantibus implet.
Te chorus illuſtris procerum, quos omnibus oris,
Omnibus & populis bifidis nova fœdera linguis
Pandere juſſiſti: Divinis inclita vatum
Agmina te celebrant titulis: exercitus ingens
canit Heroum, pro te qui ſanguine fuſo

Cla

ımphalis meruerunt præmia palmæ.
ɔhors totum latè diffuſa per orbem
n agnoſcit, majeſtatemque ſupremam,
quæ nullo, nulliſque coercita metis,
cœlique plagas ſupereminet omnes.
l CHRISTUM te natum patre fatetur,
les cum vera DEI ſit & unica proles,
itore minor, toti venerabilis orbi eſt.
oque quem pariter ſpirant Natuſque, Paterque,
UM credit, ſacris præcordia flammis
& dubiis adfert ſolatia rebus.
:! manu qui ſceptra tenes & luce coruſcâ
æterno proles æquæva parenti,
s ora viri pro libertate tuorum
s, famulæ ſubiiſti viſcera matris,
lignatus luteâ te claudere teſtâ.
u lethi fregiſti ſpicula, cœli
que feciſti patulas credentibus arces :
s ad dextram, magni genitoris amictus
:des ; judex hinc & venturus in orbem
, aligeris cœli ſtipatus alumnis.
is fer opem famulis, è carcere ſanguis
us exemit, puro pretioſior auro.
da luce frui, cœlique beatis
adſcribi, vitæ qui puriter actæ
ceperunt : populum tibi fœdere junctum
Cœlicolûm rex, & felicibus auris
æternùm gens quæ tibi dicitur heres.
ıa ſecuram duc per veſtigia, dumque
nanent ſuperûm, titulis & honoribus auge.
cohors jugi te tollit carmine, ſacris
merum numeris, nec tempora ponimus hymnis.
ades, cuſtoſque gregis : da ducere lætis,
ıimur, ſine labe diem : miſerere tuorum.
regis electi bonitas tua paſſibus æquis
humum linquens, ſpes te mea reſpiçit unum.
ɔta ſolis erit, dum luna perambulat orbem,
;o te Domino, non te confundar amico.

SYM-

SYMBOLUM APOSTOLORUM.

FIdo DEO Patri, rerum cui ſumma poteſtas;
Qui terram è nihilo finxit & aſtra poli.
Fido DEI Nato, populum qui ſervat, olivæ
Tempora cui ſacro rore perundta nitent:
Unica qui patris eſt proles; quem poplite flexo,
Pectore devoto quem veneramur herum:
Quem gravis arcanâ Divini Flaminis aurâ
Enixa eſt ſocii neſcia virgo tori:
Judice ſub Latio qui paſſus in arbore vitam
Exuit, & tractus de cruce merſus humo eſt:
Tartara mox ſubiit; lux tertia reddidit orbi;
Morte triumphatâ carpſit in aſtra viam.
Aſſidet hic dextræ magni patris; inde redibit,
Judicet ut vivos, quoſque recondit humus.
Fido DEO, cum prole pater quem ſpirat: Ubique
Eſſe pios credo, quos regit una fides.
Et fore delictis veniam, redivivaque credo
Corpora perpetuis perfruitura bonis.

ORATIO DOMINICA.

MAgne Pater! cœli qui cingis & incolis arces,
Te ſanctum geminus prædicet orbis apex.
Sceptra manu geſtans, ſolium conſcende, tuiſque
Pareat imperiis æmula terra poli.
Da bona, quæ recreent hodie, dextrâque benignâ
Alme parens! omni ſuffice luce dapes.
Da veniam nobis, aliis quos parcere cernis;
Nec tenta nimium, ſed mala pelle bonus.
Te penes imperium eſt, nulliſque potentia metis,
Temporis & nullo limite clauſus honos.

DECALOGUS.

ME ſolum venerare Deum, nec ſculpe quod ores;
Impia nec vox ſit: luce quieſce ſacrâ.
Majores reverenter habe, nec ſanguine dextram
Infice, nec ſancti pollue jura tori.
Pura manus furti, ſit falſi neſcia lingua:
Nullius optetur verna, marita, pecus.

FINIS.

CANTICI
SOLOMONIS

Paraphraſis gemina ;

rior vario Carminum genere, altera
Sapphicis Verſibus perſcripta.

uctore JOANNE KERRO, Humaniorum
Literarum in Academia EDINBURGENA
Profeſſore.

EDITIO ALTERA.

Nobiliſſimo & ornatiſſimo Juveni,

ROBERTO Marchioni de BOWMONT, Baroni & Comiti KER de WAKEFIELD;

Illuſtriſſimi & potentiſſimi Principis,

JOANNIS Ducis de ROXBURGH, &c. *Filio unico, ac maximo Parente dignissimo.*

INclita KERRORUM proles! ſpes unica gentis
Eximiæ, eximii vera & imago Patris!
Dotibus egregiis qui fulges mentis & oris,
Cui comites *Charites*, grataque *Suada* favet;
Accipe quæ quondam cecinit præclarus opimæ
Rex Solymæ, Hebræis carmina culta modis;
Quæ tibi præbemus cultu velata Latino,
Quem dedit Arctoi bruma rigorque ſoli.
Prædicat hîc mirus cœleſtes Sponſus amores,
Pandit & ipſa ſuas nupta ſororque faces.
Hîc, niſi quod noſtrum eſt, nil non pretioſius aurō;
Lac nive candidius, mellaque flava fluunt;
Cuncta nitent gemmis; halantes undique ſurgun[t]
Nardus, myrrha, crocus, lilia, cura, roſæ.

Jo. KER-

Cantabri

Cantici Solomonis

PARAPHRASIS:

CAP. I.

Vers. 1 NObile carmen habes, meritò cui Cantica cedant
Omnia; Davididæ nobile Regis opus.

SPONSA.

Suaviolum roſeis Dilectus dulce labellis
Det meus ille mihi, facilis det ſuavia mille:
Vincit amor latices tuus, ô mea Vita! Lyæos.
Halitus unguentis redolens dimanat odoris,
Ambroſiæ ſuccos redolens; ipſum quoque Nomen,
Unguen ut effuſum, liquidos diffundit odores:
Caſtâ depereunt niveæ te mente puellæ.
Me trahe, virgineis pernix comitata choreis
Inſequar: in thalamos duxit me Rex meus ipſe,
Ipſe ſuâ dextrâ; Regi Pæana canemus
Nos hilares lætum noſtro; præcordia fibris
Exſilient tremulis; non reddent vina ſaporem,
Qualem dulcè mei ſpirantes Regis amores.
His animi rectis ſuccendis pectora flammis.

5 Nigra ego ſum vultum, Solymæ generoſa pro
Ore venuſta tamen; pelles ego Kedaris atras,
Aſt ſimul auratos Solomonis reddo tapetas.
6 In me ne fuſcam defixæ lumina ſtetis;
In me, quam rapidi torret violentia ſolis,
Quamque ſuis retinens vinetis, acta furore,
Indecore excandens irâ, materna propago
Exercet multum, duriſque laboribus urget;
Quam colo divinâ propriam dum vinea ſorte,
Me miſeram! ſpiſſis dumetis obſita ſqualet.
7 Pinguia quæ teneant te paſcua, dic mihi? mon
Quâ tuus, ô mea Lux! grex erret valle reduc
Sole ſub ardenti medios declinet & æſtus?
Cur vager alterius tremulis ego devia fibris
Ad caulas? miſera ah! quî teque gregeſq; relinq

SPONSUS.

8 Hoc te ſi fugiat, rerum dulciſſima! greſſus
I preme formoſi pecoris, pecoriſque magiſtros
Veſtigans, horum ad magalia paſce capellas.
9 Haud minus, eximium decus ô Dilecta! refu
Auratis rutilans phaleris ac fulget in oris
Niliacis ſonipes, cum percutit ungula campu
10 Quique genas decorant, nitidi fulgore lapilli
Perſtringunt oculos; renitentque monilia coll
11 Dædala fingemus tibi, Virgo! munera; inaur
Auri ſquallentes maculis rutilantis, & aptè
Argenti niveis diſtinctas undique ſquamis.

SPONSA.

12 Ipſe ſuis dum Rex epulis accumbit opimis,
Dat mea mellifluos ubertim nardus odores.
13 Myrrheus ut faſcis, gremio geſtarier aptus,
Eſt mihi Dilectus; gremio de nocte recumbe
14 Pinguis ut Engaddi vinetis cyprus amœnis
Fragrat odora; bonos ſic dat meus Ignis odor

SPONSUS.

15 Qualis te rutilans nitor? ô quàm mira venuſt

Te circumvolitat, mea Lux! Tibi lumina fulgent,
Qualia candidulis perpulcrâ luce columbis.

SPONSA.

16 Te, Dilecte mihi, nihil eſt formoſius: aurea
Nobis ſponda viret, conſperſo flore roſarum.
17 Ædibus in noſtris, cedro tabulata perenni
Stant, & odoratâ renitent laquearia brutâ.

CAP. II.

SPONSUS.

1 SUm roſa Saronis pulcerrima, ſuavè rubeſcens:
Lilia concedant vallibus orta mihi.
2 Candida prælucent incultis lilia ſpinis,
Sic mea virgineis dulcis Amica choris.

SPONSA.

3 Qui mihi Dilectus juvenes ſupereminet omnes
Egregios, humiles malus ut alma rubos:
Lætitia exſiliens dulci confido ſub umbra
Illius; hîc recubans dulcia poma lego.
4 Devehor in dulcis fœcundas nectaris ædes,
Hoc duce; vexillum tenditur ales amor.
5 Me recreent hilares cyathi; me roſcida mala
Exhilarent: languens carpitur igne jecur.
6 Ægræ, læva manus, collum mihi fulcit Amici;
Meque ſinu amplexam dextera mollè fovet.
7 Vos per ego capreas, cervos & ruris alumnos,
Progenies Solymæ nobilis, oro, ſacræ;
Ne qua tori ſocium dulces abrumpere ſomnos
Cogat: ne ſtrepitus ſuſcitet, oro, malus.
8 Suavis io! noſtras Dilecti vox quatit aures:
Collibus inſultat, tranſilit ecce juga.
9 Hinnuleo ſimilis celeri, capreæque volucri,
Præpetibus pennis huc volat ales Amor:
Effulgens nimbo jam noſtras attigit ædes,
En! per cancellos lucidus ille micat.

10 Dein

10 Dein mihi Dilectus vultu me affatur amico,
Verbaque ſuaviloquâ talia voce refert:
Surge, veni mecum, rerum pulcerrima! noſtræ
Altera pars animæ, Lux mea cara, veni.
11 En! jam fugit hiems nimboſis fœta procellis,
Fugit & effuſis turbidus imber aquis.
12 Flore viret tellus, volucres nunc æra cantu
Demulcent, caſtus turtur ubique gemit.
13 Jam baccas ficus, jam læto palmite gemmas
Protrudit vitis: ridet & omnis ager.
Surge, veni mecum, rerum pulcerrima! noſtræ
Altera pars animæ, Lux mea cara, veni.
14 Caſta columba petræ fiſſuris atque latebris
Hærens, fac vultus lumina noſtra beet.
Aure bibam vocem: nihil hâc eſt ſuavius, illo
Candidius nihil eſt. Te dato, pulcra, frui.
15 Cum catulis vulpes prendantur, dentibus uvas
Qui rodunt: tenero vinea flore tumet.
16 Me ſibi Dilectus propriam tenet; hunc ego jure
Vendico, cui juxta lilia cana dapes.
17 Dum ducat rutilum croceis Aurora quadrigis
Vecta diem; greſſus, Lux mea, flecte retro:
Hinnuleo ſimilis celeri, capreæque volucri,
Betheris exſuperans ardua, carpe viam.

CAP. III.

SPONSA.

1 NOctis per tenebras dum cubui toro
Arcanas, animæ dimidium meæ
Quæſivi, latitans ſicubi falleret;
Averſus dederat terga fugæ ſuæ.
2 Artus excutiam nunc ego languidos
Stratis, pervolitans ociùs oppidum,
Vicos & plateas ſedulò quæritans
Luſtrabo, lateant ſicubi Gaudia:
Luſtravi miſera, ah! Carpſerat is viam.
3 Tum me repperiunt, curſito dum vaga,
Nocturni vigiles: quærito an uſpiam
Factus qui mea Lux, fortè ſit obviam?

4 Greſſi

ireſſus promoveo non procul hinc, mihi eſt
'iſum præſidium & dulce decus meum,
rênſum detinui, brachia brachiis
loſtris implicui, matris is intimas
Edes & thalamos, is thalamos ubi
.uras æthereas primitùs hauſimus,
ætâ ſupra modum me ſubiit duce.
er cervos ego vos oro, Sionides!
er ruris celeres obſecro capreas,
le quivis ſtrepitus ſuſcitet unicè
)ilectum mihi; nunc ad libitum ſuâ
er vos ſit requie fas placidâ frui,

HIEROSOLYMITANÆ.

uænam tendit iter per loca devia,
iceſſu deceat qui benè Principem,
xundans globulis undique fumeis?
Myrrhæ cui redolet plurima copia,
'uris fumifici, mercium & omnium,
)uas dat dives Arabs collibus è ſuis.

SPONSA.

n, quo Rex Solomon membra levat ſua,
ectum Sidonio murice ſplendidum!
ircà hunc excubias, robore qui valent,
iceni ter agunt, Iſacidæ incliti.
)octus militiæ quiſque vibrat ſuum
nſem fulmineum, prævalidâ manu;
.ccinctum femori ſtat quoque ſingulis
errum, nocte metus quod procul arceat.
cedris Libani condidit, artifex
)ivinus, Solomon Rex ſibi nobilem
ecticam: radiant fulcra adamantina
.rgento ſolido, ſellaque laminis
.uri ſtat rutilans, velaque purpurâ
plendeſcunt, medio ſtrata patet via
latabus Solymæ, nomine Caritas.
inquentes properè tecta, Sionides!
unc prodite foras, Rex plateas obit
uguſtus Solomon: en! diademate

Fulget

Fulget conſpicuus tempora gemmeo,
Ipſi quo genitrix impediit comas,
Sponſam legitimis quo tabulis die
Junxit, lætitiâ pectus & intimâ
Perfuſum trepidis exſiliit fibris.

CAP. IV.

SPONSUS.

1 O Quantum decus enitet
Vultu lacteolo, Lux mea candida?
O qualis nitor aureus
Te circumvolitat, ſidereâ face?
Collucent oculi tibi,
Caſto ut pulcra nitent lumina turturi.
Crines purpurei tui
Caprarum referunt vellera lucida,
Quas cernas placido grege
Errantes Giladis rupibus arduis.
2 Dentes candiduli bonâ
Inſtructi ſerie, dant ſpeciem levi
Tonſarum pecudum manu,
Lotarum liquidi gurgite fluminis,
Quarum cuique gemellus eſt
Partus, nec ſteriles ullæ in iis gemunt.
3 Labris, quæ rutilant tibi
Ceu filum dibaphum, ſermo decens fluit:
Flavâ tempora præ comâ
Ut mali renitent fragmina punici.
4 Turrim Davidis ardua
Sublimem ſimulant colla; ducum micant
Hîc umbonibus æreis
Milleni clypei, ſcuta potentium,
5 Mammæ lacteolæ duo
Silveſtris referunt hinnuleos leves
Capræ, qui gemini ſimul
Errant ad nitidis lilia floribus.
6 Dum ducat rutilum diem
Quadrigis croceis vecta per æthera
Aurora, & jubar aureum

Nocturnas tenebras diffipet à polo;
Montis pinguia myrrhei
Pennis præpetibus deferar in juga,
In clivos citus uberes
Collis turiferi corripiam gradus.
7 Toto corpore candida,
Reſplendes, animæ dimidium meæ;
Gemmis purior omnibus;
Omni labe vacas integra tu mea.
8 Mecum de Libano veni;
Mecum de Libani cedriferi jugis;
Conſors cara tori mea;
Amanæ è placido vertice floridæ,
Summo è Senire proſpice,
Hermoniſque jugis: deſpice de cavis
Spelæis, ubi delitet
Pardus fulmineus; queiſque latet leo.
9 Cor mî, nupta, ſororcula,
Abreptum retines; cor mihi ſurripis
Ictu luminis unius,
Cervicis nitidæ torque vel unico.
10 O quàm dulcè ſapit mihi
Is divinus amor, qui fluit è tui
Antris pectoris enthei?
Quàm multo exſuperat nectarei meri
Prædulces cyathos? tuis
Unguentis odor eſt, qualis aromatum.
11 Dulces, Sponſa, favos labra
Stillant: lac niveum, mellaque roſcida
Linguam ſuaviter irrigant;
Exſpirat Libani veſtis & halitus.
12 Hortus ſepibus obſitus
Es tu, nupta, ſoror; fonſque ſcaturiens
Quem ſignacula muniunt;
Lymphæ tu reſeras lene caput ſacræ.
13 Te pomaria punicis
Malis nobilitant; fructibus optimis
Plantæ omnes redolent tibi:
Surgit nardus olens, cyprus & optima.
14 Nardi copia naſcitur
Ingens, auricomans gignitur hîc crocus,
Et ſuavis calamus, bona

Stacten dant liquidam cinnama; ramulos,
Quos Panchaia protulit,
Flavo hîc conſpicias ture graveſcere:
Halat myrrhea lacrima,
Splendens ac aloe; fundit & halitus
Dulces quicquid aromatum
Dives mittit Arabs collibus è ſuis.
15 Pelluces vitreis aquis
Vivorum laticum fons ſacer, irrigans
Hortorum, ô mea Candida!
Halantes croceis floribus areas:
E quo rivulus aureus
Leni de Libano murmure perſtrepit.

SPONSA.

16 Fortis flamina ſuſcitans
Adſpira, Borea! diſcute nubila;
Alis & madidis, Note!
Auris pervolita lenibus hortulum:
Sic manabit aromatis
Noſtris ſuavis odor: corripiat gradus
Dilectus meus in ſuos
Hortos, ambroſias carpat & hinc dapes.

CAP. V.

SPONSUS.

DEveni in proprium, cara Soror mea,
Conſors cara tori, jam celer hortulum;
Fragrantes lacrimæ ſunt mihi myrrheæ
Collectæ, & bona aromata:
Jam paſcor liquido melle meo, favos
Sugo mellifluos, lac niveum bibo,
Spumantes pateras nectarei meri
Felix haurio ſuaviter:
Gens dilecta mihi, cui faveo unicè,
Adſis huc, epulas ambroſias cape,
Fœcundos cyathos nectaris, hîc ſcyphos
Mecum nectaris ebibe.

SPO

SPONSA.

Somnus membra premit, mens vigilat tamen:
Dilecti patulas vox mihi percutit
Aures, Pande fores, & Soror & simul
Conjunx, casta columbula;
Omni labe vacans, pande mihi mea:
Perfusum gelido rore caput vide,
Nocturnis pluviis purpureæ madent
Sub dio mihi jam comæ.
Cui tunc deses ego, Quî mihi quod modò
Velamen posui accingere nunc queam?
Deturpare pedes quî valeam, benè
Lotos, spurcitie nigrâ.
Per rimam tenuem, qui face torridâ
Urit lenta mihi pectora, dexteram
Immisit, fremitus tum mea conciit
Motu viscera turbido.
Stratis excutior protinus ut fores
Dilecto referem, de manibus meis
Stillat myrrha fragrans, roreque myrrheo
Exundant digiti & sera.
Dilecto, objicibus (nec mora) singulis
Dimotis, patulas reddo fores meo;
Pennis aufugiens, me miseram! citis,
Pernix carpserat is viam.
Dum tundebat Amor voce suâ meas
Aures, me tenuit torpidus, ah! stupor;
Hunc quærens vocito, non tamen est mihi
Visus, vox cadit irrita.
Tum me repperiunt excubiæ vagam
Noctu; dira cohors verbera, vulnera,
Infandum! geminant; flammeum & auferunt
Muris quæ manus excubat.
Vos ego, Solymæ nobilis incolæ!
Adjuro, volitet si meus huc Amor,
Illi languidulum dicite cor meum
Flammam pascere non levem.

HIEROSOLYMITANÆ.

9 Qualis præ reliquis (quamsumus) hic tibi
Dilectus, superans candida candidas?
Qualis præ reliquis? dic age, fervida
Quum nos talibus urgeas.

SPONSA.

10 Dilecto niveus candor inest meo,
Commistusque rubor murice pulcriùs
Ardens Sidonio; signifer obtinet
Primas millibus in decem.
11 Auro, flamma coquens septima quod probat,
Splendescens rutilat purius huic caput:
Crispatur refuga & cæsaries, nitens
Plumis corvus uti nigris.
12 Purâ ceu niveis luce columbulis
Collucent oculi, flumine lacteo
Eluti, nitidis orbibus insiti,
Perpulcri huic oculi nitent.
13 Maxillæ referunt floribus areas
Halantes croceis: illius & labra
Exsudant lacrimas suavia myrrheas,
Puris æmula liliis.
14 Berylli digitos orbibus aureis
Innexi decorant: pingit & ipsius,
Sapphiris rutilans undique lucidis,
Ventrem candor eburneus.
15 Pilas è solido marmore, quæ pede
Aurêo stant nitidæ, crura decentia
Æquant: par Libani cedriferi jugis,
Vultus floridulus viget.
16 Oris purpurei maxima suavitas,
Succos ambrosiæ, nectaris & scyphos
Dulces exsuperat: totus amabilis,
Totus deliciis fluit.
Nobis igne jecur qui face torridâ
Urit languidulum jugiter hic Amor;
O proles Solymæ nobilis inclitæ!
Nobis hic favet unicè,

CAP. VI.

HIEROSOLYMITANÆ.

1 QUonam carpſit iter, præpete quò tuus
Pennâ fugit Amor? dic age, fœminâ
Pulcrâ pulcrior omni,
Tecum quærere perlubet.

SPONSA.

2 Seſe corripuit præpes in hortuli
Halantes croceis floribus areas,
Hîc ut lilia carpens
Veſcatur dapibus ſuis.
3 Ut me jure ſuam vendicat unicè
Dilectus, proprium ſic mihi vendico
Hunc, qui paſcitur inter
Albis lilia floribus.

SPONSUS.

4 Tu Dilecta mihi dulcis amabilem
Tirzen, tu Solymam turribus inclitam
Æquas: fulgida ſignis
Terrent haud magis agmina.
5 Avertas oculos, ne peream, tuos;
Vincit cæſaries vellera lucida
Caprarum, grege læto
Scandentûm Giladis juga.
6 Tonſus ceu renitet, gurgite fluminis
Lotus, grex ovium, quæ geminos habent
Fœtus, orba nec ulla,
Dentes candiduli nitent.
7 Qui mali rubeis & niveis ſimul
Granis nobilitat fragmina punici,
Ornat tempora, cirros
Inter, puniceus color.

8 Tricenæ numero bis capiant thronum
Reginæ, ſedeant & prope pellices
Octoginta, puellæ
Adſtent queis numerus deeſt.
9 Tum Dilecta mihi prodeat, unica,
Matris deliciæ, curaque maxima,
Alis pura columba
Effulgens niveis, mea:
Felicem hanc reſonans virgineus chorus
Triplex, tergeminis tollet honoribus;
Tollent laude puellæ,
Regalis ſociæ & tori.
10 Aurora ut nitidum quæ caput exſerit?
Sicut luna rubens! ſolis & aurei
Inſtar pura! tremenda
Signis non magis eſt phalanx.
11 Hortos in riguos, caſtaneas nuces
Gignentes, abii, viſere vallium
Plantas flore virentes,
Vites viſere num mihi
12 Florerent teneræ, germina punicæ &
Mali pulcra darent: me rapuit mea
Pernix mens inopinum,
Amminadabis ut rotis.
13 Retro, flecte retro te, Solymiti, te
Retro, flecte retro; da reducis tui
Nobis, tu bona, lætis
Vultum cernere candidum.
Quid quæſo eſt oculis cernere quod datur
In te? tu ſimulas aurea, fulgido
Florentes, Solymiti,
Binas ære phalanges.

CAP. VII.

SPONSUS.

1 QUàm pulcri tibi ſunt pedes alutâ
Velati, egregiæ propago ſtirpis?
Juncturæ femorum arte Dædaleâ
Aptatos imitantur uniones.

Vino nectareo ſcyphum rotundum
Undantem tuus æquat umbilicus:
Flaventis cereris refert acervum
Venter, lilia cana cui reſurgunt.
Mammæ lacteolæ tuæ tumentes
Sunt ceu capreoli duo, gemelli.
Collum candidulum refert eburnam
Turrim: ſiderei nitent ocelli,
Hesbonis liquidæ ut paludis undæ,
Quas piſcis celeri ſecat natatu,
Stipatam ad populo frequente portam:
Naſus ceu Libani ſuperba turris
Exſtat, mœnia quà patent Damaſci.
Pictum coccineo caput refulget
Cono; purpureis comæ relucent
Vittis; & tibi carus ambulacris
Sic Rex illicibus lubens tenetur.
O qualis roſei decor venuſtus
Oris! ſidereo micas nitore.
O Lux deliciis madens! figura
Florenti eſt ſimilis decora palmæ,
Mammæ turgidulis tuæ racemis.
Palmam ſcandere nunc juvat virentem,
Ajebam tacitus: manu recurvos
Ramos floridulos ovans prehendam;
Mammæ turgiduli velut racemi
Vitis pampineæ mihi tumeſcent;
Quales roſcida mala dant odores,
Nares dulcifluos dabunt odores.
Vinum, cui bona cuncta vina cedant,
Nardinum ſapiet tuum palatum;
Vinum quod placidè means ocellos
Paſcit; quod, mea Lux, mihi propinas,
Recludens labra clauſa dormienti.

SPONSA.

Tutatur ſibi propriam dicatam
Ignis me meus; ac amore noſtri
Ipſius penitus calent medullæ.

11 Confer, tu mea Lux, gradus; amœni
Ruris, nunc age, nunc petamus arva:
Ruris floriferi ad cypros odoras
Noctem nos hilares agamus unà.
12 Surgamus rosei ad jubar coruscum
Solis, visere vineas feraces;
Num vites teneræ, videre, flores
Edant purpureos; suis tumescens
Gemmis punicâ malus an virescat:
Te amplexa hîc gremio fovebo molli,
Hîc pactas dabo basiationes.
13 Fundunt mandragoræ suos odores;
Nostris pro foribus dapes recentes
Halant; sunt simul & dapes vetustæ,
Quas, Lux, delicias tibi repono.

CAP. VIII.

SPONSA.

1 BEata plusquam millies
Forem, favente numine,
Ceu frater esses si mihi,
Meæ parentis ubera
Qui suxit: inventum foris
Te brachiis amplecterer,
Te basiarem centies,
Ulli nec inde tommerer.
2 Ædes inibis, me duce,
Meæ parentis, mî tuis
Jussis sacris cor imbues:
Tradente me tu pocula
Lenis falerni, dulcia
Quæ temperant aromata,
Lætus bibes, & limpidos
Mali liquores punici.
3 Fulcit caput mî languidum
Ejus sinistra, me levans;
Mollis fovens me dextera
Dat mille complexus mihi.

41

Adjuro vos, Sionides!
Ne ſuſcitetis unicè
Quem mens amat, fas ſit ſuâ
Per vos quiete perfrui.

HIEROSOLYMITANÆ.

(Quæ per locorum devia,
Spirans odores optimos,
Greſſus decentes fert ſuos
Innixa Dilecto ſuo?)

SPONSA.

Aprica malus ſtat: ſub hac
Te ſuſcitavi; hîc te tua
Enixa mater protulit
Dias in oras luminis.
Tanquam ſigillum me memor
Corde geras ſculptam tuo:
Me geſtet, armillam velut
Pulcram, lacertus candidus.
Mors ſæva cuncta proterit,
Buſtoque condit; ſic Amor
Dirus Cupido & perdomant,
Prunas vomentes igneas.
Multos rotantes vortices
Fluctus aquarum non domant
Amoris ardentes faces;
Nulluſque torrens obruit.
Gazas beatas ædibus
Si quis repoſtas intimis
Oſtentet; has opes Amor
Unius aſſis æſtimat.
Germana nobis parvula eſt,
Cui non tumeſcunt ubera;
Hanc quî juvemus, dic age,
Hæc cum locanda ſit viro?

SPONSUS.

Si murus hæc; argenteum

Vina nos ſupra generoſa, amores
Mente condemus memori tenellos:
Sic tui multo pia corda rectis
Uris amore.

5 Nigra ſum vultum, tamen & decora,
Virgines ſacram Solymam colentes,
Kedaris pelles refero, tapetas
Et Solomonis.

6 Torrido ne me feriant peruſtam
Sole rimantes oculi: malignâ
Sæviens irâ genitricis almæ
Turbida proles,
Vincas cuſtos vigil ut tuerer
Compulit: verum mea, me miſellam!
Vinea agreſtis mihi ſenticetis
Obſita ſqualet.

7 Dic ubi paſcas pecus? in reductâ
Valle quâ, ſolis medios ſub æſtus,
Grex tuus, dic, Lux, recubans opaca
Frigora captet?
Cur greges juxta ſocios vagarer,
Flammeo ſubnigrum adoperta vultum,
Ah! gregum fibris tremulis tuorum
Paſcua linquens?

SPONSUS.

8 Si latet te, ô præ reliquis venuſta!
I gregi pulcro præeunti adhærens,
Septa paſtorum teneras ad alma
Paſce capellas.

9 Non minus fulges, mea Amica, dixi,
Ac jugo junctus ſonipes Pharonis,
Fulgidis terram phaleris opertus
Cum pede pulſat.

10 Luce perſtringunt oculos coruſcâ
Qui genas clari decorant lapilli;
Aurei pulcris tua colla torques
Nexibus ornant.

11 Fimbrias, auro rutilas coruſco,
Levis argenti, Tibi perpolitas

Arte divinâ faciemus aptas
Undique ſquamis.

SPONSA.

Accubat dum Rex epulis onuſtæ
Ipſius menſæ, mea dat fragrantes
Halitus nardus pretioſa, fumos
Mittit odorum,
Faſcis eſt myrrhæ redolentis inſtar
Qui ſuo noſtrum jecur urit igne:
Hic meas inter medius mamillas
Nocte recumbet.
Ceuque vinetis cyprus Engedæis
Intumens baccis redolet marita
Viribus, fragrat mihi qui medullas
Torret amore.

SPONSUS.

Pulcra quàm fulges mea Amica? pulcri
Quàm micas oris radiis? ocelli
Te columbini decorant nitentes
Lumine caſto.

SPONSA.

5 Tu quidem pulcrâ facie, nihilque
Dulcius te mî, mea Vita: nobis
Flore flagranti decorata multo
Sponda vireſcit.
7 Ædium nobis tabulata ſplendent,
Putridam cedro cariem perosâ,
Ac odoratis laqueata brutis
Tecta renident.

CAP. II.

SPONSUS.

1 PUlcra frondeſcens ego ſum Saronis
Floſculis rubris Roſa; Liliumque

Vallibus

Vallibus naſcens, niveo nitori
Quod benè certet.
2 Inter horrentes, veluti reſurgit
Lilium, ſpinas ſtimulis acutis;
Virgines inter niveas Amica
Sic mihi lucet.

SPONSA.

3 Malus agreſtes velut inter omnes
Arbores frondens; juvenes Amicus
Inter eſt noſter, decus hiſce cunctis
Gloria lauſque.
Exſilit pectus mihi dum ſub umbrâ
Hujus adſterno mea membra, dumque
Poma decerpo mihi dulciora
Nectare dulci.
4 In domum duxit dapibus refertam,
Et coronatis cyathis madentem;
Meque vexillo fluitante puri
Texit amoris.
5 Pectus exſultans hilares lagenæ
Fulciant; reddant recreentque languens
Mala cor: mentem mihi carpit ægram
Intima flamma.
6 Meque ſuffulcit capiti ſiniſtra
Subjacens: blando gremio receptam
Me ſuo, amplexu fovet & retentat
Dextera molli.
7 Obſecro vos, ô Solymam colentes
Virgines! cervos per ego paventes,
Capreas & per celeres amœni
Ruris alumnos,
Ne mihi quovis ſtrepitu moleſtæ
Unicè quem mens amat excitetis,
Neve rumpatis placidam quietem,
Dum lubet ipſi.
8 Ecce Dilecti mihi corde toto
Auribus vocem! Superans præaltos
Montium tractus venit, ecce! colles
Tranſilit omnes.

ream curſu celer antevertit
Dilectus meus, aut volucrem
nulum vincit citus: ecce! noſtras
Adſtat ad ædes;
ue ſſbridens mihi per feneſtras
ſpicit; clathros dat & intuendum
per auratos, tenui ſubinde
Luce micantem.
: Dilectus meus eſt locutus,
: ſic vocem dedit, ô Amica
mea, ô pulcras mea Pulcra vincens,
Surge, venito.
! hiems fugit nivium procellis
a, nimboſis rapidiſque ventis
viens: fugit, madidis receſſit
Imber & alis.
ribus tellus variis amicta eſt:
nc aves ramos celebrant amœno
rrulæ cantu; gemituſque reddit
Turtur in agris.
n ſuis ficus tumuere groſſis:
neæ fundunt teneris racemis
litus ſuaves. Mea Amica, Pulcra,
Surge, venito.
nea in petræ ſalebris columba,
ditis hærens graduum latebris,
: tuam cernant faciem, precamur,
Lumina noſtra;
re da lenis faciliſque vocem
uriam: ſuavi tua vox loquela
e dimanat, faciemque pingit
Grata venuſtas.
ſibus vulpes capiantur, unà
lpium pulli quoque, quippe vites
nte qui rodant: teneræ reſurgunt
Vitibus uvæ.
i ſuo noſtrum jecur urit igne
: meus: nec non ego jure ceſſi
timo illi, quem juvat inter alba
Lilia paſci.
m dies vectus rutilis quadrigis
cidum tollat caput, atque fuſca

Avolent

Avolent umbræ, tenebris fugatis
Lumine claro;
Flecte tu, cujus mea mens amore
Flagrat: inſtar ſis capreæ volucris,
Aut levis tanquam hinnuleus pererrans
Betheris alta.

CAP. III.

SPONSA.

1 QUæſii noctu recubans cubili
Unicè quem mens amat: heu! ſupina
Quæſii; inventus mihi ſed miſellæ
Non fuit ille.

2 Pigra quin, inquam, tua membra ſtratis
Excutis? ſurgens cita dehinc per omnes
Urbis anfractus ferar, angiportus
Ilicò & omnes.
Pervolans cunctas plateas, requiram
Unicè quem mens amat: uſque & uſque
Quæſii; inventus mihi ſed miſellæ
Non fuit uſquam.

3 Obviam fiunt mihi pervagantes
Oppidum noctu vigiles: rogavi
Uſpiam an qui lux, mea qui voluptas,
Obvius eſſet.

4 Paululum greſſus dubios ab iſtis
Avoco; tandem mihi qui medullas
Urit, inventus: tenui prehenſum,
Huic & adhæſi,
Donec in lætas genitricis ædes
Læta duxiſſem, thalamoſque in ejus
Parvulam quæ me teneramque fovit
Primitùs alvo.

5 Obſecro vos, ô Solymam colentes
Virgines! cervos per ego paventes,
Capreas & per celeres amœni
Ruris alumnos:
Ne mihi, quovis ſtrepitu moleſtæ,
Unicè quem mens amat excitetis,

Nec

Neve rumpatis placidam quietem,
Dum lubet ipſi.

HIEROSOLYMITANÆ.

Avios quæ per nemorum receſſus
Lucidum hæc tollit caput, atque in aſtra
Fumeæ ſicut liquidum columnæ
Aëra ſcandit?
Suavis exundans redolente myrrha
Halitu, multo quoque fumigata
Ture, quas vendit myropola cunctis
Mercibus aucta!

SPONSA.

En! torum Regis Solomonis altum:
Excubant circum vigiles potentes
Sexies deni, Iſacidæ vigentes
Robore multo;
Fulgidos cuncti gladios vibrantes
Impigri, acris militiæ ſcientes;
Quiſque, nocturnos fuget ut timores,
Cingitur enſem.
Fecit ex ligno Libani ſuperbum
Rex ſibi currum Solomon: columnas
Fecit argenti radiante puri
Luce nitentes:
Aureum fundum, Tyrioque tegmen
Finxit ex oſtro; mediumque ſacræ
Quæ colunt turres Solymæ puellis
Stravit amore.
Tecta linquentes properè, Sionis
Filiæ, Regem Solomona veſtrum
Aureâ quſcum genitrix coronâ
Regia cinxit,
(Quo die Sponſam ſibi per tabellas
Lege ſancitas, propriam dicavit,
Gaudio & cordis micuere fibræ,)
Cernite clarum.

CAP. IV.

SPONSUS.

1 ENitet quantum decus è venuſto
Ore? quàm fulges facie decorâ,
Aureos, dulcis mea Amica, quaſſans
Aurea crines!
Inter & cirros rutilos ocelli
Sunt columbini tibi: Giladæâ in
Rupe caprarum gregis æmulantur
Vellera crines.
2 Grex uti dentes ovium niteſcunt,
Ritè quæ tonſæ redeunt lavacro;
E quibus cunctæ pariunt gemellos,
Orbaque nulla.
3 Labra pinguntur tibi, ceu niteſcens
Splendido filum dibaphum colore:
Coccinis miro fluit è labellis
Sermo lepore.
Fragmen ut mali roſeo rubore
Punici, miſtâ nive quod relucet,
Crinibus præ puniceis retortis
Tempora lucent.
4 Davidis turrem ſimulant ſuperbam
Colla, quæ telis micat: unde mille
Ærei pendent clypei, virorum
Scuta potentum.
5 Sunt tuæ mammæ geminæ, gemelli
Hinnuli tanquam capreæ volucris,
Inter errantes niveo nitore
Lilia pulcra.
6 Dum dies curru celeri peragrans
Aërem, ſpargat roſeum colorem,
Noctis ac umbræ fugiant abactæ
Lumine claro,
Myrrheum in montem ferar, in feracem
Turis & collem citus avolabo:
7 Tota perpulcra es mea Amica, nullâ
Labe notata.

8 De

8 Deveni mecum à Libano referto
Ture fragranti, mea Sponſa cara,
Deveni mecum à Libano; de Amanæ
Vertice ſummo
Proſpice, Hermonis, Seniriſque amœni:
Acrium luſtris quoque de leonum,
Et jugis quæ ſunt benè nota pardis
Pelle notatis.
9 Cor, Soror dulcis, mihi Sponſa cara,
Surripis; cor mî rapis ex ocellis
Unius nictu, nitidique colli
Torque vel uno.
Quàm tui ſuaves mihi ſunt amores,
O Soror dulcis, mea Sponſa? vincunt
Vina; & unguentis odor eſt tuis a-
romata vincens.
Ceu favi ſtillant tua, Lux, labella:
Melle fragranti, niveoque lacte
Lingua perfuſa eſt; Libanique odores
Spirat amictus.
Hortus es ſeptus, Soror atque Sponſa,
Tu ſcaturigo ſalientis undæ
Clauſa, tu fidis ſacer & ſigillis
Fons benè tutus.
Pomifer malis tibi floret hortus
Punicis, plantæ variæ reſurgunt
Fructibus pulcræ: cyprus atque nardus
Suaviter halant.
Hîc ſuos miſcent crocus atque nardus
Halitus dulces, calamuſque ſuavis
Naſcitur multus, liquidamque ſudant
Cinnama ſtacten.
Turei rami, lacrimæque paſſim
Myrrheæ ſpirant, aloëque amara,
Quæque Panchæis veniunt jugis a-
romata cuncta.
Purus hortorum es vitreo colore
Fons, aquis vivis puteus perennis
Qui ſcatet, rivi è Libano fluentes
Flumine puro.

SPONSA.

16 Excita flatus, Aquilo! ſerenos;
Aureis noſtrum, Note! lenis hortum
Pervola pennis; ita ſuavè noſtrum
Spiret aroma.
Conferat greſſus celer ille in hortum
Ipſius, flammâ tacitâ medullas
Qui mihi torret, dapibuſque inemtis
Dulcè fruatur.

CAP. V.

SPONSUS.

1 JAm meum greſſus celeravi in hortum,
O Soror dulcis, mea Sponſa cara!
Myrrheæ jam ſunt lacrimæ, mihique aromata lecta.
Cum favis edi mea mella; purum
Combibi lac, & laticem Lyæum:
Vos dapes lætis animis, Amici!
Sumite lautas.
Vultus hinc rugis tetricus faceſſat,
Ore ſpumantes pateras, Amati!
Ducite, hauſtus nectarei liquoris
Ducite plenos.

SPONSA.

2 Me tenet ſomnus vigilante corde;
Voce Dilectus mihi pulſat aures,
Mî fores duras Soror ô reclude,
O mea Amica,
Cui nitor purus mea Lux, columba
O mea: en! multo caput eſt repletum
Rore; nocturno madidi capilli
Imbre gravantur.
3 Cingar an rurſus, modò quæ recincta?
Anne me exutâ tunicâ reſumtâ

Indu

Induam, & lotas maculabo plantas
Sordibus atris.
Qui ſuo noſtrum jecur urit igne,
Clam manum immiſit mihi per foramen,
Turbido demum fremuere noſtra
Viſcera motu.
Non moras necto ulterius ſupina,
Huic ſed ut quem mens amat obſeratam
Januam poſſum reſerare, ſtrata
Pigra relinquo.
Myrrha guttatim manibus cadebat
De meis; myrrhæ lacrimis madeſcunt
Suavè manantis digiti, ſeræque
Inſuper anſæ.
Tum fores, ruptis, mora nulla, clauſtris
Obditis, reddo patulas Amico:
Sed viam carpens citus avolârat
Præpete pennâ.
Verba dum fecit, mihi mens ſtupebat:
Quæſii, nuſquam mihi ſed repertus
Ille, reſponſum mihi nec vocanti
Reddidit ullum.
Me cohors atrox vigilum pererrans
Oppidum, ſolam feriunt repertam,
Vulnerant, à me rapiunt tuentes
Mœnia peplum.
Vos ego adjuro, Solymes puellæ!
Huc volet ſi Lux mea, nuncietis
Ipſius molli mihi amore lento
Pectora carpi.

HIEROSOLYMITANÆ.

Ille Dilectus tibi qualis? huicne
Par viget quicquam ſimile aut ſecundum?
Candidâ longè ſuperans venuſtas
Fœmina formâ!
Ille Dilectus tibi qualis? anne
(Quæſumus) ſoli tribuenda palma?
Nos quod adjures, ita noſmet urgens
More ſacrato.

SPONSA.

SPONSA.

10 Ore Dilectus niveo, rubenti
Pulcer & vultu meus eſt: decemque in
Millibus lectis Coryphæus exſtans,
Omnibus anteſt.
11 Prodiens aurum veluti caminis
Splendet ipſius caput: huic capilli
Ritè criſpantur, radiantque nigris
Corvus ut alis.
12 Ceuque formoſis oculi columbis
Flumen ad purum, renitent ocelli
Lacte perloti niveo, decori
Orbibus aptis.
13 Areas malæ referunt odoras,
Floribus pulcrè croceis tumentes:
Myrrheum rorem labra liliiſque
Æmula ſtillant.
14 Quique beryllo rutilant & auro
Annulos manus referunt: operti
Ritè ſapphiris eboris nitorem
Venter & æquat.
15 Marmore & crura ex Pario ut columnæ
Aureis nixæ baſibus: decorque
Vultui, qualis Libani in virentis
Vertice cedris.
16 Rore cœleſti madet & palatum,
Mella qui longè ſuperat favoſque:
Totus, en! hic deliciis ab omni
Parte beatus.
Hicce Dilectus meus, hic Amicus
Eſt meus, vos ô Solymæ colentes
Virgines turres placidas opimæ
Celſaque tecta!

CAP

CAP. VI.

HIEROSOLOMITANÆ.

1 QUo tuus pernix Amor avolarit,
Fœminis ô præ reliquis venuſta,
Fugerit quo, dic, citus; ut queamus
Quærere tecum.

SPONSA.

2 Hinc Amor pernix meus avolavit
In ſuum hortum ac areolas odoras,
Heic uti paſcat, legat & nitente
Lilia flore.
3 Jure Dilectus ſibi mancipatam
Vendicat me, ſic mihi jus in illum
Vendico, cui ſunt epulæ inter alba
Lilia ſuaves.

SPONSUS.

4 Tirza tu tanquam, mea Amica, pulcra,
Sacra tu tanquam Solyme decora;
Sicut infeſtis acies tremenda
Martia ſignis.
5 Lumina avertas, peream ne ab iſtis:
Summa tondentis juga Giladæa
Pulcra caprarum gregis æmulantur
Vellera crines.
6 Grex uti dentes ovium niteſcunt,
Ritè quæ tonſæ redeunt lavacro;
In quibus cunctæ pariunt gemellos,
Orbaque nulla.
7 Fragmen ut mali roſeo rubore
Punici, miſtâ nive quod relucet,
Crinibus præ puniceis retortis
Tempora lucent.
8 Pone Reginas ſolio nitente
Sexies denas: decieſque & octo

Con-

Concubinas, innumeraſque circum
Pone puellas.
9 Tum meæ ſi deliciæ columba,
Una ſpes matris, genitricis una
Cura, ſe ſiſtat mihi; perſonabunt
Ore beatam,
Viderint illam ſimul ac puellæ:
Laude Reginæ ſuper aſtra tollent,
Evehent multis quoque concubinæ
Laudibus illam.
10 Sicut aurora os nitidum revelans,
Exſerens undis caput ex Eois
Proſpicit quænam, roſeo refulgens
Ore decora?
Pulcra quæ lunæ ſimilis rubenti,
Pura quæ ſoli ſimilis ſereno,
Fulgidis ſignis radians tremendæ
More phalangis.
11 Ut meum paſcens animum viderem
Vallium plantas virides, tenellæ
Gemmulis vites mihi num tumerent
Palmite læto,
Truderent num puniceo decorum
Punicæ mali quoque flore germen,
Hortulos multis nucibus refertos
Lentus adibam:
12 Abſtulit me mens mea non opino
Impetu pernix, minus haud citatis
Atque quadrigis ego vectus Ammi-
nadabis eſſem.
13 Flecte te retro, Solymiti, flecte;
Ora, te quæſo, tua flecte, flecte;
Quò tui blando reducis fruamur
Lumine læti.
Quid poteſt in te, Solymiti, cerni?
More tu fulges geminæ phalangis,
Caſtra quæ plaudit choream reviſens
Hoſte peremto.

CA

CAP. VII.

SPONSUS.

CAlceis aptis tibi quàm decentes
Sunt pedes? aureis soleis revincta
Bellulè incedis generosa celso
Principe nata!
Bella compages femorum tuorum
Gemmeos orbes simulat, coruscâ
Luce fulgentes, ope perpolitos
Undique summâ.
Est capax crater veluti rotundus;
Nardino exundans, tuus umbilicus:
Ut Ceres flavens, ubi cana circum
Lilia, venter.
Sunt tuæ mammæ geminæ, gethelli
Hinnuli tanquam capreæ fugacis:
Turris in morem tua celsa cervix
Fulget eburnæ:
Ceuque piscinæ renitent ocelli
Hesbonis, portam ad populo frequentem:
Eminet nasus Libani ut, Damasci ad
Mœnia, turris.
Quàm tibi vertex rutilat tiarâ
Coccinâ, vittæ & capitis refulgent
Purpurâ? Stat Rex tuus ambulacris
Captus amœnis.
Qualis! ô qualis! nitor & venustas
Te volat circum, mea Lux: figura
Corporis palmam tibi recta adæquat;
Ubera botros.
Dixeram, Jam jam ferar in virentem
Gestiens palmam, manibus prehendam
Jam meis pendos, gravidosque fœtu
Ubere, ramos:
Nunc erunt mammæ teretes feraci
Turgidi vitis veluti racemi:
Halitus nares mihi, poma quales
Mitia, reddent:

9 Et notæ vinum ſapiet palatum
Intimæ, paſcens oculos meando,
Oſque permulcens, labra dormienti
Clauſa recludens.

SPONSA.

10 Illius ſum qui tacitis medullas
Otium torret facibus calentes:
Meque flagranti ſtudio retentus
Appetit ille.
11 Qui tuo noſtrum jecur uris igne
Fer gradus, ruris repetamus arva;
Ruris ad cypros, mea Vita! noctem
Nos & agamus.
12 Manè viſamus jubar ante Eoum
Vineas noſtras, videamus anne
Floreant vites, teneræ an reſurgant
Vitibus uvæ;
Germina & mali ſua num tumentes
Punicæ trudant foliis tenellis:
Perlubens illic tibi mille jungam
Oſcula pacta.
13 Halitum dant mandragoræ, dapeſque
Mille ſunt, fructus veteres novique
Ad fores noſtras; tibi quas repono,
O mea Vita!

CAP. VIII.

SPONSA.

1 NUminis ſummi ô utinam favore
Tute germanus mihi frater eſſes,
Qui meæ labris genitricis alma
Ubera ſuxit!
Te foris viſum, patulis receptum
Te meis ulnis ego baſiarem;
Verteret nec quis vitio, nec inde
Temnerer ulli,

Me duce intrares genitricis ædes
Tu meæ, quæ me inſtituit docetque:
Duceres grati calices falerni,
Me tribuente,
Quos odorati ſapidique mirùm
Temperant fructus: ſimul & bibendum
Limpidum ſuccum tibi mala quem dant
Punica ferrem.
Subjacens ægro capiti ſiniſtra
Me levat; blando gremio receptam
Me ſuo, amplexu fovet & retentat
Dextera molli.
Vos ego adjuro, Solymes puellæ!
Ne mihi quem mens amat excitetis,
Neve rumpatis placidam quietem,
Dum lubet ipſi.

HIEROSOLYMITANÆ.

Avios quæ per nemorum receſſus
Gandit hæc vultus nitidos, ſuoſque
Dirigit greſſus humeris Amantis
Nixa ſuperbis?)

SPONSA.

Salus eſt, ſub quâ recubans, aprica,
Te dedi erectum; tua mater alma
Hac ſub enixa eſt, peperitque fauſta
Hujus in umbra.
Me tuo cordi veluti ſigillum
Geras oro; memoremque noſtri
Geſtet armillam niveus lacertus,
Imprimar illi.
Sæpotens ceu mors Amor, & Cupido
Ferus ut durus; velutique prunæ
Meæ illius rapido feruntur
Vortice flammæ.
Non Amor multis rapidis aquarum
Luctibus cedit: nequit ullus alto
Hujus ardentes ſuperare flammas
Gurgite torrens.

Ditium gazas Arabum beatas
Profer: hæc æquâ bona cuncta Amorque
Lance pendantur, leviora cernas
Omnia plumis.

SPONSA.

8 Parva (ſcis) nobis ſoror eſt; nec illa
Apta quæ tædas ſociet jugales,
Cærulis iſti tumuere nondum
Ubera venis:
Artibus queis huic, cedo, conſulamus,
Luce quâ ſacræ fuerint parandæ
Huic faces, cum ſit ſubitura vincli
Jura mariti?

SPONSUS.

9 Illa ſi murus fuerit, ſtruetur
Regia argento radiante clara;
Ex cedro valvas bifores recludet
Janua ſi ſit.

SPONSA.

10 Æneum murum refero, mihique
Æmulæ turri geminæ mamillæ:
Hincque me gaudens oculis benignis
Adſpicit ille.
11 Colle florebat Solomoni aprico
Vinea; hanc multis famulis locavit:
Singuli nummos Domino ſolebant
Pendere mille.
12 Vineæ, quæ mî cecidit tuenda
Sorte divinâ, vigil excolendæ
Excubo cuſtos; oculis oberrat
Nocte dieque.
Hinc ego nummos, Solomon! datura
Sum tibi centum decies; ferentque
Centies binos famuli, fidelis
Præmia curæ.

SPON-

SPONSUS.

13 Hortulos ô tu quæ habitas amœnos,
Cum tuis dictis hilares ſodales
Præbeant aurem, fac ut audiamus
Nos quoque vocem!

SPONSA.

14 Qui mihi torres tacitus medullas,
Ociùs cervis celerato greſſus,
Ociùs curſum capreis odora
Per juga carpe.

FINIS.

ROBERTI BODII
A TROCHOREGIA,
AD
Chriſtum Servatorem
HECATOMBE.

CHriſte! Sanctorum caput atque cuſtos,
Cujus exundans fluvio perenni
Fons inexhauſtæ bonitatis, imos
Manat ad artus:
Da, tuum digno decus ut capeſſam
Cordis impulſu, melos & quod acrem
Temporis limam ferat, & malignæ
Verbera linguæ.
Lucis adfulgens radio ſupernæ,
Quâ tui circum ſolii coruſcat
Limbus, inviſa mihi nunc jacenti
Mortis in umbra,
Pelle peccati tenebras, prementum
Quò gravi nexu ſcelerum ſolutus,
In tuas puro ferar accinendas
Pectore laudes:
Nam tuas caſto decet alme cultu
Chriſte! virtutes recoli; profano
Abſit impuri temerentur unquam
Pectoris auſu!

Nuncius

Nuncius præpes mihi labra ſummo
Tangat è cœlo volitans, reatu
Tangat infectas gemino micanti
Forcipe fibras.
Tunc, tuæ fructum crucis, ad beatam
Quæ pios vitam documenta ducunt,
Perdius, pernox, animo revolvam
Sancta ſereno.
Te canam, lucis jubar ut reſurget;
Te, breves quando jacientur umbræ;
Teque, quum præceps teget ora mundi
Lucida lampas.
Patris æterni ſoboles coæva,
Par patri ſummo, ſimul ejus implens
Pectus immenſum, ſimul alma proles
Virginis almæ!
De Deo verus Deus, increatæ
Lucis æternum jubar, ora vivus
Patris ad vivum referens character,
Alter & idem!
Scala quæ cœli ſubiens cacumen,
Ad ſoli centrum penetravit, imis,
More mortalem ſuperante captum,
Summa coaptans:
Te, ſalus rerum, profugis receptus,
Naufragis portus, miſeris medela,
Lumen exſtinctis, onerum levamen,
Meta laborum!
Te, fatiſcentum requies, peracti
Palma conflictûs, pugilum corona,
Præmium curſûs, operumque nulli
Debita merces!
Fœderis mundum reparantis obſes
Arcus, undarum potior periclis
Arca, pax terræ, tremor inferorum,
Gloria cœli!
Gentium lumen, decus Iſraelis,
Patribus voti modus atque ſumma,
Scandali rupes atheo, fideli
Petra ſalutis!
Arbor ô vitæ ſenio carentis,
Quâ Dei vernat paradiſus, una

Fonte diffusâ riguus quaterni
Fluminis unda!
Legis & Vatum ſcopus, involucro
Moſis abducto faciem revelans,
Corpus umbrarum, ſimul agnus inſons,
Ara, ſacerdos!
Agnus à mundi jugulatus ortu,
Ara primævæ luis expiatrix,
Invii ſolus penetrans olympi
Templa ſacerdos!
Te canam, lapſi generis Redemtor!
Teque, lapſuri Stator & Retentor!
Qui manu magnâ Mediator unus
Cuncta coerces.
Qui * Supernatum ſubitam, caducæ
Stirpis adſcitu, reparas ruinam,
Et choris terrâ genitos beatæ
Inſeris aulæ.
Te quid ėxcîrit referam, relicto
Patris æterni ſolio, latentem
Veſte ſub ſervi Dominum, rebelles
Viſere terras:
Carnis & craſsâ velut obvolutum
Nube, divinos operire vultus,
Et crucis diras, gelidique cippum
Ferre ſepulcri.
Nempe nec mundus redimi, nec ira
Patris exſtingui, nec acerba legis
Pœna perſolvi, nec imago nobis
Priſca refundi;
Nec polus pandi, nec avara cunctos
Parca pervadens perimi, reſurgens
Præda nec buſti carioſa vernum
Sumere vultum;
Nec triumphatæ ſpoliis gehennæ
Agmen augeri ſuperûm, nec olim

Plumbeum

* Ita auctori hîc Angeli vocantur, qui ex ſuperis locis in inferna detruſi ſunt; quorumque jacturam, eorum in locum mortalium gens ſubſtituendo, reparavit Deus. Vide PLIN. xvi. 36. *Tecta infernas dicti ſuperum præferunt.*

Plumbeum tolli ſuper aſtra pondus
Carnis opacæ,
Abſque te ſolo potuiſſet; imos
Per gradus pœnæ capitalis actum
Summa quem ſedes beat, & ſupremi
Culmen honoris.
Hinc labor nullum patiens levamen,
Gentis & lapſæ tibi luctus exſpes,
Fœta materno liquefecit urgens
Viſcera motu,
Sortis ut noſtræ miſeram ſubires
Aleam, noſtri pudor ut reatûs
Ora confundens tua nos perenni
Luce repleret:
Nam tuæ nobis tenebræ decorem,
Gaudium luctus, requiem labores,
Inferi cœlos peperere, lætum
Lucta triumphum.
O ſalutarem ſophiam, ſagaces
Jure quæ mundi fugiens magiſtros
Hujus, inflatæ vitreum fefellit
Mentis acumen!
O vices rerum, facieſque miras,
More quas miſcens tua tam decenti
Dextra diſpenſat, paribuſque libras
Lancibus æquat!
Nos tui mœſtos hilarant pavores,
Ora lugentum lacrimæ ſerenant,
Sanat afflictos dolor, ipſa vinctos
Vincula ſolvunt.
Languor infirmos reficit, fluentem
Vulnus admotum cohibet cruorem,
Nuditas nudos tegit, indigentes
Ditat egeſtas.
Sanguinis grumi facie cadentes
A tua noſtras radiis coronant;
Mundat attractam cruor è parentum
Semine lepram.
Mortis exhorrens calicem propinquæ,
Tela ſecuros facis ad ſuprema,
Noxios tu nos reus innocentum
Cœtibus infers:

Deſerit quum te patrius parumper
Vultus, extorres tua nos cooptat
Cura, ſuſceptos gremio nec unquam
Ejicis almo.
Quid morer multis? Erebum ſubintrans,
Tollis in cœlos; maledicta quondam
Furca, nunc arbos hominum beatrix,
Fitque boni fons.
Quum triumphati ſpeciem pudendam
Pendulus præfers, oculoſque pœnâ
Paſcis hoſtiles, odioque turgens
Pectus acerbo:
Squalidus, nudus, lacer, ora pallens,
Obrutus probris, coopertus iræ
Fluctibus, clavis miſeranda fixus
Membra quaternis.
Inter infeſtas acies, latronum
Inter infauſtos fremitus, remandans
Spiritum Patri, geminumque fundens
Corde fluentum.
Tunc triumphali crucis in quadrigâ
Vectus, immanes agis ante temet
Hoſtium turmas, manibus retrorſum
Fune revinctis:
Fune conſtrictos agis indecoro
Principes mundi, ſtygiique portas
Carceris, fauces trucis & ſepulcri
Victor inermes:
Victor, exutas Erebi phalanges,
Labis humanæ caput, architectos
Fraudis & falſi, ſcelerumque terras
Quidquid inundat,
Exhibes pulcrum ſuperis theatrum,
Noctis æternæ laqueo ſuperbas
Fracta cervices, pudefacta furvos
Agmina vultus:
Mortis hinc ſævæ ſtimulus bicuſpis,
Legis hinc iram parientis anceps
Volvitur canthos dica ſubter, unco
Fixa trabali.
[illegible] cumprimis jacet orcus ingens,
[illegible] conſoſſus proprio, doloſam

Dum crucis, rictu nimiùm furenti,
Devorat offam:
Finditur monſtrum furiale, rapto
Præda ſit raptor lupus, unde vitam
Retur abſorptam tenuiſſe, cœpit
Inde teneri.
Gentis humanæ miſerator, hydro
Conterens tetro caput exſecrandum,
Cordis ô conſtans amor, ô voluptas
Pura paterni!
Pacis & vitæ via ſola; magni
Promus arcani patrio latentis
In ſinu; veræ pietatis idem
Auctor & index!
Perditis, cheu! quid in omne nobis
Tempus, O vindex hominum! fuiſſet,
Abſque te ſolo, ſobolique noſtræ,
Dulcis Jeſu!
Clauſtra perrumpens tumuli, ſupernam
Qui domum ſcandis redivivus, & nos
Convehens tecum, tua membra, nigro
Surripis orco:
Surripis flammæ furiis, nocentes
Quæ manet, mundi ſenium ſub excors,
Jamque nos vitæ venientis amplâ
Inſtruis arrhâ:
Pacis obſignans & amoris almo
Spiritu, qui nos tibi quique membris
Unit, æterno tua quotquot implet
Gratia nexu:
Ille nos mundi, laqueoſque contra
Carnis & fraudes, furiaſque nigrâ
Nocte ſummiſſas, mediâque peſtes
Luce volantes,
Gratiæ ſalvos ope ſeptiformis
Præſtat, ac tandem ſuper aſtra tollit,
Nec ſpei fluxæ, fideive fultos
Præpete pennâ.
Ille divini lateris gemello
Tertius rivo comes, efficaci
Voce conteſtans, pia firmat ingens
Pectora pignus.

Ille proſtratis aditum tribunal
Patris ad ſummi referat, medullis
Ille mox, Abba pater, æſtuantum
Formet in imis.
Ille ſingultu tacito, canoræ
Nulla quem vocis tuba, nec venuſtus.
Æquet accentus, feriet paternas
Protinus aures.
Ille ſinceris oculos revelat,
Legis ut ſenſus penetrent profundæ;
Spernit elatos, humileſque ſanctis
Motibus afflat.
Ille torpentes acuit, labantum
Firmat inceſſus, revocatque lapſos;
Ille divinis moribunda mulcet
Viſcera flammis.
Ille præfractos refugoſque leni
Ductiles reddit facileſque tractu,
Nulla quem duri pudefecit unquam
Pectoris incus:
Quin tuum, currant agiles, cupito
Sponte cervices onerique ſubdant,
Suavè fragrantem ſimul atque nomen
Sparſit odorem:
Nomen effuſum quod ubique caſtas
Haud ſecus fibras ferit, imbecillos
Atque languentum pretioſa pulſant
Unguina ſenſus.
Hujus, ô vitæ dator, & viæ dux!
Imber irroratis olei, ſalutis
Arduum greſſu duit irretorto
Carpere clivum;
Noſque deſerti per inhoſpitalis
Teſqua palantes lacrimoſa, dipſas
Dira quæ terret, ſitis & retoſto
Squalida rictu,
Ducat, optatus comes, ad ſupernos
Lactis & mellis fluvios, tuorum
Semper & plauſu pia, Chriſte! læto
Cœpta ſecundet:
Orbis à ſummo tua dum coruſcans
Axe majeſtas inopina, longum

Te

Temporis fluxum ſeriemque puncto
Siſtat in uno:
Tunc ſuum rectâ repetent parentem
Amnium curſus, ubi tempus ævi
Condet æternâ caput, unde primùm
Fluxit, abyſſo;
Luce, quæ cœli rapidum volumen,
Luce, quæ rerum refluos tumultus,
Luce, quæ mortis rigidique ſolvet
Sceptra ſepulcri.
O dies nullâ vice ſubmovenda
Noctis à tergo ſubeuntis! O nox
Nulla quam lucis premet invaleſcens
Aura diurnæ!
Lucis ô lætæ ſeges! O triumphus
Perpes integris animi! Viciſſim
Conſciis ô crux inimica vitæ
Turpiter actæ!
Quæ pios luctu lacrimiſque ſolvet,
Impiis clangens eadem catervis
Rumpet infauſto tuba triſtis altum
Fine veternum.
Nam tuam clangor faciem præibit,
Orbis ô vaſti moderator! omnes
Qui ſimul rerum feriens tremendo
Murmure metas,
Ad tuum ſiſtet ſolium, ſuperna
Quoſque tunc auræ vegetabit hauſtus,
Quoſque nunc ſervat cineres profundi
Urna ſepulcri.
Illius nemo fugiet ſeverum
Lucis examen, patefecit almæ
Cardo quem vitæ, vel adhuc ab ægrâ
Matre rubentem.
Quum vorax flammæ violentis ardor,
Quâ tui circum ſolii crepido
Candet, igniti ſuper actus atras
Turbinis alas,
Cuncta luxabit liquefacta magnæ
Membra compagis, quatiens repoſito
A ſoli centro fugitiva ſummi
Mœnia mundi,

Solis

Solis involvent radios tenebræ,
Priſtinus linquet nitor aſtra, terræ
Vertet in canam decus omne victrix
Flamma favillam:
Mentis humanæ monumenta, moles
Arduas, quidquid validæve robur
Dexteræ, ſolers acieſve longo
Præſtitit uſu,
Unius fervor furibundus horæ
Involans, nictu citiùs volucri
Perdet, & rerum genus omne maſſam
Fundet in unam:
Quum tamen mundi pereuntis ingens
Cuncta confundet fragor & ruina,
Dura percellens trepido nocentum
Corda tumultu;
Tunc ab hircoſo grege triſtis agnos
Dextimos inter dirimet capedo,
Mira quos tinxit niveos rubentis
Unda lavacri.
Dum tuum cinget ſubitò tribunal
Clara ſanctarum tribuum corona,
Solis ut purum radioſus orbem
Ambit amictus;
Nubis adſcendens nitidum ſerenæ
Sub tuis tenſum pedibus lacunar,
Triſte ſubſidet ſed humi finiſtrum
Eminus agmen:
Vocis exſpectans tonitru triſulcæ,
Nulla quam franget mora, quin paventum
Oſſa pervadat cinefacta ſævo
Protinus ictu:
Ite ſub terras maledicta cœlo
Turba, frendentes furias fatigans,
Ignis æterni cibus in perennes
Ite tenebras:
Unde ſpes, lumen, requies, voluptas
Exſulant; vermes ubi, cumque fletu
Dentium ſtridor viget, atque tetri
Sulphuris ardor.
Quantus extemplò premet angor, exſpes
Obruet quàm non tolerandus horror!

Lingu-

Lingua quæ fando referet, quis acri
Mente prehendat;
Me ſed in tali trepidum periclo
Præſtet, ô clemens hominum Redemtor!
Sanguis immunem tuus, inque dextrâ
Sorte reponat!
Sorte ſanctorum, tua quos beatos
Reddit adſpectu facies propinquo,
Summa tu præſens quibus es perennis
Cauſſa triumphi!
Quæ tui vectes tumuli refregit,
Nexibus junctum tibi ſempiternis,
Chriſte! depoſtum repetat rigenti
Vita ſepulcro;
Tollat & cœli radiantis ultra
Fornices, tecum fruar ut repoſtis
Læta queis aulæ dapibus redundat
Menſa ſupernæ:
Gaudiis, quæ non oculi, nec impar
Auris admiſit modulus caducæ,
Craſſa nec finxit ſibimet profundo
Fibra receſſu:
Summa ſed ſummus Pater ad ſupremum
Culmen evectis cumulumque ſervat
Se penes; fiet quibus unus omnes
Omnia complens:
Vita jam victrix ubi mortis atrum
Virus abſorpſit, ſpecieſque fallax
Tranſiit, vultu novus & nitebit
Mundus amœno.
Huc ferar tecum citus, ô piorum
Portus & præſtes, bonitatis umbo
Quos tuæ tutos facit à futuræ
Fluctibus iræ!
Noctis ô fulgens polus inter umbras,
Vultus, ut magnes, tuus, huc potenti
Semper obtutu trahat incitatum
Cordis acumen!
Huc ferar, quo nil penetrat malignum,
Nulla ſit voto mora, nil timendum
Reſtat, huc ſanctus mihi fervor alas,
Chriſte! miniſtret:

Ut canam rerum Domino trium
Mentibus laudes meritas beatis
Miſtus, humano potiuſque pangam
Pectore carmen :
CHRISTE, ſic fiat, precor, alme! Tandem
Sancta ſic lætus mihi vota firmet
Finis, ut fauſtam pia jam prehendunt
Carmina metam. Amen, Amen.

FINIS.

POETARUM COTORUM MUSÆ SACRÆ:

SIVE

TRICII ADAMSONI, Sancti-Andreæ in Scotia Archiepiſcopi, Jobi, Threnorumque ſeu Lamentationum Jeremiæ, ac Decalogi, Paraphraſis poëtica.

ILIELMI HOGÆI, Jobi atque Eccleſiaſtis Solomonis, & duorum Moſis Canticorum, Paraphraſis poëtica.

ëticum Duellum: ſeu G. EGLISEMMII cum G. BUCHANANO pro dignitate Paraphraſeos Pſalmi CIV. Certamen.

adnectuntur ejuſdem Pſalmi aliæ Paraphraſes oëticæ ſex, Auctoribus totidem Scotis.

PARS ALTERA.

---

mo quæque ſtudio recognita, & ad fidem optiorum exemplarium expreſſa.

EDINBURGI:
ud THO. & WAL. RUDDIMANNOS.
M. DCC. XXXIX.

verendiſ. in Chriſto Patris, PATRICII ADAMSONI, Sancti-Andreæ Archiepiſcopi in Regno Scotiæ meritiſſimi, VITA.

Operâ Tho. Voluſeni I. C. conſcripta.

PATRICIUS ADAMSONUS, natione Scotus, cunctis naturæ dotibus inſignitus, Parentibus ingenuis & ſtirpe honeſtâ natus, ad Taüm amnem amœniſſimum, ac regni Scotiæ facilè maximum, anno ſa Chriſtianæ ſupra milleſimum quingenteſimo triceſiſexto, circa Idus Martias, in urbe Perthi totius reclariſſimâ, & in ipſo medio ſitâ, adſpectu atque ſitu ltò jucundiſſimâ, propter aëris temperiem, proſpectum lique amœnum, vallibus, fluvio navigabili & navicuconſpicuum, frugum, pecudis, ſalmonum, aliorumpiſcium abundantiam accolis apprimè utilem; haud cul à Sconâ, Monaſterio olim inſigni, ubi ſita fuit Calra marmorea, quâ Reges & nomen & Regum inſignia ipere ſolebant. Is diſciplinis liberalibus in ſcholis pa, primùm urbanis honorificè educatus, dein ad Fan Reguli (quod poſteritas Fanum Andreæ dici maluit) ndatus; parentum ac propinquorum omnium ſummâ nii ſpe de eo habitâ & conceptâ: ubi purioris literatuc Philoſophiæ ſtudiis non ſine ſummâ laude imbutus, ſto ſtadio Cathedram publicam Artium Liberalium nâ omnium admiratione quotannis tenuit, donec Luum, totius Galliæ eruditionis ac Muſarum matrem ntem & dominam, vocatus; ubi amici & Mecænatis amantiſſimi D. Jacobi Makgillæi, Regi ab archivis licis, ac Senatoris ſummæ Curiæ, & Joannæ Adamſoconjugis ſuæ lectiſſimæ precibus flexus, D. Jacobum kgillæum, filium parentum primogenitum in diſcipliabuit, & quod Lutetiæ literarum rarius & delicatius biennio toto decerpſit. Inde Pictaviam & Paduam tendens, Juris Civilis & Canonici ſtudiis, ad Joannis vini exemplum, aliiſque diſciplinis liberalibus gnavincubuit, ibique tantum conſumſit olei, ut nihil ei relegitimæ ſcientiæ deeſſe videretur. Is reditu Gene-

vam inviſens, ac dilectiſſimi D. Theodori Bezæ colloquiis & jucundâ ſocietate ſuaviter & familiariter uſus, puriorís Theologiæ doctrinam ſincerè avidèque hauſit. Ac tandem ſeptennio integro exacto Lutetiam reverſus, in ipſum belli civilis furorem & incendium incidit, ac rabiem Pariſienſem devitans Biturigibus Gallorum ſeptem menſes delituit: ubi maximas perſecutiones perpeſſus vir pius, & per omnes Galliarum ac Italiæ Provincias, quaſi ſummus Papicolarum hoſtis, ſtrictiſſimâ indagine indagatus, indies extremo vitæ diſpendio vixit. Is vix decimum lapidem noctu clam urbe recedens, re notâ, hoſpes ſeptuagenarius in capitis diſcrimen vocatus, ac ſtatim ſolo hoſpitii reatu damnatus, è ſummitate turris ſuæ miſerè dejectus, obiit: quod præ ceteris pium virum anxie tenuit. Hîc Jobi hiſtoriam præclaram, patientiæ & conſtantiæ ἐμ-θύτυπον, heroo carmine ornatiſſimo, piè quidem & eruditè conſcripſit, unà cum tragœdia illius Herodis, qui ab Angelo percuſſus teterrimè exſpiravit. Tandem fugâ ſalvus,& Dei Opt. Max. fauſtiſſimis auſpiciis liberatus, ac ad ſuos revocatus, Fani Andreæ Archiepiſcopatu inſignitus eſt, anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

Hunc natura φιλόκαλον, hoc eſt, pulcri & honeſti ſtudioſum finxit; cui vera inſidebat εὐθυμία, animi ſcilicet tranquillitas; in quo virtutis omnis bractea & ſeminarium quoddam, naturali ſuâ indole, medullitùs quidem (ut Plautinâ voce utar) & divinitùs inhærebat: cunctis animi & corporis dotibus præditus, & juxta M. Tullium, naturæ muneribus adeò ornatus, ut non natus ſed à Deo factus videatur; & *cui arte benignâ* (ut fert Juvenalis) *& meliore luto finxit præcordia Titan:* divinus Theologus, linguæ ſacræ ſui temporis coriphæus, politioris omnis diſciplinæ & ſcientiæ theſaurus, ſummi acuminis & judicii, humanitatis, pietatis & caritatis plenus; Orator ſummus, ſuadendo aptiſſimus, Poëta inſignis, felix in eo calor, cultus non inviſus, temperatum judicium, dictio candida, numeri non affectati; uſu rerum, prudentiâ & experientiâ plurimùm pollens, ac quaſi alter ſcientiarum & linguarum orbis, nihil hominem latuit: imò quod omnium maximè mirum & rarum eſt, rei ſemel lectæ ſeu auditæ oblivi ſci numquam potuit. O quæ profuſiſſimæ lacrimæ tantum literarum decus, gentis ſuæ illuſtriſſimum

lumen,

lumen, tantam prudentiæ affluentiam, morte in uno illo exſtinctam, ſatis dignè unquam deflere poſſunt! In quo ita certabat cum pietate doctrina, cum natura ars, cum diſciplina uſus, ut æternam ſibi reliquerit in animis omnium memoriam. Obiit ad *Fanum Andreæ*, bonorum omnium & doctorum ſummo luctu ac mœrore, Regnique, Muſarum & Reipub. literariæ ineffabili jactura, uxore matronâ graviſſimâ cum duobus liberis & tribus pullis orphanis, ex ſeptena prole progenitâ relictis, circa Idus Martias, Salutis noſtræ anno 1591, ætatis ſuæ anno quinquageſimo quarto, ſanctè quieſcens in pace, in glorioſum Servatoris adventum, cui cum Patre & Flamine ſancto, Triuni JEHOVÆ cunctipotenti, ſit omnis honos & gloria in æternum. *Amen.*

Ejuſdem pientiſſimi ac doctiſſimi Præſulis moribundi apoſtrophe ad ſuam animam.

O Anima! aſſiduis vitæ jactata procellis,
Exſilii pertæſa gravis, nunc lubrica tempus
Regna tibi, & mundi inviſas contemnere ſordes.
Quippe Parens rerum cæco te corpore clemens
Evocat, & verbi crucifixi gratia cœli
Pandit iter, patrioque beatam limine ſiſtet.
Progenies Jovæ! quò te cœleſtis origo
Invitat, felix perge, æternùmque quieſce.
Exuviæ carnis cognato in pulvere vocem
Angelicam exſpectent, ſonitu quo putre cadaver
Exſiliet redivivum, & totum me tibi reddet.
Ecce beata dies! Nos Agni dextera ligno
Fulgentes crucis, & radiantes ſanguine vivo
Excipiet: quàm firma illic, quàm certa capeſſes
Gaudia, felices inter novus incola cives!
Alme Deus! Deus alme! & non effabile Numen!
Ad te unum & trinum moribundo pectore anhelo.

Cl. Viri Thomæ Voluſeni de vita & morte ejuſdem Præſulis carmen.

NAturâ Orator ſuadens, ſuaviſque Poëta,
Myſtica divini defungens munia verbi,

Sex

Sex & vicenis annis, ac munere ſacro
Præſulis Andreiæ fani ſacratus, in alti
Immortale decus Jovæ, populique ſalutem.
Multa hic perpeſſus Chriſti ſub Marte cruenta:
Decubuit mœrore animi: quique omnia pridem
Pertulit invicto conſtantis robore ſensûs,
Non tulit immites Myſtas: hinc lenta ſequuta eſt
Tabes, lethifico carpens præcordia morſu.
Occidit: haud facilè æqualem cui noſtra tulerunt
Secula, degeneri ſenſim evanentia prole.
Agnoſcunt docti jacturæ vulnus acerbæ,
Præſulis & funus, proh incaſſùm! lumine lugent.

Jacobi Lauſonii V. D. M. in Patricii Adamſoni Latinam Catechiſmi verſionem Carmen.

SOL & Adamſonus perfundunt luce coruſcâ
Æquor, tellurem, ſidereumque polum.
Ignitâ Phœbus perluſtrans lampade terras,
Umbras corporibus pellit, at ille animis.
Ergò mare & tellus, & quas tenet igneus orbis,
Cœleſtes animæ, & numina ſumma poli,
Jam gaudete novum vobis luceſſere ſolem,
Quodque duos ſoles quos ferat orbis habet.

Roberti Pontani V. D. M. in eamdem Catechiſmi verſionem Carmen.

INventis facilè eſſe ferunt ſuperaddere, rerum &
Fundamenta ſemel jacta labore ſequi.
Utilis illa tamen ſæpè eſt induſtria, notum
Præſertim ſplendor ſi novus ornat opus.
Ecce! Catechæſis primus quam prodidit auctor
CALVINUS, ſacro magnus in eloquio.
Hanc methodum ante alias, veræ pietatis amantum
Concio Chriſtidum publica jure probat.
Hinc variis variè viſum eſt traducere, Græcè,
Hebraicè, linguis innumeriſque aliis.
Hoc ex parte etiam tentârunt carmine fratres,
Atque ego perfectè jam propè finieram.
Vidit PATRICIUS cum Conſtantinus, opellæ
Admovitque manum noſter ADAMSONIUS;
Omnia qui meliùs percurrens, penè retexit:
Non invita dedit cui mea muſa locum,

Quid-

aidquid id eſt operæ, docilis pietate juventus!
Et nos, & ſtudiis dedicat ille tuis.

De eodem Auctore.

Ūncti olim Vates Scoto ceſſere Poëtæ,
Scotia nunc palmam præripit ipſa ſibi.

ULIELMI HOGÆI ad Lectorem de ſeipſo Carmen, Solomonis Eccleſiaſtis Paraphraſeos Poëticæ Editioni præfixum.

I quis aves hujus, Lector! de auctore libelli
Noſcere, quis fuerit, quove ſub axe latet:
x quo ter denos vidit mea vita Decembres,
Lanigerum reduci ter pede Phœbus adit.
OREA me peperit, dein extera terra recepit,
Jam duo in Angligenûm luſtra peracta ſolo.
ſic licet infeſtis agitarer ſæpè procellis,
Hæc ſunt in mediis carmina facta malis:
cilicet, ut de ſe cecinit Sulmonis alumnus,
Ut poſſem curas ſic relevare meas.

d Dominum Cæſar Scholarcham Croydonienſem Gulielmus Hogæus, poſt publicatam ejus impenſis Eccleſiaſtis Solomonis Paraphraſim Poëticam.

Ure tuum celebro, Cæſar generoſe! favorem,
Et meritas grates jure libenter ago:
unc tu cùm preli donaris honore libellum,
Prædicat officium pagina læta tuum.

lonori & laudi præſtantiſſimi Domini Gul. Hogæi, Periphraſin metricam edentis in Jobum, his pauculis litare debuit T. R.

ARgos cum traheret, vel cum religaret Homerum
Smyrna ſibi, Salamis nec filuêre Chios:

Cunctis

Eſt aliis: patria mox caruiſſet Iob:
Te niſi per vatem lis tanta diremta fuiſſet,
Hogge! Caledonii lauſque decuſque ſoli:
Nam dum verba facis Jobum reſonare Latina,
Quis civem Romanum inficietur Iob?
Quod magè tam ſtridè, quàm quod collapſa Pecu
In lapſo Jobo, TE præeunte micet.
Quidquid enim Pelignus habet, vel Cordubа pingu
Bilbilis aut numerûm, Mantua quidquid habet
Id tua tu totum nervosè ad plectra reducis,
Atque jubes Arabes verba Latina loqui.
Ergò Caſtalides cingant tua tempora lauro,
Et meritas properent condecorare comas:
Perpetuâ ſic fronde micet, ſic denique quidquid
Seu Parnaſſus habet, mons Helicone tenet.

In Gulielmi Hogæi Scoti Paraphraſin Poëtic

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ.

ELoquar an ſileam? Laudaret Zoilus illus?
At ſupra laudem eſt: ſiccine? tum ſileam.

GUL. RAMISÆU

In Eumdem.

EN tibi Caſtalius fons, qui cupis eſſe Poeta

Dignus es, O Hogæe! ſenes quem fronte verendâ,
Dignus quem juvenes, quem puerique terant.
Oppreſſi gravibus ſtudiis relevamen habebunt,
Hinc morum juvenes & documenta pia.
Ingenio pueri nunc hinc datur eſca, profani
Præter adulterium Mercurii atque Jovis.

RICH. DAVIS.

Amico ſuo D. Gulielmo Hogæo, dum Paraphraſin in JOBUM Poëticam in lucem emitteret *.

CLara CALEDONIÆ gens nulli cedit in orbe,
Moribus, ingenio, vi, pietate virûm.
Eximium cujus decus eſt hic doctus alumnus
Pieridum, cecinit qui modò digna cedro.
Mole licet parvum, magnum virtute volumen,
Cernitis hic juvenes, quin teritiſque manu?
Romuleus vates paſſim laudatur abundè,
Quòd ducis Iliaci pinxerit acta ſtylo.
Davidicum corpus cultu quòd ritè Latino
Texit, honorandus ſic Buchananus erit.
Hoc opus haud dubiè pariter celebrabitur olim,
O redivive Maro temporis, euge! tui.
Purpureis Jobum nudum tu veſtibus ornas;
Ulcera nectareo putrida melle lavas.
Carmen Apollineum longæva in ſecla manebit,
Nec millena valent ora referre ſatis.

JO. MINROE.

b *Cl. Vi-*

* *Idem Hogæus præter poëticas Jobi atque Eccleſiaſtæ, quas hic publico exhibuimus, paraphraſes, tria Joannis Miltoni Angli, Poëtæ celeberrimi, ſermone vernaculo conſcripta poëmata, nempe Paradiſum amiſſum, Paradiſum recuperatum, ac Samſonem etiam Agoniſtam, hortante præcipuè ſuarum Muſarum patrono, pietate ac literis juxta inſigni, viro clariſſimo DANIELE COX, Medicinæ Doctore ſumigeratiſſimo, ac Regiæ Societatis Londinenſis Socio, (cujus prolixam in ſe benignitatem atque liberalitatem graphicè patheticeque profectò, tum ſtrictâ, tum ſolutâ oratione Hogæus proſequitur) haud inſcitè certè, ut antè dictum, pro ar-*

Cl. Viri, Thomæ Dempſteri JCti de auctoribus quibuſdam in hoc noſtro Poëtarum Scotorum ætate lectis, eorumque ſcriptis Teſtimonia, ex hiſtoria ſua Eccleſiaſtica Gentis Scotorum excerpta.

De Patricio Adamſono Teſtimonium, lib. I. p. 50.

PAtricius Adamſonus, vir incomparabilis in humanioris literaturæ eruditione, Græcè & Latinè doctiſſimus, utroque ſtylo facilis & elegans. Scripſit Catechiſmum verſu; in Andream Melvinum declamationes; Epigrammata ac Poëmata, in quibus felicissimus calor.

De Andrea Melvino, lib. xii. p. 497.

ANdreas Melvinus diſcipulus Georgii Buchanani, Poëtarum omnium noſtratium hoc ævo literatiſſimus, ſuaviſſimus, diu in Galliis & Germaniis ſeu palæſtra omnis virtutis decurrit, bonaſque artes liberaliter profeſſus. Ad Scotos ſuos redux, ne Epiſcopi crearentur pro virili obſtitit, eoque nomine Londinum citatus, facilè ab Anglicano Concilio ad Scoticum Tribunal, mirâ libertate provocavit, ſed conatu irrito: datus enim ad cuſtodiam ad D. Pauli Decano, indeque turri Londinenſi incluſus, etſi omni favoris apud Regem ſpe præcluſâ, tamen ſui non eſt oblitus, & negatâ chartâ parieti tamen & lateribus cultiſſima Epigrammatia incidit, ut appareret liberum

argumenti difficultate, ante quinquaginta ferè annos Latino carmine tranſtulit. Cetervm, de eo certi quod adſeram, idque poſt diligentem ſatis indagationem, ultra nihil habeo. Promiſit quidem vir clariſſimus Gulielmus Benſon, (cujus viri humaniſſimi ad benè de re literaria merendum propenſio) ſedulo ſe operam daturum, ut certa, ſi fieri poſſet, Hegæi de vita ac morte ad nos brevi Londino (in ea enim urbe vivus ille ut plurimùm diverſabatur) tranſmitteret: ſed nec ille, ſatis acrem poſt ſcrutationem habitam, certi quidquam aut ſcitu dignum inveſtigare potuit, quod dolendum profectò. Porrò, & eximiæ pietatis fuiſſe eum, nec inverecundum ad hæc Poëtam credere omninò fas eſt.

liberum ingenium clauſo corpore non potuiſſe coërceri: in eum tunc ignobiles quique, & muſcæ aulicæ, gratiam à Rege inituræ, ineptiſſimis verſibus ſtylum acuere. Inter illos non defuit, qui propudio literarum *Melvinum* quaſi *Milvum* inficetiſſimo frigore comminiſceretur. Ejus ſunt infinita, ſed ego pauca vidi, in his *Gathelus*, poëma heroicum ſublimi vená de Scotorum in Albionem appulſu, Melviniana ſuperbia, lib. I. cui exordium,

Scotorum, Anglorum, Gallorum à ſanguine Regum,
Ille ego Melvinus.

Declamationes in Pat. Adamſonum, Archiepiſc. Sanctandreanum; contra Epiſcopos Epiſtolæ ad Regem; Epigrammata varia acutiſſima; in his in aræ Regiæ abuſum luſit ingenioſiſſimè, ut mihi videtur. Reſponderunt plerique pro aulæ conſuetudine, ſed nullus appoſitè. Obiit anno 1620. Carus Henrico Bulloniæ Duci, quò ſe pro cuſtodiam Anglicanam contulerat, & jam in ultima ſenectutis ingraveſcentis periodo dicitur Muſas juveniliter colere, vir bono rei literariæ natus.

Arcturi Jonſtoni de eodem Melvino Carmen.

CEde Caledonio volucris Sthenelëia cygno,
Quæ reliquas niveo corpore vincis aves.
Tu fugis, ille petit cœli commercia; tu fles
Perpetuò, fletum temperat ille jocis;
Tu foris, ille intus candorem poſſidet; unam
Tu Venerem, Veneres mille ſed ille vehit.]

Ejuſdem de Roberto Bodio teſtimonium, lib. II. p. 128.

RObertus Bodius Trochoregius, vir nobili loco natus, & amœno ingenio, variam lectionem acerrimo judicio temperans: artes optimas & didicit feliciter, & gloriosè in Galliis docuit. Ejus ſunt multa; in his harmonia Evangeliorum, orationes, epiſtolæ. Vivit in Scotia, & literato domi otio fruitur, doctiſſimus ipſe & doctorum fautor, Regi ac Principibus carus.

De Georgio Egliſemmio, lib. v. p. 271.

GEorgius Egliſemmius, Hamiltonienſis, bonas artes & didicit Lovanii in Belgio operosè, & docuit in Galliis gloriosè, Philoſophiam Rothomagi primùm, mox & Lutetiæ ſummo auditorum applauſu profeſſus. Apud Cimbros & Batavos medicinam fecit, ut audio, feliciſſimè, nec Galeni oſor, nec Chemiæ nimiùm addictus. Demum à Rege Magnæ Britanniæ inter domeſticos Medicos adlectus, aliquod ſtudiorum ſuorum præmium videtur conſecutus, Græcè Latinèque doctiſſimus, verſu bonus & proſâ, omnibus cultioribus artibus, ſed maximè ſpagiricis inſtructus. Varia publicavit. Ego tantum vidi, Poëmata varia; Epigrammata varia; contra Worſtium hæreticum; declamationes philoſophicas; duellum poëticum cum Georgio Buchanano in verſione Pſalmi CIII. [CIV. noſtrâ ſupputatione;] quo opere vellem abſtinuiſſet, non quod ingenium contemnam, ſed quia felicius aliud argumentum, & minùs invidioſum eligere potuiſſet. Contra Thomam Reidum; Preparationes medicamentorum: vivit adhuc Londini, quàm longè poteſt ab aulico tumultu Muſis vacans, quas ſeriò ſanè & bonâ fide colit. Hactenus ille. Publicavit præterea narrationem de morte Ludovici, Lenoxii & Richmondiæ Ducis, ejuſque Fratris Marchionis Hamiltonii, & denique Regis Jacobi; in qua oſtendit eorum mortem veneno acceleratam à perfido Buckingamio, à quo, mortuo Rege, aulâ exactus in Germaniam invidiæ devitandæ cauſſâ concеſſit.

De Gulielmo Barclayo, lib. ii. p. 120.

GUlielmus Barclayus nobiliſſimo loco ortus, Baronis Tauui frater, generis magnitudinem ingenii felicitate depreſſit. Pariſiis humaniores literas cum ingenti omnium admiratione profeſſus eſt, quas Lovanii in ſchola Lipſii didicerat, cujus ad eum eſt epiſtola XXXIII. centuriæ III. Inde in Scotiam profectus aliquantiſper ſubſtitit, donec peregrè iterum abiit, atque in Galliis docere bonas artes ſuſtinuit, Nannęti in Britannia minori. Ejus ſunt multa, in his commentarius in vitam Julii Agricolæ Cor-

nelii

nelii Taciti, genethliacon Jacobi Regis, orationes, declarationes, epiſtolæ eloquentiſſimo ſtylo, de aquis Spadanis. Vivit adhuc in Scotia, & medicinam, ut aiunt, popularem exercet.

De Davide Humio Theagrio, lib. viii. p. 362 *.

DAvid Humius nato ad Muſas ingenio, cultiſſimus Poëta, ſcripſit multa, ſed ad me venerunt pauca: in his ſunt poëmata varia; laudes patriæ, verſu; adventus Regis in Angliam, verſu; contra Epiſcopos, vernaculè; apologia miniſtrorum Vaſconum, vernaculè. Vivit adhuc in Scotia.

De Thoma Reido, lib. xvi. p. 576 †.

THomas Reidus Aberdonenſis, pueritiæ meæ & infantilis otii ſub Thoma Cargillo collega, Lovanii literas in ſchola Lipſii ſeriò didicit, quas magno nomine in Germania docuit, carus Principibus. Londini diu in comitatu humaniſſimi ac clariſſimi viri, Fulconis Grenvilli, Regii conſiliarii interioris & Angliæ proquæſtoris egit: tum ad amicitiam Regis, eodem Fulcone deducente, evectus, inter Palatinos admiſſus à literis Latinis Regi fuit, ſcripſit multa, ut eſt magnâ indole & variâ eruditione. Omnia Regis Jacobi VI. opera Latina fecit, & Londini publicavit. Ex aula ſe nuper ſub annum 1618. proripuit, dum illi omnia feſtinati honoris augmenta ſinguli ominarentur: rumor poſtea fuit in aulam rediiſſe, & meritiſſimis honoribus redditum, ſed numquam id conſequetur quod virtus promeretur.

Tho-

---

* *Hujus viri clariſſimi poëmata in deliciis Poëtarum Scotorum prioris ſeculi illuſtrium exſtant, loco profectò dignissima.*

† *Hujus in obitum Epicedium exſtat elegantiſſimum Roberti Aytoni, viri literis ac dignitate clariſſimi, in deliciis Poëtarum Scotorum, ubi & ipſius quoque poëmata, pauncula quidem illa, ſed venuſta, ſed elegantia comparent.*

iv

Thomæ Rhædo suo Gulielmus Barclayus S. P. D.

CUm induxissem animum proferre judicium meum de Paraphrasi G. Eglisemmii, quæ publicè edita circumferebatur: ostendit mihi quidam ejusdem Psalmi Paraphrasim tuam; quam cùm etiam censorio animo & exactè legissem, arbitratus sum dignam quæ videretur ab omnibus, & propter elegantiam carminis, & propter expressam Prophetæ mentem non semel præ ceteris, & propter antiquitatis & doctrinæ non obscura argumenta. Satis scio te scire quæ dico; sed ut alii sciant promam exempla. Primum ipsum carmen pulcrum est, & splendet.

Eia, age! divinos, mea mens! celebremus honores.

Et illud,

Tu gemmata tibi tendis conopea Cœlos.

Et illud,

Pensilibusque hærere jubes cœnacula nimbis.

Quid potest dici argutius isto?

Undique nixa cadit. ——— *Ne concidat, in se*

Quod sequitur non limpidè solùm fluit, sed fluit ex fo

tibus Philosophiæ naturalis:

Tu trabis illimes montana ab origine fontes,

Quos pecudes & prata bibant. ———

Jam notemus Prophetam duobus versibus, 14 & 8

mentionem *panis* facere. Priore versu *panem* accip

omni cibo: hinc Tremellius vertit, *ut depromant de terra.* Altero versu, *panem* capit pro pane prop

to, ut opponitur obsonio: sic hos versus interp

Theodoretus, & alii. Utramque sententiam expe

Et dulces genus omne cibos. ———

Paulo post,

Et gustata Ceres fessos corroborat artus.

Quis non suspiciet reconditam eruditionem in il

Cuique piam credit sobolem crotalistria, pia

Pia soboles, Latinè & propriè dicitur. Et

convenit ciconiæ tam decorè, ut nihil suprà.

figurâ ponitur sine substantivo.

Amo hemistichium,

——Lictorque sacras ulciscitur iras.

Maro videtur dictaſſe tibi *umbram odoratam.*

Cedrus odoratâ Libanum qui protegit umbrâ.

Qui ipſe *umbram amaraci* vocaverat olim *dulcem.*

Non dicam oppidò quàm intimè penetraveris in ſenſum Prophetæ illo verſu,

Tu ſtata multiplici deſignas tempora lunâ.

Intueor *aſtriferum* illud *peplum*, admirans elegantiam tranſlationis:

Ut verò aſtrifero texit nox omnia peplo.

His verſibus quot figuræ lucent?

Plena tui tellus, rerum ſator! æquora plena!

Æquora ſquamigerûm domus ingens. ——

Servat & tranſlationem & ſententiam Prophetæ hoc quod ſequitur,

Dum nova vernat humus, ſubitiſque arridet alumnis.

Denique viginti aliquot verſibus brevior es utroque Paraphraſte. Fateor ſeriò & bonâ fide, me non audere per pudorem exprimere laudes, quas ego judico te mereri.

Sed, ne fraudetur lector tam exquiſitè eleganti carmine, ſubjiciam totum. Quæſo te vel patriæ cauſſâ, cui vivimus, ne patiare venam illam tuam exareſcere. Non deeſt argumentum, cui eſt & materies & Mæcenas, JACOBUS MAGNUS. Vale.

Incerti ad Thomam Rhædum Carmen.

AT periiſſe tibi tacitas ſi conſtat Amyclas,
Cur tibi Amycleo more perire placet?
Barbita ſi Phœbi taceant, quis barbita laudet?
Aut quis in iis uſus, quidve leporis erit?
Si prædulce melos tacuiſſet Thracius Orpheus,
Nec fera, nec cœptum ſiſteret amnis iter.
Gemmatas niſi pandat avis Junonia pennas,
Incaſſum tantas Argus haberet opes.
Tu quoque Pieridum ſi munera ſacra recondas,
Munera Pieridum deperiiſſe puta.

Cl. Viri Gulielmi Cuminii, Philologiæ primò, poſteaque Philoſophiæ in Acad. Edinb. Profeſſoris, de Gulielmo Stuarto Ochiltrio Teſtimonium.

Thomæ

Thomæ Bello, H. L. P. Gulielmus Cuminius S.

QUos ad te, dilecte Frater, non ita pridem miſi verſiculos, raptim quidem illos & calente calamo fuſos, audio jam prelo ſubjici; quod licet fieri neceſſe ſit, non ſine aliquo meæ cujuſcunque exiſtimationis diſpendio, condonabo fortè, ut nihil non poſſum, perſpectæ tuæ in me voluntati & amicitiæ: tu videris ne dehoneſtamento ſint potius quàm ornamento inſigni tuo operi, elogiorum ejuſmodi non indigo, cum bono vino non opus ſit hederâ. Quo tamen minùs gravatè feram facit, quod ſubaudiam ipſos à ſeverioribus criticorum calculis communiri carmine verè heroico, vernantem auctoris geni-

---

* *Tanta linguæ Latinæ cognitione vir hic doctiſſimus inclaruit, ut omnium Latinorum Poëtarum difficillimi, Aut Perſii prologum, carmen ſatis obſcurum, liberiori paraphraſi Latinâ, quâ ſolutâ quâ legibus adſtrictâ oratione, quater ac decies variaret, adeoque Humaniorum literarum in Academia Edinburgena Profeſſionem, publicæ diſputationi ante octoginta ferè annos ſubjectam, merito ſuo conſequeretur, ceteris omnibus candidatis jure prælatus. Ceterùm, raram illorum temporum, quibus ſuus merito conſtabat bonos, felicitatem ſatis admirari non queo. Atque utinam quidem hodie eadem fierent: ſed id fuit ſcilicet ſeculum aureum, hoc verò ferreum aut luteum, aut ſi quid his pejus. Sed ad rem. Hujus porro doctiſſimi viri Gulielmi Cuminii, Joannis Domini de Relugas in præfectura Moravienſi filii natu ſecundi, Jacobi fratris natu maximi nepos, familiæ heres, vir reverendus, D. Patricius Cuminius, verbi Divini apud Edinburgenſes Miniſter dignisſimus, doctiſſimuſque in ſtudiis Edinburgenæ Theologiæ atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor Regius, ac Concionator cum primis facundus, nemini minimum ſumma cum dignitate ac ſecunda exiſtimationis fama ſuſtinet. Idem vir clariſſimus inter principes hujus libri Editionis auctores atque procuratores, merito ſuo, ſerò ſed ſeriò, grato animo beneficiique memore nobis hic commemorandus venit.*

[redacted] redolente, eximiæ ſpei juvenis D. GULIELMI TUARTI OCHILTRII, qui in laborantis & exſpirandæ Poëtices incrementum, felice Mercurio, imo Numine propitio natus videtur. Quare tibi auctor ſum, imo ſupplex, ut opuſculo tuo ſubjungas quam nuper exhibuit verſionem noviſſimam Pſalmi centeſimi quarti, exacto nondum anno ætatis decimo quinto, ut vel inde pateat, quantas ſpes faciat erectioris animi, & Poëticen ad ſupremum culmen etiamnum non fuiſſe perductam. Patriæ honori, almæque veſtræ matris, quæ ſuo gremio tam ingeniam & generoſam ſobolem fovet & complectitur, hoc virtutis & literaturæ incitamento id non denegabis, neque importunitati votiſque amiciſſimi tui.

Dabam Sterlini, 27. *Decemb.* 1672. GUL. CUMIN.

Ejuſdem viri clariſſimi Thomæ Belli de eodem Gulielmo Stuarto Ochiltrio Teſtimonium. ‡

POſtquam nobiliſſimus hujus carminis auctor ſummâ Phœbi induſtriâ ad Poëſin factus & informatus, Muſisque propitiis natus, ſuâ ſponte, aut noſtro Præceptorum monitu, themata ſubinde multa præclarè tentaverat, auſus & tandem non ſine Dîs animoſus puer ſe rebus viriſque ingenis miſcere, & in divinis Muſarum choreis, ducente BUCHANANO, reſtem ſequi; quo ſucceſſu, quâ ingenii laude, & ſpei effulgentis luce te arbitrum appello. Sunt hæ meſſis uberioris primitiæ, hæc victimæ pollucta prima limina, hoc operis, quod molitur, perfecti ſpecimen antecedaneum. Deus Opt. Max. indulgentiâ largus pulcerrimum

c

‡ *Exquiſitæ hujus viri clariſſimi, Philologiæ quoque in Academia Edinburgena Profeſſoris olim digniſſimi, eruditionis luculentum exſtat teſtimonium, liber ab eo compoſitus elegiſque, cui titulus* Roma reſtituta: ſive Antiquitatum Romanarum Compendium abſolutum; *opus doctiſſimum, studioſæque juventuti utiliſſimum, tum in Scotia, tum apud exteras etiam regiones typis non ſemel commiſſum. Exſtat in id ejuſdem Gulielmi Stuarti Ochiltrii carmen profecto non inelegans, iſtius operis excellentiæ, ſuæque ſimul venæ poeticæ haud obſcurum argumentum, quod propter loco hic indicatum haud exiſtimavimus.*

mum ſanguine & cognomento regio ornamentum, ejus tiſſimum rei literariæ præſidium, ſuum Muſis delicium, nobis, ſcholæque noſtræ dulce rarumque decus diutiſſime conſervet, melioribus uti fatis det, opibus maclet, proſperet. T. B.

De eodem nobili juvene vaticinium.

NObilis hic juvenis, ſi vitæ ſtamina ducat,
Caſtalidaſque colat, carmine clarus erit.

In Thomæ Belli librum, cui titulus Roma reſtituta, *Gulielmi Stuarti Ochiltrii carmen.* *

MUſa ſtupet, trepidiſque premit præcordia fibris,
Antiquum luſtrare decus: ſeu bellicus ordo
Progreditur, moleſve tumet ſpecioſa theatri,
Sive triumphatis reſonant Capitolia pompis.
Hæc oculos animoſque tenent, ubi Roma refurgit
Auſpiciis rediviva tuis; ubi fronte verendâ
Eruta fonte ſuo ſtat conſpicienda vetuſtas.
Quantum Roma tibi, tantum tua gloria Romæ
Debuit, & quantum ducibus ſua Roma vetuſtis
Contribuit virtute decus, tantum ardua Romæ
Ceſſit inexſtinctis exſtincta potentia faſtis.
Te poſcit tua Roma, ſuum te Scotia civem
Vendicat: at fortes Decios, Marioſque potentes,
Prædicat indomiti miratrix Roma Camilli.
His patriam tutari armis, patriæque decorem,
Cura fuit: tu morſa ſuis monumenta tenebris
Eruis, antiquæ renovanſ primordia Romæ.
His patriæ tibi ſurgit honos, hæc ſæva vetuſtas
Invidet arcanis non eſſe ſepulta tenebris,
Nec mortis ditione premi: ſed provida virtus,

An-

* *Nobiliſſimus hic adoleſcens, ſummo bonorum atque doctorum omnium deſiderio, die Februarii duodecimo, anno* 1675. *in medio ſtudiorum ſub Profeſſoribus Academiæ Edinburgenæ curriculo, exacto nondum ætatis anno decimo ſexto, prematurâ morte præreptus eſt, præcocis admodum ingenii, Muſarumque ſtudiis aptiſſimi, plurima ſpecimina manifeſta poſtquam edidiſſet. Ceterùm, cum hoc exſtincta eſt illuſtris atque antiqua Ochiltriæ Stuartorum familiæ dignatio.*

n inconcuſſa minis, hæc laudis avitæ
ternis ſibi conſecranda trophæis.

æ Belli Romam reſtitutam *Niniani Pa-*
ni carmen. †

tia Roma tibi ſtetit olim gloria bello,
Dum tremuit faſces axis uterque tuos.
uæ cœlo bello caput extulit olim,
c ceçidit bello, vix ſit ut umbra ſui.
s dominæ rerum vix cernimus urbis,
oma Romam quærimus, urna ſui eſt.
lim cecidit bello, quæ condita bello,
LO eadem tantum reſtitui potuit.
animas urbis doctis ſimulacra figuris;
t Roma ſuum jam tibi, BELLE! decus.

, *muſicolæ venuſtiſſimo, D. Niniano Pater-*
Paſtori Libertonenſi, Thomas Bellus S.

a mihi ſtudium nuper, tibi gratia cordi,
Utraque germano ſemine nata Jovis.
nunc facta animis, ac ſede novatâ,
benigna tibi, gratia blanda mihi.
uæ fuerant, communia commoda fiunt,
a dat carmen, muſaque grata vicem.
eſcit amor, coeunt ſic fœdera rerum,
rat alterius qui ſua ſponte dedit.
bellipotens jubeat modò virgo, repentè
aternus ero, tu mihi BELLUS eris.
lecimas, pius es: duodena tulisti,
tu Herculeo copia macta beat.

T. BELLUS.

nenſis hic fuit, Verbique Divini ad Libbertonam,
linburgo bina circiter millia paſſuum diſtantem, an-
ta fere annos Miniſter. Scripſit ediditque Epi-
m libros octo, cum quinquaginta Pſalmorum Da-
paraphraſi poetica: qui liber omnium jam mani-
nfertur paſſim, legiturque etiam non ſine aliqua
um ab ingenii acumine, cum carminis elegantia ap-
,

Joannes Baird de Newbaikh Niniano Paterſono S.

PErlegi eximios oculis animoque libellos,
Ingenii admirans flumina ſacra tui.
Judice me vigilem redolent operoſa lucernam,
Sparſa & odoratis pictaque cuncta roſis.
Ut qui ſuccedens doctis penetralibus hoſpes,
Aonidumque hortos, Heſperidumque putet.

Joannes Anderſonus D. Niniano Paterſono, ſuo & Muſarum alumno, S.

SIdera multa ſolo, cœloque micantia noſtro,
Atque ſalo, rutilas ſpargebant aurea flammas,
Tempore quo noſtri Buchanani buccina buccâ
Pieridum ſonuit; quæ, dædala machina mundi
Donec erit, Latiâ reſonabit maxima terrâ,
Et ſpatio poſt hunc aliquanto tempore lapſo.
Proh dolor! aſt ævo patiuntur lumina noſtro
Et Phœbus Phœbeque ſoror: jam culmina Pindi
Rarus adit famulus Muſarum; Aganippidos undæ
Rarus adit latices: paucos jam numine ſacro
Delius inſpirat, neque dantur præmia vati:
Ut meritò Naſo ſtudium ſine fruge vocârit,
Quòd comes eſt maleſuada fames, & turpis egeſtas.
Sacra diu Clarii cum ſic diſpreta jacerent,
Ecce! PATERSONUS ſoboles peramata camœnis
Exoritur, miſeratus eas: & vindice dextrâ
Ac facili calamo, moribundas arcet ab orco.
Ne pudeat, Niniane! tui, ſed mâcte laboris,
Magna Panomphæi reſeres myſteria quamvis:
Hoc itidem fecêre olim non lumina pauca,
Quæ dum clara dies, ſeu numina clara nitebunt,
Nec pudeat natale ſolum quæ Glaſcua, cujus
Ubera ſuxiſti roſeis pergrata labellis,
Te quoque Caſtalidûm ſe tanto jactet alumno
Noſtra domus, tibi quæ Phœbi penetralia pandit.
Jamque vale, auſpiciis currat felicibus opto
Quod meditaris opus: faveat, foveatque precamur,
Partus ingenii quicumque revolvet acuti.

D. Hen.

D. Henrico Henriſono, Medico & Poëtæ celeberrimo, Ninianus Paterſonus V. D. M. S. *

HEnriſone! duplex cui circum tempora laurus
Floret, utrumque cui præſtat Apollo decus.
Sive Machaoniam poſcant contagia dextram,
Seu placet argutæ plectra movere lyræ.
Publica morborum requies, laus prima medentum,
Ægrorumque ſalus, præſidiumque cluis,
Si Buchananeis certat tua muſa camœnis,
Aptat ut liſcidæ plectra Latina lyræ.
Vatis Idumæos miſcent ſtygioſque triumphos
Et medici, docto ſic monumenta manus.
Si mediocris artus, ſanetve poëtica mentem,
Nulli equidem vitæ ſanior uſus erit.
Sic radient gemmâ viventi tempora palmâ,
Claraque defuncto deſtinet aſtra Deus.

In obitum Archibaldi Pitcarnii Scoti, Medicorum ſui ſeculi facilè Principis, qui fatis conceſſit X. *Kalend. Novembris, anno æræ Chriſtianæ vulgaris* MDCCXIII. *Ætatis ſuæ* LXI.

QUid fruſtra erepti fatis quæramus, amici,
Pitcarni meritis carmina digna dari?
Cum Muſæ Chariteſque omnes comitentur ademptum,
Et tantæ cladi ſe ſupereſſe negent.
Squalidus & vatum genitor, Medicæque repertor,
Abnuat ipſe ſuam Delius almus opem.
Sed neque jam doctas opus implorare ſorores,
Irrita vel Clario fundere vota deo:
Te tua, Pitcarni, celebrant, te maxime vatum,
Carmina Mæoniis æquiparanda modis;
Quæ te Pegaſeâ tollunt ſuper æthera pennâ,
Nec niſi cum mundi ſunt peritura rogo.

Hæc

* *Hujus viri clariſſimi ex filia in nepotem, natalibus ac probitate juxta conſpicuum, D. Joannem Clerk de Penny-cook, Equitem, Regii Scaccarii ex Baronibus unum, eumdemque digniſſimum, hereditario jure tranſfuſa eruditio ejus.*

Hæc licet inſignis tibi laus, ac propria, magni
Ingenii pars eſt quantula at illa tui?
Namque ſui natura parens penetralia regni,
Et vaſto pandens munera clauſa ſinu,
Quæ priſcos latuêre Sophos, latuêre recentes,
Condi uno voluit pectore cuncta tuo.
Cumque prius fœdis vinclis Medicina jaceret
Obruta, barbariem ſævaque fata gemens,
Auſpiciis rediviva tuis faſtigia tollit
Ardua, & excuſſo libera colla jugo.
Ac velut Eois lotus modo Lucifer undis
Cum ruit, aut niveis Cynthia vecta rotis,
Deſtituit ſtellas alias ſua lux; ita poſtquam
Emicat ingenii flamma benigna tui,
Amittit decus omne Cous, decus omne Galenus,
Nec retinet faciem cetera turba ſuam:
Cuique alii ceſſêre omnes, Bellinius ingens,
Jam minor, & primum dat tibi jure locum.
Verùm O! immenſo deſunt ſua verba dolori.
Mortis iter ſolitus rumpere, morte cadis.
Ergo vale, lux Scotigenûm! Princepſque Medentûm!
Muſarum columen deliciæque! vale.

THO. RUDDIMANNUS.

Ad Pitcarnium morientem.

QUid te, Pitcarni! juvat has nunc linquere terras,
Atraque Tartareæ tecta ſubire domûs?
Nobis parce, precor; morienti parcere mundo
Tune velis? fugias: nemo ſuperſtes erit.
Linquere nos ſi ſtat, ne ſit mora longa precamur.
Aſt ah! ah! paucis fas revocare gradum.

Pitcarnius reſpondet.

TErras purgabam monſtris: fatalia terris
Monſtra Erebi in ſedes nunc domiturus eo.
Me jugulante cadent immanis Cerberus, angues
Atque Meduſæi, nulla & Erinnys erit.
Orpheus hîc ſilvas duxi, fluvioſque moratus;
Orpheus & manes voce lyrâque ciam:

Si-

is haud ſaxum verſabit, & octùs urnas
ides abjicient, Æacus ipſe ſuam.
opaa ferens, ſuperas evectus ad auras,
hera conſcendam: Juppiter æquus erit.
ſtus ſuperis ſpumantia pocula ducam:
ia Pitcarno ſidere ſtella cluet.
'erguſiadas ſpectabo lumine læto,
ue Caledoniis uſque favebo meis.

JO. KER.

To fidei ejuſdem Archibaldi Pitcarnii, die Decembris, anno 1712.*

: Chriſtus juſſit ſe noſtram ſumere formam,
Ipſe hominum rector, Filius ipſe Dei.
mines juſſit mortales eſſe beatos,
patris vellent, qui ſua juſta ſequi;
qui, queis ille Pater, queis Filius ille
homines fecit, ſemideoſque viros.
alii voluit faciendum quod ſibi vellet,
ue numiſma tui Cæſaris eſſe ſuum.
, Chriſte! die natus Pitcarnius olim
ſpice, Te coluit, Te colit, atque colet.

A. P.

Illatio ex confeſſione Pitcarnii.

c tua, Pitcarni! fidei confeſſio Chriſti,
Viva fides fuerat, quod benefacta probant.

For-

---

ijus viri celeberrimi Pſalmi CIV. paraphraſis poeti- Gualteri Daniſtonii, Ludimagiſtri Muſſelburgenſis , ita volente tum Pitcarnio, ante quadraginta annos rgi fuit impreſſa. Daniſtonii autem non fuiſſe, e- paraphraſeos exemplar accuratius (cui proinde poſtre- ctoris manum acceſſiſſe credibile eſt) inter ſelecta alia ltiſſimi ante duodecim annos Edinburgi excuſa poe- tod comparet, indicium præbet manifeſtum. Ceterùm, ſuis eruditiſſimis per ora hominum toto orbe volitanti- bre adeo indeptus eſt nomen princeps ille medentum, t de eo hic adjicere ſupervacaneum omnino ſit.

Fortunis inopes, ægroſque levare medelâ
Promtus eras, triſtes aut hilarare jocis.
Non ſapit hæcce fides Arii, nec dogma Socini,
Sanguinei praxin neve rebellis olet.
Hâcce fide ductus didiciſti Cæſari, & Iro,
Et dare cuique ſuum, temnere & orbis opes.

Epitaphium.

ECce! Mathematicum, Vatem, Medicumq; Sophumq;
Pitcarnum magnum hæc urnula parva tenet.
R. CALDER.

In obitum dolendum Archibaldi Pitcarnii, qui obiit Edinburgi 23. *Octobris* 1713, *anno ætatis* 61, *Patre ſuperſtite.*

QUantum jacturæ fecit Medicina, Matheſis,
Et Sophia, & Muſæ, te moriente, novem,
OEnotrii natrent, Galli, tum Belgica tellus,
Angli, Germani, & patria mœſta tua.
Pythagoræ Samii plus certo dogma videtur,
Corpore multæ animæ nam coiêre tuo.
Geber & Euclides, Plato, Syracuſius ille,
Mæonides, Flaccus cum Cicerone, Maro:
Hippocrates, Chiron, Podalirius atque Galenus,
Convenêre animæ centro habitare tuæ.
Rimando magni & parvi penetralia mundi,
Scrinia naturæ, te referante, patent.
Tu conclamatas animas ex faucibus orci
Cogebas proprias ſæpè redire domos.
Laſſabas Lacheſin nendo, Clothoque ſororem
Tu nova cogebas addere penſa colo.
Hanc mortem gaudet durâ cervice rebellis,
Atque Deum fictâ gens pietate colens.
Sed vulgus, proceres, princeps & turba ſophorum,
Artes & linguæ, te moriente, dolent.
Muſa ſtupet, morbique vigent, mors atra triumphat,
Ex quo tu letho victima grata cadis.
Plura recludemus, vir ornatiſſime! de te,
Aſtræa his terris quando redibit ovans.

D. D.

Davidi Drummondo, Edinb. 25. Decemb. 1713.

NAtalis Chriſti, lux feliciſſima mundo,
Te cum Pitcarno protulit illa dies.
xus amicitiæ veſtræ, Drummonde! juvabit
Pitcarni manes hâc memorare die.
ılta ſtylo obſcuro Pitcarnus carmina ſcripſit,
Perſpicuo calamo aſt adſerit ille fidem.

In mortem Archibaldi Pitcarnii, M. D.

COTIA te raptum dolet, æternùmque dolebit,
Grande Sophôn, Medicûm, Caſtalidûmque decus!

igne hoc elogium, quod alicubi Pitcarnio adſcriptum animadverti, de magno illo Medico coronidis loco hîc adjicere haud abſurdum viſum eſt.

NEc ineptè de eo adfirmari poteſt, quod de alio Medico, his verbis: Salvete Parcæ! quæ parcè vitam :dico neviſtis, ne parcere videremini. Nimio plus jam erat: ſexagenarium opportunè de vita dejeciſtis: qui ixiſſet diutiùs, ſanitas mortalis propè immortalis fuiſ- Invidebat ſcilicet manes Superis, Charonti naulum, ıtoni umbras, Libitinæ pompas, præficis planctus, linctoribus unctiones, veſpillonibus funera, ſan- ılariis feretra, deſignatoribus ordines, tibicinibus nias. Reddidiſtis ſingula ſingulis, omnibus omnia. ınc abeunte Medico, febris exſul reditura eſt, ſani- ægrotabit, jacebunt remedia, morbi in regno erunt, e invitæ morientur. Salvete iterum Parcæ! quæ ſaln vultis neminem: vobis de hoſte ſpolia opima referlicet, nec jam Feretrio, ſed feretro dedicare.

ınc paraphraſin poëticam Pſalmi CIV. clariſſimi viri D. Thomæ Hopæi de Craighall, Militis Baronetti, Advocati olim Regii ſereniſſimi Britanniarum Monarchæ, CAROLI I. ſuo prætermiſſam loco, hîc, alieniore licet, omninò quàm prætervehere, exhibere ſatius viſum eſt: lectorum ſcilicet commodo atque voluptati conſulentes. Ce-

terùm, hæc paraphraſis excerpta eſt ex ejuſdem viri Cl. codice Pſalmorum M S. exarato ſub annum 1617. *penes Bibl. Juridicam Edinb.*

Sereniſſimo CAROLO, *Scotiæ & Valliæ Principi, Pſalmorum & Cantici Canticorum Dedicatio.*

MAxime, in heroo, Princeps! cape carmine ſacras
Jeſſiadæ, Iſacidûm Regis Pſaltiſque, camœnas:
Hymnumque hymnorum, quo ſuavi ænigmate caſtos
Rex Jedidija canit ſponſi ſponſæque hymenæos:
Non phraſeologiæ ſub liberioris amictu,
(Quo genere à multis, quos inter SCOTIA palmam
Præripuit, venæ non pòſt imitabilis æſtro:)
Fontis at Hebræi purâ præeunte figurâ,
Hincque ſtyli ad Latii ſtrictam (quâ quibat) amuſſim,
Abſque peregrinæ fuco faſtuve loquelæ.
Utereque his ergò quo fine exſcripta, foveque
Jugiter; ut, Jovæ hîc verſans ſub lumine, poſtquam
Sis ſceptro ſatiate brevi, potiare perenni.

Pſalmi Davidis Regis CIV. paraphraſis poetica: Auctore Cl. viro Thomâ Hopæo de Craighall *.

OAnima! elogiis mea Jovam tolle ſupremis.
Summe Deus! multâ es tu majeſtate verendus,
Teque decor, radiiſque micans te gloria cingit.

Se

* *Hic vir clariſſimus non Poeta ſolùm ſummus, quod Pſalmorum Davidicorum, Canticique Solomonis carmine heroico elegantiſſimo paraphraſis poetica, luce profectò digniſſima, luculentiſſimè teſtatur, verum Juriſconſultus etiam eximius, prudentiſſimuſque exſtitit: cujus rei præter alia manifeſtum exſtat indicium, in id argumenti ab eo olim conſcriptus liber, nuperrimèque in lucem datus. Ceterùm, Gallum hunc origine accepimus, quæ res à vero non abludere videtur; ejus ſiquidem poſteri, in plures ſplendidiſſimas propagati familias, (quas inter primas facilè obtinet nobiliſſimus Hoptoniæ Comes, inter Scotiæ Nobilitatis Heroes, tum ingenii tum divitiarum copiis haud poſtremi certè nominis) Gallicæ gentis civilitatis morumque elegantiæ tenaciſſimi, vividoque etiam ejuſdem ingenii acumine, in hunc uſque diem, ad unum omnes præditi*

Se roſcæ Altitonans lucis veſtivit amictu,
Sidereumque velut velo diffudit olympum:
Et ſua cæruleis cœnacula fixit in undis,
Æthereoque ſedens vehitur per nubila curru,
Ventique aëriis gradiens ſecat æthera pennis,
Aligeriſque ſuis dat diûm munere fungi
Spirituum, & famulis ſua juſſa capeſſere flammis.
Telluremque ſuâ libratam mole columnis
Adſtruxit ſolidis, quæ nullo mobilis ævo eſt.
Hancque, velut veſtis, velo coperibat abyſſus,
Undæque excelſos ſuperabant culmine colles.
At ſimul increpitas fugiunt, vocemque tremendo
Ut tonitru ingeminas, ſubitò in ſua ſepta faceſſunt:
Viſique exſerto ſe vertice tollere montes,
Inque ſibi fixam valles ſubſidere ſedem.
Pontoque impoſuit, nequeat quas ſcandere, metas,
Ne refluis iterum tellus ſtagnaret ab undis:
Juſſitque è vivis emergere flumina lymphis,
Quæ, juga celſa inter, leni ſe murmure volvant:
Hincque pecus bibit omne, altnis quod paſcitur arvis,
Hincque ſitim ſilvis onagri, ſecus invia, ſedant.
Tum volucres, levibus quæ tranant aëra pennis,
Hîc ſua per medias edunt modulamina frondes.
Aërioſque rigat cœleſti flumine colles,
Lætaque multiplici ſatiatur ſemine tellus:
Unde pecus carpit viridis nova pabula fœni,
Atque olus humanos geniale adſurgit in uſus,
Eque ſolo prodit vitalem panis in eſcam,
Poclaque jucundi recreantis pectora vini,
Quique hilarat vultum fœcundi ſuccus olivi,

Cor-

---

ti conſpicuique admodùm viſuntur. Potrò, tum piâ doctâque exercitatione, (quam otii benè impenſi oblectamenta vocitare ipſe ſolebat) Pſalmis nimirum Davidicis Latino carmine vertendis, horas ſubſecivas idem vir præſtantiſſimus quàm optimè collocaverit, adeòque virorum etiam maximorum perdignum imitatione exemplum poſteris reliquerit, nemo, credo, ſanus mortalium inficias iverit. In eum præterea cultiſſimum exſtat Arcturi Jonſtoni carmen, cujus initium, Maxime Phœbigenum! *&c. quod antea exhibuimus. Denique, hoc ut obiter notem, hæc eſt decima Pſalmi CIV. Paraphraſeon Poeticarum, quæ hoc noſtro in delectu exhibentur, totidem Scotis concinnatæ.*

Cordiſque effœtas renovantia munera vires.
Jovæque arboribus genitalis copia ſucci
Sufficitur: Libanumque cedris frondentibus ornat,
Nidus ubi alitibus, latitatque ciconia denſis
Incluſa abietibus, ſuaque hîc tentoria figit.
Suntque capris colles latebræ, rupeſque cuniclis:
Et ſtata ſunt lunæ ſua tempora, ſolque per orbem
Vergit in occiduas conſtanti tramite metas.
Inde ruunt tenebræ, noxque atra incumbit olympo,
Prorepuntque feræ latebris, catulique leonum
In prædam rugiunt, eſcamque à numine poſcunt,
Moxque ſuas repetunt, exorto ſole, cavernas.
Inque vicem ſubeunt hominum cum luce labores,
Incumbuntque operi, redeat dum veſper olympo.
O quàm, Jova! tuæ ſunt geſta ingentia dextræ!
Quàmque hæc conſilio ſapienti cuncta creaſti!
Unde opibus ſatiata tuis ſtat terrea moles,
Undeque laxa fluunt ſpatioſi murmura ponti:
Turbæ ubi ſquammigeræ natat innumeroſa propago,
Parvaque ubi degunt immixta animantia magnis,
Eſtque ubi veliferis curſus ſtatioque carinis,
Effinguntque ſuos ubi cete immania ludos.
Omniaque à te uno pendent, teque omnia poſcunt,
Cuique ſuum proprio tribuas ut tempore victum.
Tuque ut das accepta ferunt, dextramque benignam
Te pandente tuam, donis ſatiantur abundè.
Teque tuam rurſus faciem condente, fatiſcunt,
Sublatâque ruunt animâ, in cinereſque recurrunt.
At ſimul inſpiras animam, rediviva reſurgunt,
Telluriſque iterum facies quæ priſca revertit.
Summa ſit ergò Deo laus cuncta in ſecla ſupremo!
Inque ſuæ geſtis dextræ Deus uſque triumphet!
Ab cujus vultu tellus pavefacta tremiſcit,
Tactique emittunt cum fumis fulgura montes.
Ergò canam Domino, dum vitæ perfruar aurâ,
Jovamque extollam, ſim quamdiu in orbe ſuperſtes.
Deque illo mea ſuavis erit meditatio valdè,
Inque Deo exſultim jugi lætabor ovatu.
Peccatrixque ruet gens de tellure, nec ultrà
Impia ſubſiſtet rabies: at tu mea ſummum
O anima! elogiis fer Jovam in ſecla ſupremis,
Omneſque excelſo canite hallelujah Jehovæ.

PAR-

PARAPHRASIS
JOBI
POETICA:

Auctore PATRICIO ADAMSONO, Sancti Andreæ in Scotia Archiepiſcopo.

EDITIO ALTERA.

CAP. I.

TErra eſt, Uzæam priſci dixêre parentes,
Cultor ubi recti, & vitæ degebat Iobus
Integer; ante oculos cujus, pietaſque, metuſque
Numinis, & ſceleris maleſuadi ſerius horror.
Septem illi nati, dilectæ pignora tædæ;
Femineæ tres ſortis erant: Quid ruris honores
Commemorem? latis armenta errantia campis;
Lanigeræ pecudes ſeptenis millibus ibant;
Millia complebant robuſti terna cameli,
Mille boves curvis ſolers jungebat aratris,
Æetaque quingentæ carpebant paſcua aſellæ:
Frebri aderant famuli, nec quis poſſederat alter;
Latius, Eois quâ ſol ſe porrigit oris.
Septem inter ſeſe fratres de more ſolebant
Exercere epulas, caraſque ad feſta ſorores
Diſcere; & alternis mulcebant pectora menſis.

At pater ut primùm convivia mutua vidit
Impleviſſe vices, miſit qui protinus omnes
Expiet, & mundæ luſtret libamine lymphæ.
Ipſe autem primò ſupplex ſe manè ferebat
Ante aras, ſacris adolens holocaumata flammis,
Pro numero ſobolis: Nam, ſi mea forſitan, inquit,
Progenies, interque epulas, interque lyæum,
Quid temerè effudit, factove, aut voce Tonantem
Læſerit, offenſi placabo numinis iras.
Inque dies talem ſe matutinus agebat:
Jamque aderat tempus, quo Jovæ celſa frequentes
Atria cœlicolæ celebrant ante ora parentis.
Ecce autem ſatanas: cui ſic moderator olympi,
Fare, age, tentator, quibus huc adveneris oris?
Ille autem, magni circum pomœria mundi
Erro fui, & vaſtæ peragravi jugera terræ;
Pars orbis nulla eſt, noſtri non plena laboris.
Cui Pater omnipotens. Nuſquamne inſpectus Iobus
Eſt tibi, vir noſtri metuens, quo juſtior alter
Non manet in terris, aut obſervantior æqui?
Scilicet, ille pius, nullâ mercede Tonantem
Suſpicit, invicto circum munimine ſeptus
Undique, cui pleno demanat copia cornu
Cælitùs, adverſis nunquam tentata procellis:
Verte vices rerum, fortunæ nixa beatæ
Terga dabit pietas, inque os convicia fundet
Libera, blaſphemiſque laceſſet te maledictis.
Talia tentator: cui mox immittit habenas
Omnipotens, quidquidque bonus poſſedit Iobus,
In ſatanæ dedit eſſe manu; tantùm imperat, ipſo
Abſtincat: non hæc hoſti conceſſa poteſtas.
His monitis ſeſe ſubducens juſſa capeſſit.
Et jam tempus erat, quo, natû primus Iobi
Excepit fratres epulis, caraſque ſorores,
Vinaque libabant læti, genioque favebant.
Ecce autem, celeri accurrens velociùs Euro
Nuntius exclamat, populantes arva Sabæos,
Intentos operique boves, aſinaſque per herbam
Paſcentes, cæſis ferro cuſtodibus, omnes
Diripuiſſe; & ſe ſolum ſupereſſe furori,
Qui Jobi tantam cladem perferret ad aures.
Vix ea fatus erat, ſeſe cùm nuntius alter

In-

Intulit, è cœlo flammanti turbine tactos
Esse greges, sese de tot pastoribus, unum
Crudeli ereptum letho, qui vera referret
Flammivori monumenta ignis; subit inde loquenti
Tertius, & terno partitis agmine turmis
Chaldæos, secum raptos egisse camelos
Commemorat, cædem latè stragemque dedisse,
Nec famulum supersse refert, se ex hostibus esse
Elapsum, dominum clades ne tanta lateret.
Jamque aderat quartus, qui verba loquentis ab ore
Arripit, & mœstâ sic voce affatur Iobum:
Dum nati natæque tuæ convivia læti
Concelebrant, fratrisque sui subière penates
Primævi, extremis deserti à finibus ingens
Incubuit ventorum agmen, junctasque resolvit
Compages, parte ex omni, concussaque sævo
Turbine, tecta ruunt; subitâ, heu! tua pignora clade
Strata jacent; misero soli mihi dura negarunt
Fata necem, tanti ut luctûs tibi nuntius adsim.
Tum verò exsurgit, vestemque à pectore Iobus
Diripit, abraditque comam, tum numen adorat
Pronus humi, ac infit: nudum me in luminis oras
Edidit infantem genitrix, nudusque revertar
In cineres, generis quondam primordia nostri.
Jova mihi largitus opes, mihi rursus eadem
Abstulit, ejus honos semper, laudesque manebunt.
Sic fatur; nec vocem illi scelerata resolvit
Impietas, numenve injusto murmure læsit.

CAP. II.

JAmque iterum Angelicæ præstò venêre cohortes
Ante Deum, summi exspectantes jussa parentis;
Nec satanas aberat, fraudisque dolique magister;
Cui pater omnipotens; dic quæ te, perdite, nobis
Advexit regio, aut unde hæc ad limina tendis?
Ille autem, vastæ linquo circundata terræ
Mœnia, & ambitum variis erroribus orbem.
Quem sic adfatur, nutu qui temperat axem,
Vidistine, inquit, Jobum? cui nulla per orbem
Par pietas, puram recto qui tramite vitam

Ingreditur, noſtri metuens, fugienſque malorum?
Haud ille abſtinuit rectos inſiſtere calles,
Immeritum contra quamvis odia aſpera fruſtrà
Moveris, & verbis nos irritaris iniquis,
Perdere jam dives quidquid poſſedit Iobus.
Tentator contrà, non hæc ego magna putarim
Argumenta pii, quis enim ſe funere demens
Servare alterius, quis opes, cunctaſque paciſci
Divitias, dulcis nollet pro munere vitæ?
Sin tabo ipſius carnes, atque oſſa medullis
Contigeris, quantas contra te colliget iras?
Tum Pater excelſas cœli qui condidit arces
Lora manu demens, dilecti corpus Iobi
Permittit ſatanæ, tantùm, inquit, ſtamina vitæ
Nolo ſeces; vitæ, moneo, parcatur Iobi.
Haud mora, pallenti peſtes mox evocat orco
Tentator, Stygiâque lue, en! liventia membra
Inficit, & toto diffundit corpore virus.
At conſtans, patienſque mali, degebat Iobus
In cinere, & durâ radebat vulnera teſtâ.
Quæ ſimulatque oculis conjunx percepit iniquis,
Siccinè, ait, moriens, & clade oppreſſus acerbâ,
Integer es, Jovamque illum laudaſque, coliſque?
At Jobus, muliebri, inquit, te more loquutam
Arguit imprudens ſermo, nos rebus opimis
Ditati quondam divino munere, Numquid
Adverſos æquâ toleremus mente labores?
Sic ait, & nullo temeravit crimine linguam.
Et jam per cunctas rumor penetraverat urbes,
Atque Themaniten Eliphan, Bildadque Suhiten,
Et Naamathiten Sophoar, quos ſanguis Iobo
Junxerat, & miſeri caſus commovit amici,
Evocat, ut rebus conſolarentur in arctis.
Quem procul ut cernunt oculis, ignotaque diſcunt
Ora viri tandem, ruptam de pectore veſtem
Diripiunt, fœdantque ſuos in pulvere vultus,
Proſtratique jacent, dum ſeptima lumina Phœbus
Perdit, & aſſiduo paſcunt jejunia fletu,
Nec voce appellant ullâ, ſic improbus illum
Urgebat dolor, & totos inſederat artus.

CAP

CAP. III.

n Jobus emiſsâ ſic voce ſilentia rumpit,
ataleſque ſuos, & primos devovet ortus.
m, æthereas qui me produxit in oras,
, fœta quæque efformavit in alvo,
que marem, tantæ nox conſcia cladis
at! Lux illa, atris immerſa tenebris,
ſine fine diem, ſit nulla ſupernè
eo, nunquam Phœbæo ſplendeat ortu!
s, triſti ſed morte, & noctis opacæ
is ſemper devota expalleat umbris!
li denſus cæcâ caligine nimbus
, infauſtuſque æternum obnubilet æther.
ſoliſque vias, lunæque labores
, & menſes redeuntis neſciat anni.
lata, illætabilis, undique luctu
at, ingratos vitæ quicunque labores
, hæc illi nox exſecrabilis eſto.
tutinos unquam ejus Lucifer ignes
& toto palleſcant ſidera cœlo;
entque diem, qui nullo mobilis ævo,
atæ cupiat ſuccedere nocti.
illa mihi miſeræ primordia vitæ
atque uſum lucis monſtravit acerbæ.
ur noſtros uterum patefecit in ortus,
olem miſerata, parens! cur ubera ſuxi
cur genibus ſedi, cur lumina vitæ
idens, plures auxi infeliciter annos!
c alta quies tacitum ſub nocte ſilenti
t, & magnis felix par regibus eſſem,
buſque viris, qui ſolis ardua campis
truunt, ſeclis olim monumenta futuris;
tuta locent argenti pondera & auri:
ori miſerum fœtâ genitricis in alvo
tuiſſe, ipſovè animam hanc effundere in ortu?
crudeles æquali ſorte tyrannos
us miſcent, nec iniquus creditor urget
, nec famulos nexorum vincula terrent.
s magno, & captivis libera colla,

Æter-

Æternùm, nullo lethi diſcrimine, diſtant.
Sed quorſum Pater omnipotens mortalibus uſum
Largitur vitæ, quos ſemper dura malorum
Exercet ſeries, & mors optata quietem
Invidet, & ſurdâ clamantes deſpicit aure?
Utque actis ſcrobibus defoſſum quæritur aurum,
Haud aliter gens preſſa malis, tellure ſub imâ,
Scrutatur mortis foveas, gaudetque ſepulcro.
Cur, inquam, dat vitam homini, cui ſemita vitæ
Nulla patet, cæcos obducunt nubila greſſus?
Ante cibum ex imo duxi ſuſpiria corde,
Aſſiduos gemitus, qualis vis turbida aquarum
Defluit, aut rabidos cernas rugire leones.
Quippe iſtos metuit ſemper mens ægra dolores,
Heu veri præſaga nimis! Menè ulla quietum
Securumvè dies carpentem gaudia vidit?
Advenit tamen, heu venit commotio grandis,
Mœſta dies nobis, & ineluctabile tempus!

CAP. IV.

MOx Eliphas Jobum tali eſt ſermone ſequutus:
Non ingrata tuas ſi fortè accedit ad aures
Vox mea, pauca tibi conabor dicere; ſed quis
Temperet à fando? tu qui ſub pondere preſſas
Firmaſti vires dextrâ, & genua ægra trahentes
Fulſiſti auxilio: nunc primo in turbine rerum
Greſſibus incedis dubiis, & limine in ipſo
Das victas ſub faſce manus, ubi fortia quondam
Pectora, & afflictis conſtans patientia rebus,
Et pietas laudata, & mens ſibi conſcia recti?
Quin age perpetuos annorum evolve labores;
Num juſti periêre unquam? ſinceranè cuiquam
Attulit exitium pietas? at perdita contrà
Impietas, lætis quamvis concredita ſulcis,
Germinat in pœnas, triſteſque educit ariſtas,
Cultori ingratam meſſem; cum infrenduit ore
Omnipotens, juſtaſque animum commovit in iras.
Cum rugiunt crudi ſævâ feritate leones,
Accenditque fames rabiem, catulique minaces
Prædæ inhiant, denteſque acuunt, gens impia fruſtis

Com

mmolitur, perditque immanis bellua campi.
ic equidem vidi, ſed nondum cognita nobis
uſſa fuit, donec rerum monſtraverat auctor.
Nam dum grata quies mortalia pectora ſomno
cupat, & placidæ ſpirant oblivia noctes,
ce repentinus ventus pernicibus alis,
eſentis dat ſigna Dei, mihi protinus horror
ubuit, gelidoſque tremor penetravit in artus.
im non viſa prius per noctem effulſit imago,
venti poſuêre animos, mollique ſuſurro
ra levis tacitâ hæc nobis immurmurat aure:
im poterit quiſquam mortali è ſemine cretus
ſtitiâ præſtare Deo? rebuſvè creatis
e opifex cedat, qui factum temperat orbem?
non ipſi audent illo conſiſtere coram
elicolæ, velatque ſuos gens conſcia vultus.
ain quoſdam ſcelus ante alios immane parantes
octe ſub obſcurâ dedit atra in Tartara quondam
æcipites; quiſquamne igitur quem terrea cingit
ongeries, putriſque exſpectat blatta ſepulcri,
udebit poſthac tanto ſe attollere faſtu?
am veluti verno ſurgunt qui germine flores,
uos matutinus tepido ſol elicit ortu,
le ſub occiduo prima moriuntur in herba;
c generi humano breve & irreparabile tempus
incipium finemque adfert; vitæque caducæ
ra brevis multo turbarum fluctuat æſtu.
niſi divinæ clementia provida dextræ
ſtaret, certè æternùm ſine fine perirent.
c ſapiens vitare ullus fatalia poſſit
mpora, cum mentis truncum vis vivida corpus
luerit, & gelidis abit excellentia clauſtris.

CAP. V.

Vin tibi ſectandos potius proponis, Iobe!
Inſignes pietate viros, juſtoſque, proboſque
nſulis, an ſancto quiſquam dignetur in albo
ſpondere tibi? ſtultos ſi fortè rogâris,
emplarque illud placeat, divina repentè
premet, zeluſque, ac indignatio Jovæ.

Vidi

Vidi equidem quos nulla tenet reverentia ſummi
Numinis, aſſiduo rerum diteſcere luxu;
Non aliter quàm quæ læto ſe germine tollunt
Pampineæ vites, & pleno palmite turgent.
At ſubitò exſecrata domus, devotaque diris
Corruit infelix, nec ſpes ſuper ulla ſalutis
Adfulſit ſoboli, nullo quæ vindice pœnas
In portis luit, & maturæ præmia meſſis
Prædoni ceſſit rabido, nec culta labore
Semina, nec gravidas autumno colligit uvas.
Non hæc, crede mihi, cæco fortuna rotatu
Advehit, aut caſu quicquam ſine numine nobis
Eveniſſe poteſt, cultæve è pulvere terræ
Proveniunt ærumnæ homini: ſed Rector olympi
Addidit has vitæ comites; & præmia culpæ
Certa dedit, nec certa minus, quàm pruna ſub altum
Scintillas vomit, & levibus petit æthera flammis.
Ergo erit ille mihi ſemper Deus, illius arctis
Perpetuò in rebus numen nomenque vocârim.
Innumera illius paſſim miranda per orbem
Facta patent; pluviis, qui findens æthera nimbis,
Fœcundat terræ gremium, cui divite venâ
Flumina proſiliunt latis errantia campis.
Ille ſalutiferam miſeris in tempore dextram
Porrigit, atque humiles excelsâ in ſede reponit.
At quoties pravos coiens gens impia cœtus
Inſidias ſtruit innocuis, ſcelerata coërcet
Conſilia, & vanas reddit ſine viribus artes
Providus, ut propriis ſeſe verſuta technis
Induat, & cæcis erret deprehenſa tenebris.
Non aliter luce in media, quàm nocte profundâ
Palpet, & incerto titubent veſtigia greſſu.
At pater inſontes cœlo miſeratus ab alto
Eripit omnipotens; non illis hoſticus enſis,
Aut vis ulla obcrit minitantis ſæva tyranni.
Spes illos nam certa fovet: Sed perdita contrà
Impietas, mutoque ſilet malè conſcius ore.
O fortunatos nimium, clemenſque bonuſque
Quos Deus affligit! non illa afflictio, verùm
Dulce rudimentum, & patriæ correptio dextræ;
Non ſpernenda tibi, ſævo te quippe dolore
Sauciat, & doctâ rurſum medicabitur arte.

:m patiêre vices, totidemque ſalutis
monſtrabit iter, ſed ſeptima nunquam
ærumnis turbabit tempora vitæ.
ſæva famis rabies, nec Martius ardor
xitium: nec portentoſa timebis
ıec fœdæ metues convicia linguæ.
damnârint ſteriles jejunia campos,
largo paſcet te copia luxu;
li plantam impinges, nec beſtia lædet
:d ſtabili conjunges fœdere agrorum
tutamque colet fera beſtia pacem;
ıquam, domui, ventura in ſecla perennem,
ınque tuæ; quæ tu ſpectacula lætus,
ecum quondam mirabere faſtu;
e viam recti, calleſque beatos
ànctoque premes veſtigia greſſu.
des gratos flores ſub vere tepenti
tes paſſim lætis herbeſcere campis,
rogenies in ſecula ſera nepotum
:ſcet ſerie, & longæva ſenectus
ſtendet numeroſæ gaudia prolis.
ıas meſſor ſegetes ſpem colligit anni,
is flavam cererem componit acervis:
um annis, ſic te expletumque dierum
:umulo tellus, gremioque fovebit.
dem ſunt hæc, uſuque edocta magiſtro:
ırtè ſapis memori ſub mente repones.

CAP. VI.

Jobus, ô trutinæ ſi quis moderamina rectæ
tineat, queſtuſque meos, fævoſque dolores
ior, judex æquato examine penſet!
meâ levior plagâ vaſti eſſet arena
& totis pelagi præponderet arvis:
ıis æquare queo; mortalia quippe
n me nulla tenent, ſed tela veneno
& ſiccas exhaurit ſanguine venas
ens, trepidiſque infert terroribus arma,
ıeratque aciem, & multo me turbine vexat.
lit teneris onager benè paſtus in agris?

Aut bos manſuetus plena ad præſepia mugit?
Cui placitura albugo, ſalis ſi copia deſit?
Me cum dira lues tabo conſumat inerti,
Ingratumque cibum præſtent languorque, dolorque,
Mirum eſt tranſverſam rapiar ſi à cardine mentem?
Quis dabit, ut, voti compos, cœleſtibus armis
Obruar, &, poſito mitis ſolamine dextræ,
Irarum laxis in me graſſetur habenis
Omnipotens, tantos ut mors extrema labores
Finiat? O nobis, inquam, mors ultima rerum
Optatâ, ventura, die, dum lingua recuſat
Noſtra nefas, vitæque mihi benè conſcius actæ
Celarim nunquam divinæ encomia laudis!
Sed cui tam validæ ſuperant in corpore vires
Hæc ut ferre queat? non ſic adamantina nobis
Ferro corda rigent, nec duro pectora aheno,
Ut valeam tantos tolerando æquare labores.
Num mihi nulla meæ ſupereſt defenſio cauſſæ?
Num penitus fugit ratio, mentemque reliquit?
Nec quiſquam eſt, adeò pietas mortalia liquit
Pectora, qui miſeri caſus ſoletur amici?
Namque ut præcipiti torrens delabitur alvêo,
Sic noti ſubitò, & cuncti fugére propinqui.
Ac tanquam tellus hyberno tempore multas
Sudat aquas, cœlo ſupra quam, plurimus imber
Irrigat, ut paſſim vaſtis exæſtuet agris,
Nix tegit, & pigro torpeſcunt marmore foſſæ.
At qui Sabbææ teſſus ſitientis arenas,
Siccaque Themanææ peragrat deſerta viator,
Flumineos hauſtus, ſævi ſub ſidere Cancri,
Faucibus exſpectat ſiccis, tamen arida potum
Unda negat, calidiſque exhauſti ſolibus amnes:
Haud aliter ſubitâ tacti formidine, vanam
Oſtentâſtis opem, & me ſpe luſiſtis inani.
Cur quæſo vos terror habet? num munere veſtro,
Pauperiemque gravem, duræque incommoda vitæ
Solari volui, num collo hoſtilia vincla
Excutere, immitiſve jugum exitiale tyranni?
Quin potius rectum, ſi quo me devius error
Abripuit, monſtratis iter? nec vera loquentem
Arguite, aut fictis ultra contendite verbis?
O quàm acris, fundoque animum mihi verberet imo

Sans

Sana ſalutiferam ſpirans reprehenſio vocem!
Cur technas ſtruitis proli genitore carenti?
Et foveam inſonti nequicquam aptatis amico?
At nunc quæſo iſthæc animis atque auribus æquis
Accipite, haud noſtro ſermo manabit ab ore
Futilis, & noſtras iterumque iterumque querelas
Converſi juſtâ tandem perpendite lance;
Non injuſta peto: numquid vox impia linguam
Polluit? inſipidumve palatum infecit amaror,
Ut nequeam ſano ærumnas diſcernere guſtu?

CAP. VII.

STat ſua cuique dies, & meta extrema laborum,
Nec ſemper trepidis miles Mavortia campis
Bella fremit, placidiſque ſubit pax aurea pennis.
Atque æſtum fugiens ſervus ſe recreat umbrâ,
Et pretio, & gratâ ſolatur nocte laborem.
At mihi amara dies, & noctis amarior umbra,
Mutua ſollicitis producunt tempora curis.
Nox ubi pallenti cingit caligine terras,
Sic aio, ſerös ſegnis cur Phoſphorus ignes
Occulit? at niveo poſtquam jubar extulit orbe
Excrucior, donec ſero decedat olympo.
Eſt furtim nobis lento durantia tabo
Viſcera, ſordeſcitque imo ſub pectore, virus,
Diſſolvitque cutem, & putri carnem ulcere findit.
Non citiùs cuiquam radiis decurrit acutis
Trama levis, noſtræ quàm ſpes deperdita vitæ.
Sis memor, ut nobis fugitivi flaminis auram
Indideris, rerum Genitor! ſi lumina vertas,
Illicò ſuccedent tenebræ, nec tecta ſubibo
Terrea, nec caris ultra ſpectabor amicis.
Sed veluti nubes celeris vis concita venti
Diſſipat; haud aliter ſupremo tempore nobis
Vita perit, non hos iterum inviſura penates.
Ergo ego cur parcam vocique, iræque, dolorique,
Ampliùs, afflictove premam ſub pectore queſtus?
Neve putes pelago, tanto quem turbine perfles
Aſſimilem; videorve immanis bellua ponti
Eſſe tibi, ut tali cuſtode, & carcere frenes?

Forſitan afflictos lectus mihi molliet artus,
Quum dixi, tacitam portenta objecta quietem
Terrificant, diriſque agitant inſomnia monſtris,
Feſſaque mens toto ſuſpirat pectore lethum.
Ne me affligе, precor, qui non in ſecula curem
Vivere, ſed vanæ deteſtor tædia lucis.
Sed quæ laus hominis miſeri, quæ gloria tanta eſt,
Ut Pater omnipotens ſemper mortalia corda,
Aurorâ monſtrante diem, exploreſque, probeſque,
Et fragilis vitæ inquiras momenta per horas.
Quin ſinis humentem ſaltem abſorbere ſalivam.
Non ego me immunem culpæ, & ſine crimine vitæ
Profiteor, ſed quâ culpam mercede piabo,
O hominum cuſtos! cur tot me hoſtiliter armis
Aggrederis, nulluſque inimica finis in ira eſt?
Quin potius ſcelus omne aufers, & crimina delcs
Noſtra, Deus! tutum ut cognato in pulvere ſomnum
Edormire queam, plagarum experſque metûſque?

CAP. VIII.

HIs dictis Bildad ſolvens mox ora Suhites,
Siccine, ait, trepidi tanquam vis concita venti,
Verba amens ſtudio ſemper jactabis inani?
Num Pater omnipotens, celſi qui flammea olympi
Templa colit, juſtiſque orbem moderatur habenis,
Judicio cœli ſolium fœdabit iniquo?
Quid? tua cum nuper nec opinâ pignora clade
Perdidit, & letho natos involvit acerbo,
Immeritas numquid vindex exarſit in iras?
Sin tu cum primos aurora infecerit ortus,
Integras ſupplex tendens ad ſidera palmas,
Voce humili fidens poſcas in vota Tonantem,
Audiet extemplò, & pleno tibi copia cornu
Affluet, & firmis ſtabunt tua tecta columnis,
Juſtitiæ fundata manu: tibi gloria ſurget
Inclita, & è parvis tollet ſe proſpera rebus.
Quin ævi tecum recolis monumenta prioris,
Majoreſque tuos, & priſcos conſulis annos?
Non ſic immiſſis trepidant à ſolibus umbræ,
Quàm vitæ brevis hora fugit, momentaque parva

Nos

è expertes rerum, ignaroſque relinquunt.
ſed nobis prudens exempla vetuſtas,
& docto te ſic affabitur ore.
t humenti creſcens uligine turget,
elegit aquas, tamen utraque marcet
s, primâque arens flacceſſit in herbâ:
t quicunque Dei præcepta monentis
, aut fictâ pietatem oſtenderit arte,
ùs telam, quam pendula texit Arachne,
dverſi proturbat murmure cauri,
rit impuræ ſpes & fiducia gentis.
ıit incaſſum? ſubitâ inclinata ruinâ
& nullis ſtabit domus impia fulcris.
am pigris quæ primùm innaſcitur arvis,
damnata ſolo, cui noxia fibras
nunt, lapidoſa inter vix rudera ſurgit;
ı poſtquam prudens ſolertia docti
, terrâ imbutam meliore recondit,
in cœlum ramis felicibus, arbos;
:s curat, medio nec deficit æſtu,
fontes, & amœni jugera campi,
ınt ſterilis gaudentem oblivia glebæ:
r omnipotens humiles è paupere tecto
ɛ multo pietatem ornabit honore.
à impietas, ſeſe malè conſcia nunquam
umo, nunquam divinæ munera dextræ
nt lapſo poſſit conſurgere greſſu.
deo lætam ſolves in gaudia mentem
; & largo ſatiabis pectora riſu,
hoſteſque tuos cum dedecus atrum
tetroque horrens infamia vultu,
s dejecta imo tentoria fundo
ıe everſis reſtent veſtigia tectis.

CAP. IX.

poſtquam effatus, ſiluit; reſpondit Iobus.
ɔn obtuſo adeo, Bildad, me pectore finxit
tens, quemquam ut polluto è ſemine cretum
:redam perfectâ æquare Tonantem.
homini patrata, Deus, ſi crimina mille

Imputet,

Imputet, an quiſquam ſeſe purgaverit uno?
Illi cor prudens, & fortis robora dextræ,
Non illi injuſtus quiſquam ſe impunè rebellem
Præbuerit, montes qui imis radicibus altos
Verrit, nec modicæ apparet tamen impetus iræ.
Qui labefacta manu trepidæ fundamina terræ
Concutit, & ſimul ac celſi de vertice olympi
Annuerit, cæcis Titan caput occulit umbris,
Et fraudat ſplendore diem, ſignataque claudit
Sidera, qui nitidi ſolus tentoria cœli
Explicat, & tumidas ſicco pede permeat undas.
Arcturum, paribus ſomnum qui dividat horis
Atque diem, gelidæ rurſum ſub tempora bramæ,
Imbriferi madidos pluvioſque Orionis ignes,
Vere renaſcentis gratam ſpem Pleiadas anni,
Evocat actutùm, ſeptem ornamenta trionis,
Et quæcunque alter nobis intercipit orbis
Auſtrali diſtincta polo: tam grandia facta
Exſuperant laudum cumulos, mirandaque virtus
Illius haud numero poterit nec fine teneri.
Non illum celeri quum præterlabitur aurâ
Cernere fas, & cum pigro ſe tramite ſiſtit
Conſilii quiſquam nôrit ſecreta latentis?
Num prædam eripiet quiſquam? Num poſcere cauſſa
Audeat? Iratum contra ſubſiſtere numen
Num vis ulla poteſt? Forti ſub pondere tanto
Genua labant, fractiſque ſuperbo corde tyrannis.
Quid mihi tum miſero verbis contendere fruſtrà
Proderit, aut numen dictis inceſſere amaris?
Quod ſi pura mihi, nullique obnoxia culpæ
Vita foret, ſupplex tamen ante advolverer ora
Judicis, & quamvis leni bonus annuat aure,
Haud equidem credam vocem exaudiſſe precantis.
Quippe atro cæcæ correptum turbine noctis
Implicuit tenebris, pronuſque in vulnera noſtra
Immeritas cumulat clades, nec mollia novit
Intervalla furor, litem finire duello
Quî potero invalidus? dicam illi, ut pollicat armis,
Jure diem quis tam audaci præfiniet ore?
Si me ſinceræ veſtigia carpere vitæ
Profitear, proprio damnatus protinus ore,
Non alio ſub teſte cadam, ſin vita vacaret
Crimine,

ne, non anſim tamen hoc inducere mentem
m, & miſeræ ſpernentem tædia vitæ.
um id me torquet, quonam diſcrimine juſtos,
ɔſque viros mundi diſtinxerit auctor?
ue nonne vides paribus gens quomodo pœnis
mur, & ſimilis patimur compendia lethi.
: ſuâ omnipotens Rector ſecurus ab arce
uæ ridens ſpectet tentamina vitæ?
e orbis dedit immani feritate tyrannis
manu, & mundi paſſim præfecit habenis
ces ſcelerum? quorum velamine vultus
it, ut cæco titubent per devia greſſu,
:ntque æqui leges turba inſcia recti;
Deus, annè alius quiſquam præfiniit auctor?
n citiùs flammas qui vix pede lædit arenas
r abit, ventove ratis delata ſecundo,
avidas aquila in campis ſectata columbas,
noſtri fugêre dies, nec gaudia vitæ
imus, aut miſeri lætis indulſimus annis.
mei, dico, venient oblivia luctûs,
: iræ ſtatuam finem, poſitoque furore
ebunt placidam tandem ſolatia mentem.
irus circum ærumnarum exæſtuat horror,
llitque animum, nec tu me crimine mundum
nes: Quorſum vana hæc me cura fatigat?
mihi ſi niveo candor certaret olori,
/et cœno, & lutulentos protinus artus
et, & nullo ſordes celabit amictu.
ɔoſtri eſt ſimilis, cum quo contendere poſſim,
ipotens, nobis nec ſe interponere quiſquam
at, arbitrio litem qui terminet æquo.
m aufer, Deus alme! & me terroribus iſtis
e, tum vitæ farer benè conſcius actæ
ɔidus, timido nec me ſermone tuerer.

CAP. X.

nunc, inviſæ quoniam me tædia vitæ
Sollicitant, ſævo juvat indulgere dolori.
ıe condemnes, quæſo, verùm ede roganti,
ıo mecum cur experiaris iniquo?

Siccine

Siccine cura tibi eſt, ambages nectere fraudum
Innocuo, propriæque efficium munere dextræ
Perdere opus, pravoſque inter tibi nobile cœtus
Nomen, & egregias hoc pacto acquirere laudes?
Num tibi quæ humanas obducunt nubila mentes,
Mortales hebetant oculos? num tempora vitæ,
Atque tui fluxis decurrunt menſibus anni,
In noſtram ut vitam, & peccata inquirere pergas
Sedulus, & pœnis inſontem affligere tentes?
Non ignota tibi eſt pietas mea, nec tamen uſquam
Apparet, tantam vindex qui averterit iram.
Cur me diſperdis, propriæ plantaria dextræ,
Quemque tuæ quondam mirâ feliciter arte
Undique perfecêre manus? quin mente revolvis
Ut generi humano limoſæ è pulvere terræ
Corpora limaſti, utque iterum collapſa redibunt
In cineres, generis quondam primordia noſtri?
Num me ceu nivei libamina mollia lactis
Fudiſti in matris gremium? num caſeus ut fit
Muſteus, haud aliter tepidâ concrevimus alvo?
Num ſuperinductam per te cutis arida carnem
Veſtiit, & toto diſtentos corpore nervos,
Oſſaque formâſti ſolidas firmantia vires?
Æthereoſque hauſtus corpus, ne informe jaceret,
Naribus accepit generoſæ ſemina vitæ?
Quod vivo, & vegetus quod ſpiritus hos regit artus,
Sola tua eſt bonitas, Domine! & clementia ſola.
Interea, tantos occulto corde dolores
Celaſti tecum, nec me ſententia fallit.
Num quoties pecco, memori mea crimina ſemper
Mente notas, nec me delicto abſolvere curas?
Væ mihi, ſi vitæ fuero perverſa ſequutus,
Non impunè feram: ſin ipſo tramite recti
Ingrediar, non ullam auſim ſperare ſalutem,
Me mala tanta premunt, tot vexant undique clades.
Nam veluti rabidus pecora inter inertia ſævit,
Ingluvie ſtimulante, leo; ſic irruis in me
Hoſtili, Deus! enſe ferox, & vulnera victor
Congeminas, ſemperque novas inſurgis in iras.
Cur eduxiſti miſerum genitricis ab alvo
Servatum in pœnas, nec nobis fata ſubire
Ante diem, & letho licuit prævertere lucem?

Eccò

Ecce mihi ſubitò miſeri mors terminus ævi
Advolat, interea ſævâ pauliſper ab irâ
Deſine, dum modico recreem ſolamine mentem.
Parva mora eſt, cæci ſubeam quin limina Ditis
Non iterum calcanda mihi, caligine regna
Eterniſque horrent tenebris, quæ ſemper opacat
Terrificâ mors atra umbrâ, nox incubat illic
Perpetuò, nuſquam ſe ordo, nec lucida monſtrant
Sidera, ſed triſtis pallor, ſed livida ſqualet
Effigies, cæcumque æternùm obnubilat antrum.

CAP. XI.

TUm Naamathites Sophoar ſic ora reſolvens,
Siccine, ait, quiſquam patientem accommodet aurem
Spermologo, tua nec prudens mendacia ſando
Arguat, & nugas ſolers confutet inanes?
Scilicet illa tua, ut jactas, oratio munda eſt
Ante Deum, vel te tua garrula reddet, Iobe!
Lingua pium, culpâque vacas & crimine vitæ?
Aſt utinam arcanos genitor recludere fontes
Conſilii velit omnipotens, & tollere nubem
Mortales hebetantem oculos, ut conſcia cernas
Pectora nequitiæ, & duplo majora mereri
Supplicia, inque tuis numen miteſcere pœnis!
Sed quæ te tandem regio in penetralia ducet,
Secretoſque adytus, & magna arcana Tonantis?
Ille etenim immenſo longè ſpatioſior orbe eſt,
Altior oceani campis, ſupra ardua cœli
Minet, infernoque patet declivius antro.
Ille ſimul jubeat, totius machina mundi eſt
In priſcum reditura chaos; nutuque monentis
Ex nihilo ſurſumque novus coaleſceret orbis.
Nec quiſquam impediat, nec facta immenſa moretur,
Nec noſtra impietas divinos fallit ocellos.
Qualis enim ſolis natus laliſio campis,
Brutum animal, ſtolidum, indocile, indomitumque, ferumq;
Talis homo, niſi, naturâ rationis egenus,
Cordatus fiat divino munere, rectè
Incipiat ſapere, & cœli myſteria diſcat.
Quin tu igitur mentem ſacros accingis in uſus,

Exſilioque ſcelus damnas, & crimine tendis
Ablutas in vota manus? tunc integer ore
Sublimi erectos tolles ad ſidera vultus,
Firmaque ſecuro figes veſtigia greſſu
Intrepidus, nuſquam facies adverſa laborum
Immemori occurret, rapidi ſed fluminis inſtar;
Sic tibi præteritos condent oblivia luctus:
Sol tibi ſublimis medio fulgebit olympo,
Reſtituetque diem, tuque almæ lucis amictu
Splendidus, auroræ grates imitabere vultus,
Et tibi firma dabit fiducia nixa Tonanti,
Securos habitare lares, experſque pericli
Nil metuens dulces carpes in gramine ſomnos:
Quippe hoſtis tibi nullus erit, ſed plurima ſupplex
Turba fidem dextramque tuam implorabit egenis
Rebus, & ut tuto ſeſe committet aſylo.
At contrà impietas ſperatam tempore nullo
Sentit opem, nullo finit ſua tædia luctu.

CAP. XII.

TUm Jobus, nec vos ſolos prudentia rerum
Erudiit, nec me ſtolidum, & rationis egentem
Obſcurâ involvit cæca ignorantia nocte,
Nec vobis cedo, nec vulgo ignota referţis.
Sed ſimplex quoniam ſtudium me detinet æqui,
Et recti ſincerus amor, ludibria mente
Volvitis, & ſannis miſero inſultatis amico,
Qui Dominum inclamat, facilem qui commodat aurem
Sic lampas, quæ nutantes in paupere greſſus
Dirigit, & modicâ ſolatur luce tenebras,
Divitibus ſordet: multo hæc gens ebria luxu
Vi potitur rapto, ac opibus conſiſa ſuperbis,
Pauperiem, & tenuis rident incommoda vitæ:
Quos lentas Domini patientia ſervat ad iras.
Nec tamen, ut ſpero, cuiquam tam cornea fibra eſt,
Condita quin olim cœleſti ſecula dextrâ
Noverit, & vaſtam mundi ſubſiſtere molem.
Hinc pecudes, armenta, viri, genus omne ferarum,
Quæque ſecant liquidum ſtridentibus aëra pennis,
Et quæ marmoreo ſpirant ſub gurgite ponti,

Plantæ

Plantæque, & duris naſcentia robora ſilvis,
Arceſſunt tenuis genitalia ſemina vitæ.
Nos equidem fidam tantum dimiſſa per aurem
Percipimus, ſani vel guſtu experta palati,
Aut quæ canicies provectis attulit annis.
At rerum genitor, fortis, prudenſque, bonuſque,
Cuncta poteſt, novitque ſimul, nutuque gubernat.
Eruit ille arces, fundoque exterminat imo
Heroum monumenta, & ſtringit compede fontes,
Nec reparare iterum fas, aut recludere cuiquam:
Ille ſimul jubeat vacuos ſubſiſtere fontes,
Protinus exhauſtum tellus abſorbeat æquor.
Et niſi vim ponti modicâ compeſcat arenâ,
Effuſis terram videas immergier undis.
Nam Pater omnipotens æternæ robore dextræ
Conſilioque valet, prudentique omnia ſecum
Expendit trutinâ, & juſto moderamine frenat.
Ille malos vates, ſua qui deliria ſpargant,
Excitat, auſoultatores erroribus afflans.
Judicibus ſanam mentem prudentibus aufert,
Conſiliique inopes, & inertia pectora reddit.
Quin ipſis rerum dominis regalia ſceptra
Eripit, & famulis præcingit colla catenis.
Inſignes ſpoliis ſatrapas prædator opimis
Exuit, & valido ſubvertit robore fortes.
Et quos commendat fandi vis aurea, balbos
Efficit, ut comtis diſcedat gratia labris.
Et quos prudentes ſeris facit uſus ab annis,
Deliros reddit ſenio, crudoſque tyrannos
Excutit è ſolio, quos turpis dedecus ævi
Inſequitur, tetroque horrens infamia vultu.
Quid memorem ut ſolus tenebris immerſa profundis
Eruat, & cæca ſub nocte, & morte repoſta
Proferat in lucem, & patulas educat in auras?
Utque auget numero populos, auctoſque repentè
Hoſtili metat enſe ferox, fœcundaque rurſum
Suppeditet ſobolis redituræ ſemina genti.
Dat fatuos populo reges, & ſceptra rebelli
Impia, qui ſummo turbati culmine rerum,
Per loca ſenta ſitu, noſtroque impervia cultu,
Errabunda legunt veſtigia, perque tenebras

[redacted]

CAP. XIII.

Hæc [redacted] tantùm,
[redacted] memoria recordor,
[redacted] Tonantem
[redacted]
Nec [redacted]
[redacted]
[redacted]
Quin primus [redacted]
Quæ [redacted]
Cunctos, [redacted]
Proh [redacted]
Sceleste [redacted]
Gentes, [redacted]
Scelus [redacted]
Vide, [redacted]
Ni [redacted]
Expectas? [redacted]
Proferet [redacted]
At [redacted]
Terras, [redacted]
O [redacted]
Progenies [redacted]
Vos [redacted] nefas, [redacted]
Lingua [redacted]
Cur [redacted]
Et [redacted]
Affligoque animam [redacted]
Me [redacted]
Discedet [redacted]
Spesque [redacted]
Illa mihi vitâ [redacted]
Interea vitæ [redacted]
Nam cur [redacted]
Impietas [redacted]

Arrigite,

Arrigite, hic ſurdas ſermo non poſtulat, aures:
Non ego judicio cuiquam certare recuſo,
Nec quin abſolvar dubito, laudemque reportem
Juſtitiæ; ſed quis mecum contendere porrò
Audeat, emoriar juſtam quàm liquero cauſſam,
Ira premens, mutoque ſilens malè conſcius ore.
Tu tantùm, Pater omnipotens! ne territa turbes
Rectora, & aſſiduo finem largire dolori.
Non ego tum metuam fidens, actorve, reuſve
Eſſe velis, cedo nobis quo crimine vitæ,
Quo numero, merui tantas exſolvere pœnas?
Cur faciem celat, cur me ſibi comparat hoſtem
Omnipotens? laudem egregiam & ſpolia ampla parabis
Scilicet, attrito folio, quod turbine cæco
Aura levis rapidis torquet ludibria ventis.
Ergò dicam nobis cur ſic inſcribis acerbam?
Et memor oblitæ recolis delicta juventæ?
Duraque concluſis circundas vincula plantis?
Inſculpiſque tui pedibus veſtigia cippi?
Ne quoquam aufugiam, nec ſpes ſoletur eundi.
Sed quis ego vilis, qui ſum putredine trunci
Vilior, & veteri, quam rodit tinea, veſte?

CAP. XIV.

GEns humana equidem duris obnoxia fatis
Naſcimur, ac natos brevis infortunia vitæ
Excipiunt, tanquam verno flos germine lætam,
Fingit humum, tenero primùm qui carpitur ortu.
Non citius pereunt umbræ, quàm futilis ævi
Labra ſilent; & te tantâ mortalia curâ
Sollicitant? hominesque tuis dignaris ocellis
Scilicet, & miſerum tot me in certamina poſcis?
Quis, primos ſemen patrium cui polluit ortus,
Expertem reddet ſceleris? ſi ſtamina vitæ
Dimenſis currunt ſpatiis, vitæque neciſque
Arbitrium à te uno pendet, moderare furori
Paulliſper, miſeros donec mors finiat annos;
Mors optata diu, merceſque extrema laborum.
Ecce arbos ſucciſa novis ſe frondibus ornat,
Et veteri quamvis putris radice ſeneſcat,

Læta

Læta tamen rurſum redivivo germine ſurgit
Stillanti perfuſa polo, ramiſque ſuperbit:
At pereunt, ipsâque velut radice revulſi
Intereunt homines, & ubi poſt funera degunt?
Utque neget ſi fortè ſuas in flumina vires
Oceanus, fonteſque undâ recreare perenni
Negligat, arenti diſparet gurgite torrens:
Sic hominis tenues vita evaneſcit in auras,
Et longos gelido dormit ſub marmore ſomnos,
Experrecturus nunquam, dum tecta noventur
Cœlica, & iſtius facies mutabitur orbis.
O utinam Jovæ donec pertranſeat ira,
Securam tumuli carpam ſub mole quietem,
Præſcribatque diem, noſtri nec deſinat ille
Eſſe memor, clemenſque in me ſua lumina vertat!
Sed num mortalis vivet poſt funera quiſquam?
Illam ſollicitâ ſemper mihi pectus anhelat
Mente diem, quâ me ſupremâ voce ciebis
E tumulo, dextramque dabis, promtuſque vocantis
Parebo imperio, & nictu immutabor ocelli.
Intereà ſævo ne quâ via ducat ab hoſte,
Dinumeras greſſus, nec parvo tempore differs
Supplicium, memorique tenes ſignata libello
Faſciculiſque meæ compacta volumina culpæ.
Ac veluti rupe excelsâ, cùm fragmina magna
Præcipitata cadunt, & celſos fluminis iræ
Irruerint montes, atque ardua culmina pulſant;
Aut cùm vorticibus rapidis ſe ſpumeus amnis
Explicat, & tumido depaſcit littora fluctu,
Saxa cavans, volvenſque ſinu latè obvia cuncta:
Sic homines perdis, ſic ſpem mortalibus aufers
Fortior, & validæ metuendus robore dextræ:
Mutabitque illis triſtes mors lurida vultus.
Haud illos tanget viventis cura nepotis,
Seu felix degat, miſeroſve inglorius annos
Exigat, iſtius tanta eſt oblivio ſecli.
At caro putreſcens ingenti afflicta dolore
Ingemit, & magno mens ſe mærore fatigat,
Dum colit infirmos moribundi corporis artus.

CAP

C A P. XV.

iphas, illi objurgantia verba retorquens,
ıê, inquit, fruſtrà prudentem dicere quiſquam
Æoliis turgent cui pectora ventis,
mendaci fundis convicia linguâ?
; eſt læſiſſe homines, ipſumque Tonantem
:is, nec te ſummi reverentia tangit
, & ſacro decet auſcultare timori.
) nunc teſtis, Jobe! in tua crimina veni;
.æ impietas, & ſubdola labra profanum
, damnantque: rudi num primus in orbe
s, cernens facti incunabula mundi?
ıſſeſſor fueras, cum ſurgere montes
& patulis valles ſubſidere campis?
ıue aditus calles, arcana Tonantis?
occultas in te prudentia vires?
ucis tecum prudentia canuit annis?
go rerum fatui ſtulteſcimus uſu?
ıs haud nobis genitor certaverit ævo.
ılivinæ ſpernis ſolamina vocis?
i tranſverſam rapuit de cardine mentem?
ım ſignant oculi, nutuque rebelli
:num ferris, blaſphemaque polluis ora?
:ſt quiſquam peccati adſpergine liber,
exceptus gremio? non incola cœli
; degit ſceleris, nec tegmina mundi
:ent, quàm fœda & deteſtabilis ergò
s impuri hominis? namque arida tellus
t humentes undas, ſic ſemina culpæ
, & totos penitus perfundimur artus.
tibi fabor, memorem ſi adverteris aurem,
; accepta atavis, qui regna tenebant
ludio, queis rectas figere leges
t, populoſque æquis adſueſcere ſceptris,
ſquam externis pacem violaverat armis.
iata diu, multoque enixa dolore
perpetuò tali ſub ſorte laborat'
, vitæque tremit malè conſcius actæ,
que diem ſubitæ quæ nuntia cladis

Advolat

Advolat, ut nequeant ultrà sævire tyranni.
Horrida vox illis trepidas circumsonat aures,
Vastatorque repentinus nil tale timentes
Exitio premet, & subitâ clade obruet hostis.
Perpetuas metuet tenebras, lucemque, diemque
Oderit, ut strictus semper si impendeat ensis,
Emendicabit victum, caligine tectus
Cimmeriâ, & tristis semper vexabit Erynnis.
Ac veluti firmâ regem stipante coronâ,
Classica cùm bello insonuêre, globoque cohortes
Confertæ junctas acuunt in prælia vires:
Sic illos vallo, fossâque, ac aggere circum,
Et metus, & cingit trepidis angustia curis.
Utque Deo forti toto conamine bellum
Indixêre, illis fractâ cervice vicissim
Irruet in collum, & quà pars densissima parmæ est,
Per clypei jaculum figet septemplicis oras.
Ecce nitet multâ splendens pinguedine vultus,
Et lateri fallax arvina incumbit obeso,
Magnificasque urbes vacuis instaurat in agris.
At subitò labentur opes, pejusque peribunt
Parta malè, instabili tandem devota ruinæ.
Nec fibras aget impurus radicibus altas,
Nec primo veris gemmantes tempore ramos
Proferet in lucem, quippe ejus germina carpet
Flamma vorax, flatuque Dei spirante peribit,
Perpetuas palpans cæca sub nocte tenebras.
At vix vana tamen (sic vanus fascinat orbis
Luxus opum, & nostros sic ludit gloria sensus)
Esse putat; donec serò vana omnia tandem
Senserit, & fluxis discat diffidere rebus.
Ante diem subitò, nec opinâ morte peribit,
Nec patulâ virides frondebunt arbore rami.
Ac veluti sterilis viti sua germina ventus
Invidet, ac Euro mites nudantur olivæ,
Flos cadit, & nullo sequitur vindemia fructu:
Sic jacet impietas, sic spe frustratur inani,
Et desolatas deserta per avia terras
Incolet, & vastus latè populabitur ignis
Impuras arces, summa ad fastigia tecti;
Restingui in reliquis poterit nec flamma favillis.
Nulla illis æqui ratio, jura omnia vendunt

Doro-

Dorcphagi, produntque bonam pro munere cauſſam,
Parturiuntque dolos, & fraudem in pectore verſant.

CAP. XVI.

TAlia jactantem Jobus ſic ore repreſſit;
Fruſtrà iſtis noſtræ ſurdeſcunt vocibus aures;
Nec toties repetita placent: ſempernè moleſtos
Eſſe juvat, vanæ nec frena imponere linguæ?
Quid vobis tales animum firmavit in auſus?
O mihi ſi liceat vel parvi temporis uſu
Vobiſcum mutare vices! convicia numquid
Eloquerer, quateremve caput probriſque, miniſque?
At vobis noſtro robur manaret ab ore,
Augeremque animi vires, morbumque furentem
Lenirem, & grato plagas ſermone levarem.
Nunc mihi ſeu taceam, tacitâ jactata quiete
Membra carent, & cùm fandi me ceperit ardor,
Nulla quies, ſic me cunctorum lerna malorum
Exagitat, fractoſque dolor ſic diſſipat artus;
Obducitque cutem macies, nec corpore ſuccus
Ullus ineſt, rugæque in me teſtantur inanes.
Me Pater omnipotens, infeſtæ more leænæ,
Dilaniat, ſequiturque odiis, frendetque minaci
Dente ferox, oculoſque truces ſcintillat in iras.
Heu quibus opprobriis petimur, quæ vulnera linguæ
Exacuunt, certantque meis impingere malis
Dedecus, & magnâ pergunt comitante catervâ!
Me Deus impuro ſternendum tradidit hoſti,
Avertitque meos recto de tramite greſſus.
Fortunatæ olim carpenti gaudia vitæ
Proſperitas mihi grata fuit, nunc rebus acerbis
Preſſus humi jaceo, nunc me cervice reflexâ
Contrit imbellem, & validis circumdedit armis.
Ac veluti jaculis freti, qui figere metis
Signa ſolent, ſic ætherei moderator olympi
Contortis in me direxit brachia telis,
Perque mihi renes atque ilia venit arundo,
Effuſique bibit fellis terra atra cruorem.
Quin etiam inſultat miſero, fortiſque, potenſque,

Vulnera vulneribus cumulat, meque obruit armis.
At non his acto furiis mihi corda rebellem
Noſtra unquam ſumsêre animum, ſed corpora vili
Præcinxi ſacco, ſummoque à vertice crines
Adſperſi cinere, & fœdatos pulvere vultus
Immerſi limo, lacrimiſque humentia lavi
Lumina, palpebraſque ipſa ſub morte natantes.
Quid puras ſervâſſe manus cœloque ſupinas
Proderit, innocuæ ſi ſunt hæc præmia vitæ?
Ne noſtrum tellus celes ingrata cruorem,
Quæque ob vindictam juſtorum ad ſidera clamas,
Ne ſileas, ſi fortè mihi malè conſcius erro.
Utque neget tellus, celſi qui culmina cœli
Poſſidet, & ſummâ tellurem deſpicit arce,
Teſtis erit cordiſque, & vitæ haud inſcius actæ.
Vos ſocii comtæ delectat gratia linguæ,
Sanniſque & probris miſerum irridetis amicum.
At mea perpetuis decurrunt lumina rivis,
Aſſiduoque madent luctu, lacrimiſque profuſis
Quæſivêre Deum, ut clementi exaudiat aure.
O mihi fas fuerit, rerum certare parenti
Ut ſocio, liceatque æquâ contendere lege!
Nam brevis advenit fugitivi terminus ævi,
Atque iter ingrediar mox irremeabile lethi.

CAP. XVII.

JAmque adeò tenues noſter rareſcit in auras
Spiritus, & rigidæ nobis nent fila ſorores,
Extrema ſub parte coli, ſpes ſola ſepulcri
Permanet, ut buſto ſummos ſolvamus honores:
At vos inſontem interea ridetis amicum,
Qui ſannis gemit aſſiduò irritatus acerbis.
Quis mihi ſponſor erit pro te, quo pignore nobis
Obſtringis, Deus alme! fidem, qui neſcia veri
Iſtorum nunc corda facis, nec tollis honore,
Qui ſocio blandæ tendunt venabula dextræ,
Inque ipſos vindex punis delicta nepotes?
Ipſe ego nil equidem meritus jam fabula vulgi
Conſtituor, gemituque meo obſcurata fatiſcunt
Lumina, & affecto marcent in corpore vires,

Um-

Umbræ inſtar, primo Titan quam territat ortu.
Res miranda piis, cùm pravis proſpera cedant
Omnia, quæque illos ſanctas accendat in iras.
At non hæc quæcunque piis ſunt tædia vitæ,
Juſtitiæ nobis ſtudium, & virtutis amorem
Ex animis delere queunt: ſed ficta labaſcit
Impietas, agitata malis, fiducia contrà
Juſtorum aſſiduis creſcit firmata procellis.
Non equidem veſtrûm cuiquam prudentia curæ eſt,
Huc aures ergò & memores convertite mentes.
Jam vitæ exegi ſpatium, præcordiaque imis
Deficiunt fibris, extremaque munera claræ
Lucis habent oculos, mox atro vellere mortis
Induar, & triſti pallens circundabor umbrâ.
Si mihi ſpes reſtat ſolius certa ſepulcri,
Et lectum ſternam tenebroſo mortis in antro,
Ac foveæ dicam, genitor dulciſſime rerum!
Et vermi, ſoror, & mater cariſſima, ſalve!
Tum quorſum promiſſa cadent, quæ maxima nobis
Fingitis, & mundi ſpes oſtentatis inanes?
Cum mors cuncta ſimul lethali vulnere ſternet.

CAP. XVIII.

TUnc his offenſus Bildad ſibi proxima fandi
Jura capit; nunquamnè tibi jactantia finem
Inveniet, monituſque ſacros ſub pectore figes
Indocili, & caris aurem præbebis amicis?
Cur ceu bruta tibi pronas ſpectantia terras
Deſpicimur, viliſque inſtar ſordeſcimus algæ?
Fare, quis indomitas tantus furor excitat iras?
Num ſolido impellas ſtabilem fundamine terram?
Et firma poteris rupes è ſede movere?
Et cœlum terræ, & terram miſcebis olympo?
Lux impuri hominis, multo ſi ſplendeat igne,
Mox exſtinguetur, tenuis ſine lumine flamma,
Lux ſeſe in tenebras vertet: nec lampadis uſus
Ullus erit, cæcæque tegent tentoria noctes.
Deficiet robur, nec mens improvida cernet
Exitium, propriâque cadet, quam texuit, arte.
Retibus impediet timidæ veſtigia plantæ,

Nec ſeſe expediet, laqueiſque & caſſe doloſo
Excipient pedicæ, & validus multo impete prædo.
Decipulæ tellure latent, calleſque per omnes
Funiculi, nervoque pedem fallente tenentur.
Undique pulſabit terror, ſubitamque capeſſet
Erro fugam, pedibuſque inerit ſpes nulla ſalutis.
Abſumetque fames robur, laterique recumbet
Pernicies, nec mors parcet ſæviſſima membris,
Depaſcetque artus, firmaſque in pectore vectes,
Robora ſpesque domûs multo terrore labaſcent,
Horrificique ipſum deducet ad ora tyranni.
Quòd ſi fortè ſua tutus videatur in arce,
(Sed quid dico ſuâ, quam jam terrorque metuſque
Incolit?) ambuſtis ſubitò conſumta favillis
Corruet, excipietque avidis incendia venis
Adſperſum ſulphur, non ipsâ condita radix
Tellure effugiet flammas, ramoſque per omnes
Fructuſque & frondes vulcania ſæviet ira.
Perpetua ingratum tenebris oblivio nomen
Obruet, & ſplendore procul, procul orbe repulſus
Exſul erit, cæcæ æternùm ſub tegmine mortis.
Nullus ei natus, nulli poſt fata nepotes:
Nec reliquus quiſquam deſertos incolet agros.
Hæc olim pavidi memorabunt fata nepotes,
Adque hæc attoniti ſtupeant ſpectacula vivi.
En tibi quo miſeras tandem gens impia terras
Fine colat, monitus ſpernens ſecura Tonantis!

CAP. XIX.

AT non hæc tacito paſſus convicia Jobus
Ore infit, non fat, credo, me magna malorum
Exercet ſeries, niſi noſtra in vulnera amici
Arma ferant, ſævæque acuant opprobria linguæ,
Jam decies poſito perfrictâ fronte pudore.
Si vitam addixi ſceleri, me pœna merentem
Digna manet, verbis non exagitanda ſuperbis;
Namque Deus ſolus nobis hæc vulnera fecit.
Me Pater omnipotens fallacibus undique cingit
Retibus, & noſtras aversâ negligit aure
Judicio ceſſante preces, cœleſtia quamvis

Atris

Atria perpetuo ſupplex clamore fatigem.
Ille iter, ut nuſquam nobis loca tuta relinquat,
Sepſit inacceſſum tenebris, capitique coronam
Abſtulit, ut degam reliquos inglorius annos.
Deſtruxitque ferox, tanquam radicibus arbos
Vulſa jacet, ſteriles deflens ſine pondere ramos.
Quin etiam hoſtili contra me incanduit irâ,
Turmatimque ſuas cogens in bella cohortes,
Undique metatur caſtra, & tentoria circum
Noſtra fremit pugnas, & firmis obſidet armis.
Ecce mihi caros, quondam ſolatia, fratres
Reddidit infeſtos animis, notoſque removit,
Ne quiſquam mihi ferret opem, nec ſancta propinqui
Jura colunt, fictique adverſo tempore amici
Potavêre ſimul lethæi oblivia fontis.
Nec vernæ auſcultant domino, nec juſſa parati
Accipiunt famuli; ſervum ſi fortè rogâro,
Conticet, & tacitus jus dedignatur herile.
Ipſa uxor miſerum ſpernitque, ac horret anhelæ
Vocis iter, putri fætor ſic defluit ore,
Nec ſobolis curat conjunx communis amorem.
Me pariter riſu excipiunt juveneſque, ſeneſque,
Conſilii pars magna mei; quoſque ordine primo
Præcipuos inter quondam amplectebar amicos.
Jam caro diriguit macie, vixque oſſibus hæret
Pellis, & arenti dependent in cute dentes.
Vos, ſi qua eſt pietas, miſerandi caſus amici
Commoveat, qui nunc divinæ ſubjacet iræ.
Cur plagas inferre novas, affligere fortis
More Dei, noſtraſque placet depaſcere carnes,
Nec ſatiari eſu, nec crudo parcere denti?
O utinam eductum plumbo mea verba volumen
Ærato excipiat calamo, ſculptorque peritus
Quæ dicam, nunquam perituro in marmore figat!
Credo equidem ſine fine perennem degere vitam
Servatorem orbis, qui me de pulvere tandem
Eruet, ut lætus redivivo germine ſurgam.
Ipſe ego, cùm caries renovatos liquerit artus,
His oculis cernam Dominum, propriâque videbo
Carne Deum, quamvis defecto corpore renes
Putreſcant nobis, certæ ſpes illa ſalutis
Haud dubium monſtrabit iter, ſævoſque dolores

Leniet,

Leniet, & victa ſtatuet de morte triumphum.
Ergo hæc vobiſcum; cur inſectamur Iobum,
Cui radix pietatis ineſt, quæ germina tandem
Proferet, & foliis tellurem umbrabit opacis?
Nunc autem vobis acri à mucrone cavendum eſt,
Et ferri metuenda acies, nam fervidus enſis
In ſcelera & vindex divinæ ſtringitur iræ.
Ut vobis conſtare queat, juſtum eſſe tribunal
Judicis, & recto ferri libramine mundum.

CAP. XX.

VIx ea fatus erat, vocem cùm Sophoar ultrò
Præcipitat. Cui ſic gelido ſub pectore torpens
Sanguis hebet, tacito ut ferat hæc convicia vultu?
Quin animo tecum memori momenta revolvis
Alta vetuſtatis, poſtquam conceſſa creato
Eſt tellus habitanda homini, num perdita ſemper
Impietas, primis ſcelerum defecerit auſis?
Utque petat cœlum, & caput inter nubila condat,
Immundas feriet reſupino pondere terras:
Stercoris inſtar erit, quod fœdâ excreverit alvo;
Quique illum rebus quondam vidêre ſecundis,
Dicent, quo tanto deceſſit gloria luxu?
Utque intempeſtâ volitant inſomnia nocte,
Quæque graves ſomno turbant phantaſmata ſenſus:
Sic ſpes tota ejus tenues vaneſcet in auras,
Nec cernent oculi, nec tecta antiqua videbunt.
Fraude pater creſcit, patrio dat crimine pœnas
Natus, & injuſto reparat vi rapta parenti.
Indulget vitiis juvenis, penituſque medullas
Eſt tabes, non oſſa prius putredo relinquet,
Quàm ſimul extremo carpant in pulvere ſomnum.
Ac veluti linguæ medicatum melle venenum
Dulcè ſapit, cupidiſque tenet lethalia labris
Toxica, quæ gratâ fallunt dulcedine guſtum:
At cibus ut ſtomacho primùm deſcendit hianti,
Vertitur in virus, ſævæ fel dixeris eſſe
Aſpidis, & ſubitâ turgent præcordia morte:
Talis dives opum, quem mundi blanda voluptas
Faſcinat, & fervor ſceleratus vexat habendi.

Nulla

illi ſatias, plenoque abſorbuit ore
s, aviduſque aurum ſub viſcera condit:
ſeri ſubitò turbatum nauſea pectus
litur, vomit ille ingrato gutture quidquid
opum, fortiſque illi Deus ilia pulſat.
eræ infelix lethalia pocula ſuget
s, ardentique exſtinguet vipera morſu.
haud rivos, nec flumina euntia melle
, & aſſiduo bullantes nectare fontes.
t opes raptas, alieno parta labore
iet, quiſquam nec deglutiſſe putaret
itò cùm rebus prædo mutârit egenis.
trivit tenues, miſeroſque è paupere tecto
haud ſtabiles inſtauraturus in ædes.
quies ventri, optatis fraudabitur alvus
is, nullâque famem medicaverit eſcâ.
eliquus cibus ullus erit, victum vigor omnis
t, utque illi non deſit copia rerum,
r erit, ſpoliis prædo potietur iniquis.
ue ineat lætus feſtæ convivia menſæ,
nis offenſi trepidis furor irruet armis.
nùs enſe cadet, ferratoque eminùs arcu
venenatâ ſpirabunt cuſpide mortem.
t terror, ſplendeſcent ſpicula felle:
nque ingreditur per clauſtra occulta viarum,
rent tenebræ, vel miſſus cælitùs ignis
, ut tanta nemo de clade ſuperſit.
t hoſtiles cœlos, inimicaque tellus
itiam tribulo & ſterili ulciſcetur avena;
tuna domûs celeri ceu flumina curſu
et, irati ſic ſtat ſententia Jovæ.
ſors impuri eſt hominis, hæc portio pravis
nit, haud aliud nequam poſſederit heres.

CAP. XXI.

Jæ contra, non hoc, inquit, ſolamine Jobus
Tempus eget, præbete aures, ſolaminis inſtar
erit, juſtam ſannis nec lædere cauſſam
e, dum verum patienti admittitis aure.
ego mortali vanæ certamina linguæ

Inſtitui

Inſtitui, mundi mentem mihi territat auctor.
Quin mea perſpicitis nunc infortunia cæci,
Et ſtupidi dextras taciturno apponitis ori?
Nam quoties memini, totos exterreor artus,
Horreſcuntque pili, & trepidanti carne tremiſco.
Cur rerum aſſiduo ſuperat gens impia luxu,
Proſperitaſque illis ſeros arridet ad annos?
Grata illis colitur tellus, atque ubere creſcit
Gleba ſolo, ſteriles ſucco nec fraudat ariſtas.
Læta domus nunquam adverſis obnoxia fatis.
Non vaccæ abjiciunt fœtus, armentaque campos
Plena terunt, ſoboliſque ſuæ fœcunda propago
Exſultat cytharis, numeroſaque tympana pulſat.
Cumque diu ærumnis vacuum tranſegerit ævum,
Momento optatâ claudit ſua lumina morte:
Impia ſed tamen hæc gens imo in pectore muſſat,
Omnipotens! procul à noſtrâ ſecede cohorte,
Nobis nulla tuos cura eſt cognoſcere calles,
An fruſtra ignotum numen dignemur honore?
Fundamuſque preces ad ſurda altaria noſtras?
Odi equidem impuras voces, procul illa faceſſant
Conſilia, haud ſtabili quicquam gens impia dextrâ
Poſſidet: ah! quoties exſtinctâ lampade noctem
Ingemit, inſtantem ignarus vitare ruinam?
Aut Pater omnipotens, paleæque & pulveris inſtar,
Turbineque, & rapidis ventorum diſſipat alis.
Sæpe luunt nati pravi delicta parentis,
Agnoſcitque Deum, cum pocula plena furoris
Ebibit, & Domini accensâ ſe proluit irâ.
Scilicet exſtinctus victuri damna nepotis
Ulla timet, curatve ſuos poſt fata nepotes?
Quis tua, ſumme Deus! tacitis arcana tenebris
Eruet, humanæ non unquam pervia menti?
Hic opibus dives felicis munere vitæ
Fungitur, & pleno deſpumant ubera lacte,
Irriguiſque madent ſemper ſolida oſſa medullis.
Aſt ille in luctu miſerando carmine mortem
Sollicitat, triſtiſque exoſus luminis uſum,
Gaudia nulla capit mœſtas ſolantia curas.
Et tamen æqua pari tandem mors funere utrumque
Mergit, & eroſam præponit vermibus eſcam.
Non me allata quidem nuper, quæ captio veſtra eſt,

Argu-

Argumenta latent, ubi nunc excelſa tyranni
Mœnia? magnificis ubi nunc domus inclita tectis?
His aliquis melius reddet reſponſa viator,
Hæc documenta notans. Sed ſeſe ſubtrahit iræ
Impius, & ſævos evitat ſæpe furores.
Quis ſcelus objiciet, quis reddet digna tyranno
Supplicia, & pœnas crudelibus exigat auſis?
Illum deducit peramœnæ ſemita vitæ
Ad tumulum, aſſiduòque illa ſub mole quieſcit.
Dulcis ei vallis; dulces in pulvere glebæ,
Innumeras poſt ſe gentes, atque agmina ducet;
Innumeræ gentes atque agmina præceſſerunt.
Cur ergò vanæ inſtruitis ſolamina linguæ?
Veſter iners fœdis putet nam ſermo cavillis;

CAP. XXIII.

MOx Eliphaz linguæ Themanites clauſtra reſolvit.
Num Jovæ quiſquam forti, multùmque potenti
Mortalis prodeſſe queat? ſi tramite recto
Sinceram carpis vitam, num juſtior inde
Omnipotens? pravos ſi contrà inſiſtere calles
Eligis, an juſtas metuet depoſcere pœnas?
At tu, ne ſimulem, non ullo fine ruebas
In facinus, durum ſub iniquo pignore fœnus
Fratribus extorquens, & nudos veſtibus artus
Diſpolians, non te pauper miſerante ferocem
Ore famem pepulit, nec grato munere quiſquam
Tædia longa viæ modicis compeſcuit undis.
Quinetiam inſigni tellus captiva tyranno
Colla dedit; nunquam cauſsâ, te judice, dives
Succubuit, nunquam viduæ, nunquam orphanus infans
Liquerunt tua gaudenti ſubſellia vultu.
Et mirum eſt, ſi te terror, ſi retia cingant
Cæca pedes, tenebræque, & præceps fluminis ira
Ante oculos Furias & ſævam ſiſtat Erynnin?
Nec tamen interea credis mortalia quemquam
Procurare Deum, tenet alti culmina cœli
Scilicet, & ſummis nequicquam præſidet aſtris.
Neve acie terras poſſit ſpectare patentes,
Impediunt nebulæ, & chaos ætheris interfuſum.

In gyrum, vacuaſque poli circumambulat oras.
Sicne exempla tibi ſtatuis ſectanda prioris
Nequitiæ? ſic trita placet tibi ſemita mundi?
Nec memor es quando effuſo luit æquore pœnas
Tellus, & gravidi vaſtarunt æthera nimbi?
Gens ſecura Dei, rebuſque elata ſecundis,
Ante diem, procul hinc, procul hinc, diſcede, ferebat
Omnipotens! nec enim nos verba minacia terrent
Deliri vatis, nec tali à clade timemus.
A tam perverſis ſemper mihi pectus abhorret
Conſiliis, gaudentque illa ad ſpectacula juſti,
Et ſancto rident zelo, dum funera cernunt
Impia, dum præceps quidquid non læſerat unda,
Flammivoro juſtus judex conſumit hiatu.
Qualis erat quondam Sodome, cùm ſulphure cœlum
Depluit, atque ignis miſeras exhauſerat urbes.
Judicii interea juſtos ſpes certa ſupremi
Suſtinet, ac alæ divinæ protegit umbra.
Ergò, ſi ulla tuæ tangit te cura ſalutis,
Promptus adi Dominum; pacem, veniamque precatus.
Diſce lubens ſacræ perfecta oracula vocis,
Et memori præcepta ejus ſub pectore verſa.
Ille ſimul videat verſæ penetralia mentis,
Sufficiet vires ſoboli, ſceleriſque nefandi
Illuviem arcebis tectis, arxque aurea ſurget
Protinus, haud flavis Ophiræ ceſſura caminis.
Inſtar rupis erit valido fundamine turris,
Argenti ac auri cumulis, quos India mittet
Dives opum, nec opem celſi moderator olympi
Abſtrahet, argentoque auroque ut pulvere replens.
Solus deliciæ, ſuavis tua ſola voluptas
Jova erit, erectoque coles hæc numina vultu,
Orabiſque Deum, patulâque exaudiet aure,
Votaque perſolves, ſuccedent omnia rectè
Quæ ſtatues, greſſus ſemper tibi prævia lampas
Diriget, & clarâ fulgebit ſemita luce.
Nec mala te tantùm duris preſsêre periclis
Elatum, tumidumque animo; quem tollet honore
Jova, humiles oculos, demiſſaque lumina cernens.
Nec ſeſe ſervat ſolum, qui tramite recto
Ingreditur, ſæpe illi & noxia turba ſalutem
Debet, & innocuæ ſervatur munere dextræ.

CAP

CAP. XXIII.

JObus ad hæc, triſti defixus pectora curâ,
Non ulla adfulget requies, majoraque ſumit
Incrementa dolor non enarrabilis ulli.
O utinam liceat me judicis ante tribunal
Siſtere, & innocuæ rationem reddere cauſſæ!
Non tamen ille velim toto conamine vires
Exſerat, & juſtum nobis in prælia robur
Suppeditet, qualis ſuevit, quantuſque videri
Cùm claris vitæ merito & pietate decoris
Jus reddit clemens, & iniquis liberat auſis.
Aſt ego quas cingam ſolers indagine terras?
Vertar ad Eoi redeuntia lumina Phœbi?
Nuſquam eſt, occiduis nec quâ ſol cingitur undis,
Nec Boreæ in campis, nec quâ ſol fervidus axem
Induit in flammas, & ſolis æſtuat arvis.
Non illi, qui cuncta videt, noſtræ orbita vitæ
Diſplicuit, quippe erecto veſtigia calle
Inſtitui, nec me carpentem devia vidit
Ulla dies, ſacræve oblitum oracula legis.
Utque aurum multâ purgant fornace recoctum,
Adverſis me ſic explorat Jova caminis,
Exeam ut è flamma obrizo purgatior auro.
Ille ferox in me ſolum ſua ſpicula torquet,
Quis tela avertet? quiſnam illius irrita fraudet
Conſilia, & vanas reddet ſine viribus iras?
De me perfecit quidquid decreverat olim,
Et forſan graviora manent, (arcana Tonantis
Quippe latent homines,) hinc illius horreo vultus
Adſpicere, & multus vexat mihi pectora terror.
Et mihi ceu ferrum diuturno molliit ictu
Corda Deus, repletque ſui tremefacta pavore.
Menè mori miſerum tam diras ante tenebras
Non potuiſſe, nec hos letho prævertere luctus!

CAP. XXIV.

CUr ſeries rerum, mundi cur tempora nôrit
Jova, ſuis non hæc ſervis myſteria pandens?

Cernimus ut ſævis mundus det colla tyrannis,
Qui neque legitimè diviſos limite campos
Eſſe volunt, adeò latè diſcrimine nullo
Omnia vi complent: aliena armenta gregeſque
Diripiunt, patulis nec ceſſant paſcere campis.
Pupillòque aſinum, & tenuis ſolamina vitæ
Abducunt vaccam viduæ, quam pignore ſervent.
Obvius haud prodit pauper; per devia tutum
Carpit iter, cæciſque abdit ſe hæc turba latebris.
Utque onager dubiæ exſpectans confinia lucis
Invigilat prædæ, deſertos bellua campos
Incolit, ad crudum adſueſcitque laliſio victum:
Sic inhiant illi rapto, natiſque, ſibique
Proſpiciunt, multâque exercent ſtrage rapinas.
Seminaque alterius fruſtrà ſudata labore
Falce metit, nunquamque ſuâ ſe proluit uvâ
Impius, ac prædo injuſtos vindemiat agros.
Nec veſtem linquit miſeris, dum frigore bruma
Sævit, & effuſis humoribus ingemit æther,
Diluviique metu per montis ſumma vagantur:
Pignora diripiunt inopi, non orphana pubes
Tuta latet, pendens lactantis ab ubere mammæ.
Quique famem raras poſt meſſem ut pellat ariſtas
Colligit, ereptis luget ſine pane maniplis.
Quique oleum prælis, & torcularia calcat
Aſſiduò, haud æſtum modicâ leniverit uvâ,
Sedabitve ſitim, quamvis labor improbus illum
Urgeat, & plenis ſpumet vindemia labris.
At miſeri interea replent clamoribus urbes,
Et luctu ingenti cœli convexa fatigant
Atria nequicquam; innocuoque imbuta cruore
Ætherium fruſtrà tellus implorat olympum.
Et tamen impietas umbrâ ſe noctis opacæ
Occulit, accenſæque odit confinia lucis.
Manè latro jugulat, ſub lucem occidit egenos;
Luce notat quas fur ſub noctem perforet ædes;
Se furvis credens tenebris, his mollis adulter
Vertitur ad facinus, vicinaque lumina mortis
Inſtar habens, fœdum in tenebris delibat amorem.
Mox ubi res patuit, fugit illicet ocior undâ
Præcipiti trepidans, incultaque ſentibus arva
Occupat, errantem paſſim veſtigia terrent

Omnia

a, quâ multo purgatur vinea cultu.
nquam gelidus canis in montibus humor
ur, & calidos metuens nix frigida soles
bibit sitiens, avidéque ingurgitat undas:
a sic subitò putres se gleba resolvit
eres, vires præstant peccata sepulcro.
nemor est ejus genitrix, oblivia cunctos
enent, gratâ pascunt dulcedine vermes.
itur & putris tanquam succiditur arbos.
enim affligit steriles, viduasque relinquit
s opis, fortique viro, multumque potenti
t exitium, si quis consistere contrà
it, hunc propriæ cogit diffidere vitæ,
fidentem Iovæ indulgentia reddit.
umen assiduo perversos lumine gressus
cit, intentisque vias perlustrat ocellis,
nes tollit subitò, subitoque premuntur
, sicuti summis qui culmen aristis
tit, & gravidas succidit arundine spicas.
me mentiri, quis verbis dicere contrà
it, aut sese tam justæ opponere causæ?

CAP. XXV.

nque adeò vocem vacuo collegerat ore
ildad, & hæc infit: superi quem cernimus orbis
concentum numquid constanti pace ligavit
potens, rerum soli cui summa potestas?
quæ ejus cingunt solium, laudantque cohortes
licæ, constant numero? num lumina mundo
icuâ solus fundit radiantia luce?
nen imperio quisquam de semine cretus,
à audebit sese conferre Tonanti?
a est humanæ fiducia turgida mentis!
elus infandum, non illi candida Phœbe
it, aut rutilis pallescant ignibus astra!
æ laus hominis miseri, quem dicere vermem
, & vilis pollutum reptile terræ,

CAP.

CAP. XXVI.

FInierat, quem mox alterno excepit Iobus
Alloquio; quânam preſſas ſub pondere vires
Arte levas Bildad? quis te ſecreta magiſtro
Ardua, & immenſi diſcat miracula mundi?
Semina ſub terris redivivo germine ſurgunt,
Squamigerique greges, & valdè immania cete
Æquorei ſolum nôrunt cunabula ponti.
At rerum æternus genitor, Cocytia latè
Regna videt, nullis tenebrarum impervia velis.
Ille ſui per inane altum tentoria cœli
Explicuit, ſolidæque appendens pondera terræ
In medio, nullis docuit ſubſiſtere fulcris.
Ille etiam liquido ſuſpenſas fornice lymphas
Comprimit, effuſo vaſtent ne gurgite terras,
Flammiferumque arcet nebulis volitantibus æſtum.
Neve ſuâ Nereus turgeſceret altiùs undâ,
Præſcripto rabiem ponti compeſcuit alveo,
Altaque vel nutu ſolo concuſſa tremiſcunt
Atria, & attonitæ cœlo titubante columnæ.
Nunc ſeſe attollit, jactatque ad ſidera fluctus,
Et mox horriſono ſubſidit murmure pontus,
Tanta Dei virtus mundi ſe corpore miſcet.
Quin & mirando cœlos ſua tecta decore
Imbuit, & tortum ſtellas formavit in anguem.
Ille inter geminas urſas ſeptem implicat orbes,
Et ſpiras ſeptem, & ſinuoſa volumina torquet,
In gyrumque urſæ circumdat ſigna minoris,
Et caudâ ſeſe à majori ſeparat urſâ,
Ornamentum inſigne poli: quis cætera fando
Explicet, aut Jovæ exhorrenda tonitrua pandat?
Ad nos vix horum tenuis perlabitur aura.

CAP. XXVII.

COnticuit, ruptoque hæc inſuper addidit ore;
Ut vivit Deus, utque ejus nunc numina teſtor,
Qui me judicio miſerum circumdat iniquo,

Nec

os ullo dignatur fine labores,
ım veſcar, dum ſpiritus hos reget artus,
nquam temerabo crimine linguam,
recto declinans tramite, veſtrum
periturus iter! ſunt conſcia nobis
ıſtitiæ, diro nec mollia vinci
:elerum, & pravis impervia telis.
nque in me dictis inſurgit iniquis
: pravus quicunque invaſerit hoſtis.
pes homini nequam, ſi copia rerum
:reptâ ſubitò de corpore vitâ?
preſſa malis ſceleratæ factio turbæ
ı ſua vota facit, nec victa procellis
ɔem cœli; nec, ſi ſe voce fatigent,
ns illis rebus ſuccurreret arctis.
à, quis ſim divinæ tempore plagæ,
& planâ non ceſſo voce fateri.
ɔrtor vanis ultra deſiſtere verbis.
hæc injuſtis ſors eſt præſcripta tyrannis,
ɛc patrio ſuccedit portio jure.
erit ſobolis numeroſa propago,
unctos cernas occumbere ferro,
:s inopes conſumet tabida edendi,
lethi jugulo ſub morte ſepultos
quam viduo deflebit nænia cantu.
arga bect pictaï veſtis & auri
ıàm multæ oceano numerantur arenæ;
juſtitiæ cedent, partiſque fruetur
, rerumque pio ditabitur uſu.
ædes, ævo ſua tecta perenni
& ſeclis ſperat monumenta futuris:
:r quàm quæ decuſsâ tinea veſte
aut arvis condit mappalia paſtor,
maturos ſervant umbracula fructus.
ıbat dives, non illi copia major
: poteſt, deterſo pollice ſomno
ɔorrorumque atris circumdatur umbris.
ɔræceps tempeſtas ingruit iræ,
turbo, & violentior irruet Eurus,
que loco, concuſſaque murmure tellus
e ſede virum, plagaſque repentè

Ingeminans, juſti rector non parcet olympi.
Ille fugam, ſi quà poſſit vitare, capeſſens,
Divinæ nunquam vindictam effugerit iræ.
Quis non applaudat, cernit cùm tale tyranni
Exitium, exſertâ illudit cui ſannio linguâ?

CAP. XXVIII.

FErri, æris, fulvique auri, argentique metalla
Scindimus è terræ venis, doctaſque ſequuntur
Artificis liquefacta manus, arcanaque pandit
Naturæ ſecreta labor, lucemque reviſunt
Ætheream, infernis altè ſubdu cta cavernis.
Exundat torrens, terræque illapſa meatus
Præbet iter tutum, ſed ſubterranea lympha
Ingenio cedit, doctâque educitur arte.
Eſt ubi flava Ceres exultis naſcitur arvis,
Sulphureis ſubtus ſpirans incendia venis.
Illic ſapphirus lapis eſt, ramentaque flava
Suppeditat pulvis, generoſum ut diſparet aurum.
Non illas volucri quæ ſulcant æthera pennâ
Cognovêre vias, nec ſolis vulturis arvis
Sentit iter, rabido tellus ignota leoni,
Et quæcunque terit deſertos ungula campos.
Quinetiam montes ima à radice revellit,
Subvertitque ferox, duriſque è cautibus amnes
Elicit, & ſilicum prorumpunt flumina venis,
Et cohibet ripis, & fontibus obligat ora.
Ille videt quidquid pretioſo occulta reſervat
Terra ſinu, ac imis Acherontia regna lacunis.
Sed quibus in terris ejus prudentia fixit
Ignotas homini ſedes, quo comparet illam
Mercator pretio, quæ non has incolit oras?
Quæris abyſſum ubi ſit, ſeſe noviſſe negabit,
Ignorant alto demerſi gurgite campi,
Nuſquam ejus venalis honos, argentea ſordent
Pondera, nec flavis Ophyre confiſa caminis
Jactat opes, non hanc Sapphiro aut Onyche quiſquam
Cryſtallove paret, puro eſt præſtantior auro,
Sardius haud æquet, non ipſa eſt unio tanti,
Nec qui perſpicuo ſplendet Carbunculus igne,

Nec

lec ſe Smaragdus, non ipſe Topazius æquet
Æthiopum, nec quod gemmarum maximus orbis
lacrimat, Tethyſve ſuis irrorat arenis.
ſt ubi ſecretas fixit prudentia ſedes,
norat quidquid mortali carpitur aurâ,
leſcit iter, levibus cœlo quæ remigat alis,
rditio, & mors ipſa imis defoſſa latebris,
amâ, aiunt, noſtras tantum pervenit ad aures:
t Pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
ecretos novit calles, arcanaque tecta.
amque illi totum Nereus quà perſonat orbem,
t cœli convexa patent, qui pondera nimbis
entorumque alis ſtatuit, libramine juſto
lenſus aquas, ſuperâ ſeu pendent fornice lymphæ,
eu pelagus vaſtum concluſis æſtuet undis.
umque ſuas pluviæ, fulgur, tonitruque tremendum
ociperent leges, illic prudentia viſa eſt;
ideruit vires, factas res ordine cunctas
mnibus aptavit numeris, penituſque repoſta
onſilia, atque aditus perveſtigaverat imos:
ſt hæc ſcire hominem voluit; ſapientia ſumma eſt
x animo metuiſſe Deum, & prudentia prima
vitio fugere, & rectos inſiſtere calles.

CAP. XXIX.

RErexit Jobus, linguæ ſic clauſtra reſolvens.
O mihi præteritæ referat ſi tempora vitæ
mnipotens, qualis primæ ſub flore juventæ
luminis auxilio fueram, cùm prævia lampas
irigeret certos nobis per inhoſpita greſſus!
on ejus noſtros tum dedignata penates
ura fuit, numeroſâ mihi cum luderet aulâ
rogenies, oleoque meæ veſtigia plantæ
bluerem, & rupes ſuccos ſtillaret olivæ;
umque urbis peterem portas, ſolioque vocatis
ra darem populis, tunc inconſulta juventus
ondere ſe latebris, adſurgere cana ſenectus
ueverat, intenti proceres tacita ora tenebant,
lec quiſquam ſolvit nocituram in murmura linguam.
ſe, quicunque aderant, uno ſimul ore ferebant

Ad cœlos, quoniam pauper me judice tutam
Senſit opem, & nullo pubes defenſa patrono
Patris egens, linguis nobis animiſque favebant
Afflicti, & vidui deflentes tædia lecti.
Undique conſpicuum circumradiabat amictus
Juſtitiæ, & recti cinctus diademate vertex.
Pro pedibus claudis fueram, pro lumine cæcis,
Atque orbis genitore parens; mihi ſedula cura
Adfuit ignotas ſtudio perquirere lites.
Cumque inopes tererent diſperſos ore molares
Illiſi, & fracto prædam de dente recepi.
Tum mihi felicis promiſi ſecula vitæ,
Extremumque diem fati, ceu feſſa ſenectam
Morte novat Phœnix terris oriente remotis.
Ac veluti irriguæ quæ conſita margine ripæ eſt
Arbor ero fœcunda diu, cœlique perenni
Rore fruar, nomenque meum, laudeſque manebunt
Perpetuò, nullis fortunæ obnoxia telis.
Accreſcent firmæ renovato robore vires.
Parebat populus, cupidâque exceperat aure
Dicta mea, & muti me conſultante ſilebant;
Nec mea prudentûm quiſquam reſponſa refellit:
Interea totus noſtro pendebat ab ore,
Dura ſiti tanquam tellus, cui roſcida ſtillat
Unda poli, & lymphis arentia temperat arva.
Si me fortè joci caperent & gaudia riſu,
Vix me credebant vultus liquiſſe ſeveros,
Offenſæ timidi: ſemper primaria ſedes
Cœtibus in mediis ceſſit mihi, regius uni
Eſt delatus honos, ceu rex, cingente coronâ,
Solatur luctum verbis, & pectora mulcet.

CAP. XXX.

NUnc me ludibrio juvenes, viliſque popelli
Quiſquiliæ excipiunt, quorum vix antè parentes
Dignatus catulis fueram præponere noſtris,
Aut armenta ſequi, ſordes, & inertia terræ
Pondera, quos maleſuada fames, & turpis egeſtas
Damnatos ſceleris procul in ſpelæa ferarum
Compulit, aſſiduo terras ubi vomere nunquam

Tau

urus arat, nullos damnant ſua vota colonos:
d vitam urticis tolerant, ſpinoſaque carpunt
buta, vulcanumque fovent in ſtipite raro
niperi: medias ſi fortè intraverit urbes,
furem exſibilant, coguntque excedere portis.
ſubit foſſas alto torrente cavernas,
ſcopulos vepreta inter, friguſque famemque
eminat, rabidos credas rugire leones.
x vulgi, genus impurum, ignavoque parente
genitum, limi ac telluris inutile germen,
me decantant ſatyras, ac carmina dicunt.
ngant ſeſe, & lævo procul omine vitant,
c ceſſant fœdare ſuo mea tempora ſputo.
ippe Deus noſtri nervum jam diſcidit arcûs,
ixitque malis, & frenum his depulit ore.
urgunt in me pueri, dextrâque juventus
uit, impellitque pedes, veſtigia calcat
itii, tritoque premor, ceu ſemita, calle:
uta noſtra via eſt, quamvis nil hoſtibus iſta
fuerint, ruptoque hoſtiles tramite turmæ
umpant caſtra, & victâ ſtatione triumphant.
ndique circumdat terror, ventique ruentes
ripiunt animam: ceu concita turbine nubes
icta ſalus periit totis emarcida nervis.
c mihi nox curas minuit, jactataque vaſtat
la dolor, fœdum virus mihi ſordida veſtis
buit, & cingit polluto tegmine corpus
ectum triviis, & multo pulvere merſum.
Tu tamen intereà cœleſtis conditor aulæ
iſquam ades afflicto, ſed multâ voce rogatus
ta finis levibus ventorum errare procellis:
e quoque hoſtiles animos, inimicaque ſpiras
ctora, & infeſtis contra me accingeris armis,
blimemque altis ventorum ſubvehis alis,
ffluat ut tenuis conſumto corpore vita.
n equidem ignoro tandem quin debita fatis
ſolvenda mihi, ſed numquid meta laborum
ta manet vitâ functum, vel vindicis ira
viet in mortem, & cineres affliget inertes?
gebitque ſuis cæca ſub mole querelis?
nè unquam ficcis quiſquam conſpexit ocellis,
m gemeret pauper, rebuſque attritus egenis

Suſpiraret opem? ſed me tum proſpera cuncta
Sperantem adverſa excipiunt, lucemque tenebræ
Eripiunt, regnatque imo ſub pectore, nullo
Fine, dolor: nigrum ſolis non reddidit ardor.
Auſcultat magnâ clamantem concio voce,
Miraturque novas voces, lamenta draconis,
Aut quales vacuos terret cùm ſtruthio campos:
Decolor ecce caro eſt, calidoque exæſtuat intus
Ardens ore vapor, cytharæque & nablia cantum
Mutârunt lacrimis, & fletu pectora pulſant.

CAP. XXXI.

IPſe ego cum propriis quondam ſum pactus ocellis,
Accepique fidem, ne me ureret ulla videndo
Femina, & arcanum virgo ſpiraret amorem:
Nam quæ ſpes nobis ſuperis reſtaret in oris,
Si vitii ſectarer iter, quod tramite vaſto
Ducit ad infernas, pallentia regna, tenebras?
Ante oculos, pater alme! tuos noſtræ orbita vitæ
Tota patet, binas æquato examine lances
Sume manu, quo ſe ſceleris contagio noſtri
Deprimat, innocuæ vergant quo pondera vitæ.
Si me perverſos calles, oculique ſequutum
Illecebras patulæ maculârunt munera dextræ;
Tunc quæcunque ſeges noſtris adoleſcit ariſtis
Me fugiat, cedatque novis tranſcripta colonis.
Si cuiquam inſidiis obſedi limen amatæ
Conjugis, aut caſtas violavi crimine tædas,
Crimine quo nullum ſævas magè concitat iras
Judicis, atque imâ populatur ſede penates:
Per me nulla mora eſt, noſtri quin fœdera lecti
Polluat, & molli ſtupro ſe jactet adulter.
Non ego judicio famulos crudelis acerbo
Oppreſſi, memor ut fragilis conceperit ulva
Humanam effigiem, & ſimilis primordia vitæ;
Sic ſe propitium ſummi clementia patris
Præbeat, excelsâ cùm majeſtate tribunal
Judicis ingreſſus trutinæ moderamine rectæ
Urgebitque hominum vitas, & præmia ponet.
Si fera pauperies, noſtram indignata repulſam,

In

viduiſve averti quæſtibus aurem:
pillis cerealia munera feſſus
nio, teneris nam primitùs annis
mecum, & ſenſit gens orba parentem:
ſpectus pauper ſub frigore quiſquam
ps jacuit, noſtræ nec vellere lanæ
ms tergo, & nobis bona multa precatus
exſultans; ſi me ſub judice iniquo
ſuccubuit pubes, luxata lacertis
& attritis marceſcant oſſa medullis.
no ſemper ſedit mihi pectore terror
& celſæ metui faſtigia dextræ.
ıentem unquam fulvi fiducia nummi
ıggeſti quamvis ſuperaverat auri
s; ſi me illexit Titania Phœbe
n radiis, vel qui ſol temperat orbem;
junxi dextræ, per ſidera jurans,
ı ſcelus & juſtâ mercede piandum,
nefas Jovam gentili more negâſſem:
:um fractis hoſtis diffideret armis,
:ntarunt mentem; ſi vindice linguâ
ultus voces maledicta rependi;
ɔſtinui famulum, cum nomine noſtro
pœnas, odio irritatus acerbo:
mihi cura fuit, ne clauſa viator
& obſtructas defleret cardine portas:
o occului commiſſæ crimina culpæ,
vano noſtri occæcatus amore,
.dam, primi ſuxit cùm mala veneni,
denſâ ſeſe caligine texit;
ı ſequitur triſtis malè conſcia culpæ,
fortè fuit, populo turbante, coorta
impavidum medio me concio cœtu
:ificis mulcentem pectora dictis.
n feci, nec læſi ignobile vulgus,
ɛ patulo reſonabant cardine portæ.
ıi ſi liceat juſto ſub judice cauſſam
ſi calamo vitæ momenta peractæ
& dicam nobis inſcriberet hoſtis!
ı monumenta humeris, & vertice celſo
:ſtarem cunctis, & principis inſtar
er tali fulgens ſublimis amictu.

Si mea lugenti tellus deflevit aratro,
Si ſulci gemuere mei, ſi dura coloni
Conditio nullâ Cererem mercede miniſtrat:
Tum generoſa licet committam ſemina terræ,
Carduus & ſpinis ſurgat paliurus acutis.
Hæc Jobus, & facto ſic tandem fine, quievit.

CAP. XXXII.

AT tres non ultrà pergunt contendere amici,
Quòd ſeſe nullo maculatum crimine vitæ
Crederet, idque ultrò verbis jactaret Iobus.
Quæ poſtquam Elihu vidit, Barachelia proles,
Qui Buzen numerabat avum, Ramitide clarâ
Stirpe ſatus, calidos irarum concipit æſtus.
Hinc indigna virum jactantia movit Iobi,
Qui ſeſe auderet rerum præferre parenti.
Illinc ardebat furiis, quòd muta tenerent
Ora omnes, & quem firmâ ratione nequibant
Vincere damnantes, animos auxiſſe ſuperbos.
Non tamen indulſit linguæ, verituſque ſenectam,
Canitiem merito prudens adfecit honore.
Sed cùm nulla illis pulſarent murmura linguas,
Iratus tales diffudit ab ore loquelas:
Hac me noſtra tenùs primæ lanugo juventæ
Terruit, auderem canæ ne noſtra ſenectæ
Senſa loqui, namque attritis prudentia ab annis
Viſa mihi ſeroque uſu pendere magiſtro.
At Pater omnipotens ſacri ſpiramine flatus
Imbuit humanos animos, & cœlica pandit
Dona virſs: ſapiunt divino munere parvi,
Deſipiunt multi, queis ſpargunt tempora cani.
Audite, expendi veſtræ certamina vocis,
Alternaſque vices fandi, nec victor Iobum
Arguit, aut rectâ quiſquam ratione refellit.
Nam ratio vobis hæc prudentiſſima viſa eſt;
Non illum mortale aliquid, ſed concita terret
Ira Dei, juſtiſque luit ſua crimina pœnis.
Ipſe illum, quoniam potior ſub pectore nobis
Sermo ſedet, prior aggrediar, juſtèque movebo.
Terror habet reliquos, tacitâque ſilentia ſignant

Ora

manu, mutæque hærent in gutture voces.
d moror? ipſe meo promam de pectore verba,
ore quod multo jamdudum murmure clauſtris
uat, & patulas certat proferre ſub auras:
ı aliter concluſa cadis bullantibus undis
ſta gemunt intus, ſpumat vis ignea Bacchi.
ɔ iter expediam linguæ, gravidoque levabo
:e animum, nec perſonam, aut diſcrimina vultus
ɔiciam, nec me mutato nomine quemquam
npellare juvat, fictis præfatio verbis
ɔlicet; utentem, ſubitâ me morte Creator
leret, & triſti æternùm conſumerer igne.

CAP. XXXIII.

TUnc his, quæ dicam memorem te advertere mentem
Jobe precor, puro quoniam de pectore ducam
:eram nullo fucatam crimine vocem.
ſacer effinxit fragilis de pulvere limi
tus, & accendit vegetam ſpiramine vitam.
ponde, & promtis contra me accingere verbis.
d metuis? quin noſtra vides interritus ora?
nentum mortale times? non aſpera nobis
ba ſonant, quamvis meritus ſis aſpera verba.
ıon iſta meas nuper vox perculit aures?
nunem ſceleris vitam ſine labe peregi,
ɔugnat me fraude Deus, Mavortia frendens
. ferox, nervoque pedem, atque obſeſſa viarum
uſtra tenet, nonne agnoſcis veſtigia vocis
ıſtæ? quid enim divina potentia cedet,
e! tibi, tolleſque animos, cœlumque laceſſes,
ecum omnipotens verbis certare recuſet?
quibus ille modis humanas, accipe, mentes
diat; nam vel ſeſe ſub nocte ſilenti,
m tacitos volvit Phœbe Titania currus,
ıibet, inquè ſonum ſinuoſas explicat aures,
ɔrmatque animum monitis, quid quemque ſequi fas,
æ via declinet recto, quàm dira rebelles
na manet, tum quâ poſſint ratione ſupremum
tium, ferrique acris vitare furorem.
t quatit adfectos labefactis oſſibus artus,

Immit-

Immittitque luem, non illum pocula Bacchi
Ulla juvant, ſordet Cereris genialis arundo.
Carnea marceſcit moles, flaccetque medullis
Omnis honos, ſupereſt mortis niſi nomen inane.
Tum ſi quis pietate valens, cui pectore Suada
Inſidet, interpres divini & nuncius oris,
Juſtitiæ pandat calles, veniamque precatus,
Vota ferat Jovæ: afflicti miſerere, Redemtor!
Interitu ſerva, ſpes in te ſola recumbit:
Propitium nobis Chriſti te victima reddat,
Reſtituet primæ quondam ceu flore juventæ;
Ille colet Jovam ſupplex, & pectore toto
Diliget, & vultu lætus gaudebit amœno.
Gratuito reddet miſeratus Jova favore
Juſtitiam, tunc ille altâ per compita voce,
Peccavi miſer, & recto de tramite flexi
Infelix, iter; haud iſtos inſiſtere calles
Profuit, heu noſtræ ſenſi infortunia culpæ!
Ille meam mediis animam de faucibus orci
Eruit, atque novâ dignatur luce Redemtor.
Hæc fortis ſunt facta Dei, bis terque monentis,
Qui ſervat foveâ, qui vivâ lampade luſtrat.
Auſcultа, attentas hic ſermo poſtulat aures.
Si quid habes dignum profer: ſed, Jobe! ſilere
Profuerit, noſtro prudentia manat ab ore,
Servandi mihi namque tui primaria cura eſt.

CAP. XXXIV.

COnticuêre alii, ruptoque hæc inſuper ore
Addidit Elihu; vos ô quibus abdita rerum
Scire datum, rectique vias callere latentes!
Huc adhibete animos: ſtudio explorata fideli
Eloquar, occultaſque æqui tentabo latebras.
Auris ſermonis judex, guſtûſque palatum eſt.
Immunem ſceleris ſeſe proponit Iobus,
Injuſtas clades, & iniquas numinis iras
Arguit, afflictamque omni ſine crimine vitam.
Mentiar haud, inquit, quum ſim ſine crimine, telis
Obrutus, & ſpirent lethalia ſpicula mortem.
Num par impietas Stygio ſeſe extulit antro?

Inve

ſque Jobo ſimilis, ludibria tanta
et, innocuæ ceu dulcia munera lymphæ?
llis addit ſocium, quos nulla Tonantis
net, nullis virtus compeſcit habenis?
n, inquit, ſtudio quiſquam ducatur inani,
m curet Jovæ traducere vitam?
cordati! appello; ſcelerata faceſſant
rocul, nec enim novit cœleſte tribunal
m, arbitrio mundum quod temperat æquo,
as ſceleri, & virtuti præmia ponit.
ium quemquam terræ præfecit habenis?
ove præeſt alter, quem condidit, orbi?
ul flatum vaſti quo machina mundi
itur, ſpirantque iſtis animantia terris,
ad ſeſe, ſubitò exanimata fatiſcent
& informi ſolvet ſe tabe cadaver
es, generis quondam primordia noſtri.
te facilem, ſi quid tibi mentis, Jobe!
dhuc, tantumne tuo ſcelus excidit ore,
n rerum Dominum, cœlique perennem
rem, odiſſe pios; indicere bellum
& ſanctum maculari labe tribunal?
hæc impunè ſinit patrare per orbem
ue duces populi, regeſque ſuperbos,
:ſque, inopeſque æquo diſcrimine penſat.
furor vulgi fæcem populatur inertis,
clade tegent injuſtos ſceptra tyrannos,
vi pereunt mediæ ſub tempora noctis.
enim intentis orbem perluſtrat ocellis,
tque vias hominum, tenebroſa profundæ
:lauſtra ſubit, ne quo ſe condat in antro
, fidatve ullis occulta latebris.
ıen immeritâ quemquam juſtiſſimus ultor
etit, forteſque viros, multumque potentes
, ut ſolio juſtus ſuccedat iniquo.
juſta patent; nam noctis protinùs umbras
, & clarâ reſplendent omnia luce.
ti inflatos quiſquam comploſerit utres,
in propria tumidus ſtatione peribit:
: Dei ſprevit leges, & noluit ejus
qui, gemituſque inopes, & triſtia verba
, excelſas Jovæ deduxit ad aures.

Ille ſimul pacem dederit, quis territa turbet
Pectora? quis vultus rurſum condente ſerenos
Pandat opem miſeris? an non offenſus iniquo
Dat fatuos reges populo, rurſumque rebelli
Immites frenat populo turbante tyrannos?
Ergo Deum implora fortem, cui parcere cordi
Inſidet, invitus ſeſe convertit ad iras.
Quod video, ſcelus agnoſco, me crimina tecta
Inſtrue, nam poſthac ſemper peccare recuſem;
Ex animo hæc numquid profers? clemenſque rependet
Jova tibi, ſed ſi porrò contendere pergas,
Elige, nam talem nequaquam elegero ſortem;
Quin loqueris, quæ fert animus? prudentia poſco
Pectora, num ſtolidis violarit vocibus aures
Jobus, & indigno fœdarit crimine linguam?
Alme parens! priùs his Jobum ne dedere pœnis,
Quam victas dedat palmas pro talibus auſis,
Ne ſcelus accumulet ſceleri, ludibria jactet
In ſocios, ipſi indicat certamen olympo.

CAP. XXXV.

PRomit adhuc tales Elihu de pectore voces,
Siccine te vanæ tollit fiducia mentis,
Ut pietate parem credas non eſſe Tonantem?
Quid mihi profuerit, dices, quòd talia paſſus
Supplicia, & tantas exſolvo corpore pœnas?
At te nunc, Jobe! admoneo, ſocioſque per orbem
Quos hic error habet, ſinuoſi tegmina cœli
Adſpice, ſuſpenſaſque alta ſub fornice lymphas.
Si ſceleri indulges, numquid nocitura Tonanti
Arma geris? contrà, ſi recto tramite vitam
Dirigis, an poteris quidquam prodeſſe Tonanti?
At tua te ſervat pietas, vicinia tota
Sentit opem, ſceleris contrà contagio latè
Serpit in exitium, luctuque involvit acerbo.
At dices, gemit aſſiduo plebs multa tyranni
Fracta jugo, & largo ducit ſuſpiria luctu,
Nec tamen attingunt inopum Cœleſtia curæ.
Haud equidem inficior, ſed non ea turba potentem
Ritè vocat Dominum, Deus ô mihi conditor adſis!

Ut

Ut te nocte canam: nam ſunt mihi plurima laudis
Argumenta tuæ, pronas ſpectantia terras
Bruta fugit ratio, nec avis quæ præpete pennâ
Ingreditur didicit prudentis dogmata vitæ.
Sed quonam vanas pacto voceſque, preceſque
Audiat, auſcultetve tibi, qui cernere ſummum
Nec contemplari credis mortalia Jovam?
Jobe hanc expendas, ipſo te judice, cauſſam,
Exſpecteſque Deum; nam quod neglexeris illa,
Ignorans quàm munificus, clemenſque, bonuſque,
Quanta illi largo diſtillet gratia fonte,
Hinc plagæ, & tantas Jovæ furor induit iras.
At tu dilatas ſceleratis ora querelis,
Nec facinus ceſſas verbis augere ſuperbis.

CAP. XXXVI.

ACcipe quæ dicam, non longa filentia poſco,
Nec mihi vox deerit, cauſſam quæ judicis æqui
Aſſerat, ipſa ſuos pandet prudentia fontes.
Non equidem omnipotens, fortis qui robore dextræ
Prævalet, afflictos rebus deſpectat egenis:
Propitiumve videt ſceleratæ factio turbæ;
Aut quoquam à juſto flectit ſua lumina cœtu:
Sed tandem extollit ſoliis, & regibus æquat.
Quod ſi compedibus vincti, ſtrictâque ligati
Pauperie fuerint, illis commiſſa repentè
Indicat, & cauſſas divinæ nunciat iræ.
Hortatur retrò à vitiis veſtigia flectant.
Si corde inducat Jovæ parere monenti,
Illum tarda dies numerantem gaudia vitæ
Imponet tumulo; ſed ſi parere recuſet,
Non aciem ferri, aut mortem vitabit acerbam.
Nam fallax animi, & pœnis gens neſcia flecti
Theſauros iræ cumulat: primâque juventâ
Occumbet, viles inter, ſua ſcorta, cynædos.
At pater inſontes & opis miſeratur egenos
Omnipotens, nec te, ſi certa in vota vocaris,
Deſpiciet, trepidique ereptum è faucibus orci,
Luxificis lætum faciet diſcumbere menſis.
At tu judicio es totus repletus iniquo,

Pervertiſque æqui leges, quibus omnia fulcit.
Hinc iras ſpirat, te ſævi verbere flagri
Auferet, & nullo ſervabis munere vitam.
Quid tibi divitiæ, quid fulvum proderit aurum?
Quid vires? ne mortem opta ſub nocte ſilenti,
Innumeræ cujus clauduntur tegmine gentes,
Nec mentem addicas ſceleri, quo te effera ducit
Paupertas, ſuadetque ſuis affiictio telis.
Ecce Deus cunctis virtute & robore præſtat!
Illi quis doctor ſimilis, præſcribere leges
Qui recti queat, & Jovam incuſabit iniqui?
Sis memor, ut magni miracula plurima mundi
Facta Dei, noſtros circumfulgentia ſenſus,
Magnificis verbis & multâ laude celebres.
At Jovam immenſum qui cuncta hæc condidit auctor
Vix noviſſe datum eſt, æternæ tempora vitæ
Quis numeret, nôritque dies, annoſque perennes?
Ille ſimul calido evectos à ſole vapores
Colligit in panſas tanquam tentoria nubes,
Et facit arenti diſcurrere nubila vento,
Aut lavat æthereo demerſos gurgite campos.
Franguntur nubes, multo terrore reſultant
Fulmina, collucent accensâ lampade campi;
Mox piceâ nubes pontum caligine celat.
His modò terra luit pœnas, modò paſcua rura
Irriguis ſaturantur aquis, modò lumina ſoli
Obtegit, & currus Phœbæos invidet orbi.
Hoc intercedunt divini tempore vates,
Placaturque Deus, ſolioque exaudit ab alto.

CAP. XXXVII.

IPſe animi, quoties rerum admiratio verſat,
Deſtituor, quatiorque imis terroribus artus.
Mugitu tonat horrendo, vis ignea flammæ
Emicat, ingenti miſcetur murmure cœlum,
Voce boans Domini, miſta cum grandine nimbus
Inſequitur, fugit omne genus pecudumque, hominumque
Attonitique imis ſubeunt ſua tecta cavernis.
Turbine perflantur campi, ſata læta tepenti
Excipiunt lymphas gremio, ſtat marmore pigro

Vinc

palus, Boreæ horrificis calcata pruinis.
equidem miranda Dei, qui temperat orbes
:os, totumque regit liberrimus axem.
acidas vultu terras proſpectat amœno,
:vam immittit meritis mortalibus iram:
nunc aures, & mundi arcana patentis
lubens; num te comitem ſibi legit, Iobe!
latuit legem vacuo, cùm figeret arcum
bit innumeros adverſo ſole colores?
caluit quondam tepefacto veſtis ab Auſtro,
quo ponunt ſedati turbine venti?
raſne illi, celſi cùm tegmina cœli
uit, ſolido tamquam conflata metallo?
quidem obruimur tenebris, tu ſi quid, Iobe!
a mens alto ſecum ſub pectore verſat;
mihi rerum cauſſas, cur nubila cœlo
ſolem impediunt, Boreæ nunc flabra minacis
iant, redeatque iterum lux aurea mundo:
:t hæc rerum ſolus ſibi vendicat auctor,
l, virtute potens, & robore multo
icuus; quales non ulla afflictio vires
:ntit, vel ferre queat, penetralia mentis
, nec dubiis opus eſt inquirere rebus:
ibi qui ſapiunt, cordatique eſſe videntur,
it, aut dignos prudentum nomine cenſet.

CAP. XXXVIII.

Pater omnipotens rapido de turbine Jobum
Appellans, capiant, inquit, certamina tandem
modum, & promtis contra me accingite lumbis.
e habuit regio, ſolidæ fundamina terræ
jacerem, & primus mundi conſurgeret axis?
:exit rubricam oculis, orbiſque profundum
is iter, ſtatuit ſuſpenſæ pondera terræ
dio, aëreis tantùm ſuffulta columnis?
:cœli convexa procul tentoria flammis
t, æternumque melos, laudeſque parentis
:ii angelicis docuit decurrere plectris?
rabiem ponti, rudibus quum ferveret undis,
nuit, mulcens animos? retinacla furenti

Quis

Quis dedit, & certas vetuit transcendere metas?
Annè unquam roseum linquens aurora cubile
Est monitus experta tuos, ut lampade terras
Viseret, alternis iterum observanda tenebris?
Tempore quo impietas densis sese occulit umbris,
Brachia franguntque elati sæva tyranni.
Dic si mensus iter pelagi es, quo gurgite Nereus
Altior, ima petens lethæos misceat amnes?
Vidistine domos Ditis, regna invia luci?
Quàm longa est tellus, quàm largo in Tartara clivo
Præcipitat, quanto circus se colligit orbe?
Sin te scire vias rerum, momentaque mundi
Nosse putas, paucis ne dedignare rogantem.
Quas habitant terras tenebræ, quo limine lumen
Exeat, unde atrâ rediens nox palleat umbrâ?
Utque hæc cognôris, numquid primordia vitæ
Cœperunt tum prima tuæ? num cana senectus
Adscribit tibi tot numeratis messibus annos?
Copia quanta nivis, quàm largo militat æther
Grandine, quo sese tollunt è tramite venti,
Fulguraque, & duras motura tonitrua mentes?
Ecquis fœcundos gravidis è nubibus imbres
Dividit in terras, ne desolata querantur
Arva sitim, & lætis tellus arrideat herbis.
Quis pluviam genuit, rorem, canamque pruinam,
Horrentemque gelu glaciem, quâ turbida aquæ vis
Sistitur, & pigro torpescunt marmore fluctus?
Quis super alta poli flammantia temperat astra?
Arcturum, pluviasque hyadas, sidusque Orionis,
Vergiliasque suâ virtute, atque ordine pandit?
Num simul increpitet tua vox, è nubibus altis
Præcipitem dabit unda gradum, num fulgura parent
Imperio subjecta tuo? quis tanta repentè
Scire dedit, sophiamque animis accenderat auctor?
Quis nubes docuit sapphiri ritè colorem
Exprimere, & sudo volitantia vellera cœlo?
Utque utres alto suspensas æthere lymphas
Diffluere in terras, sparsus per compita pulvis
Cogitur in glebas, fœcundaque recreat arva.

CAP

CAP. XXXIX.

quorſum ætherii curas ſpeculamur olympi?
e mihi ſolùm, quo docta læna magiſtro
ſtruit, ut catulos ſoletur hiantes?
ibus manat corvis, cùm flebilè pulli
ant, poſcuntque ſuo clamore Tonantem?
rupicapræ, & cervæ quo tempore primùm
ant, quotus abſumat faſtidia menſis?
multâ partum nituntur in auras
qui pinguis detondens pabula campi
it, miſsâque colit deſerta parente.
i quis ſolvit? qui ſunt qui libera colla
re onagro? ſolus campeſtria juſſi
olat, ſterileſque agros, deſertaque ſalſa;
s urbis ridet, vocemque tyranni
etuit, montana illi ſunt paſcua, gramen
r viride, incultis per inhoſpita terris.
eroſnè ulli domitus ſub pondere aratri
t, aut raſtro glebas perfringet inertes,
itvè viam Cereri, aut ſpem colliget anni
a ferens dorſo? num hos robuſtus in uſus
pavonem alis, quibus ille ſuperbit?
i depictis decorata ciconia pennis?
uthius panſis nequaquam inglorius alis;
tua eſt volucris, mediis ſua negligit arvis
ec incertus metuit ne fortè viator
at, aut vacuos depaſcens ungula campos:
ihi curæ, calidoque foventur ab æſtu:
lla eſt genitrix; ſed rerum providus auctor
eſſe piam; voluit cùm ſurgeret alis
re equum curſu, & volucres feſſoris habenas.
is equo robur tribuit, qui hinnitibus auras
it? accendunt rabidæ ſpiramina nares,
tque jubis, vaſtum quatit ungula campum,
ciens Martem: non illum ſpicula terrent
, nec rutilis ardens mucronibus enſis,
tque animis, & Martia concipit arma
ilis clangore tubæ; num fecit Iobus
ter calidos ut curſu invaderet auſtros,

Et rabidos aquilæ auderent contemnere ſoles?
Ille ſuper celſas deſerta cacumina rupes
Ardua tecta colit, notaſque cadaveris auras
Haurit, & intentis prædam ſpeculatur ocellis,
Jamdudum crudos aſſueſcens ſanguine natos.
Et Dominus Jobo, hæc illum feciſſe neceſſe eſt,
Qui dubio mecum ſubeat certamine Martem.
At Jobus, nimium, fateor, temeraria nobis
Lingua fuit, tacitus poſthac tua juſſa verebor.

CAP. XL.

AT Pater omnipotens vocem de turbine pandit;
Tune es quem ſtudium commendat amabile recti,
Nos vitio intenti pollutum degimus ævum?
Num tibi ſtant æquæ firmo ſub pectore vires,
Aut tali vox ore tonat? Sume ardua, quæſo,
Sceptra manu, auricomis plaudat tibi gloria pennis.
Undique cingat honos ſolium, dent ſæva ſuperbi
Supplicia, afflictis jaceat gens impia terris.
Non ibo inficias, propriæ quin munere dextræ
Servari, innocuamque queas producere vitam.
Ecce tibi Behemoth, noſtri pars una laboris,
Tondeat ut fœnum campis, fortiſſima lumbis
Robora habet, virtus magna inſidet umbillico.
Cauda inſtar cedri eſt, nervoſo tegmine teſtes
Occulit, adſurgunt validis firmata medullis
Oſſa, velut ferri rigidis conflata caminis.
Excellens opus eſt Jovæ, nec ferrea deſunt
Arma illi, gladium proboſcis & arma miniſtrat.
Et tamen innocuis Elephas ſua pabula campis
Carpit, & alludunt lætas armenta per herbas.
Illa ſub umbroſo producit tegmine ſomnos,
Et ſalicum quærit latebras, ſubſiſtere credas
Flumina cùm mediis ingens ſeſe abluit undis,
Quod ſi fortè ſitim ſedet, non ebria, quamvis
Jordanem vacuum totis abſorbeat undis.
Aſt illi validæ tendens venabula dextræ
Omnipotens, laqueis nares præfigit acutis.
Num balæna tibi fallaci pendeat hamo,
Ore trahens funem, maxillaſque ære rigentes

Per-

Perfodies ſpinæ ſtimulo, monſtrumque domabis.
Indocile, iratum verbis ut leniat hoſtem?
An tibi perpetuâ tradet ſe lege miniſtram
Servitii ſubitura jugum, vel paſſeris inſtar
Delicias faciet pueris, convivaque menſæ
Appoſitas libabit opes, cautuſvè redemtor
Dividet in partes? non harpagonibus uti
Piſcanti prodeſt, nec acuto fuſcina dente.
Siſte manum, durâ bellum nam ſorte capeſſis:
Spes capiendi ejus mendax, terrorque repentè
Dejiciet, tantis quis non fruſtrabitur auſis?

CAP. XLI.

ILla ſoporifero cùm dat ſua membra cubili,
Quis levet è ſomno, quis ſeſe opponere nobis
Audeat, invicta eſt cui magna potentia ſoli?
Omnia cui parent? ſed pauciſ ora reſolvam.
Quum decus & firmis ornet compagibus artus,
Num veſtis quiſquam ſtrictæ patefecerit oras,
Et docili freno patulos conſtrinxit hiatus,
Nil veritus multâ ſævos formidine dentes?
At veluti juncto irrumpunt umbone phalanges,
Sic ſeſe impediunt ſquamæ clypeique teguntur
In morem, & turos arcent à cuſpide morſus.
Nec tenues ullo penetrant ſpiramine venti.
Naribus eructat ſparſæ vaga lumina flammæ;
Purpurei radiant oculi, vulcania tædas
Ora vomunt, fumus flagrantibus æſtuat auris.
Ardua colla jubis, quàcunque immania verrit
Æquora, crudelis latè comitatur egeſtas.
Stat ſolidâ compage caro, ſub pectore cautes
Poſſidet, obductoque rigent præcordia ferro.
Illa immane ſimul tumidis caput extulit undis,
Diffugiunt omnes trepidi, queis gloria laudem
Conciliat bello, nec enim ſubſiſtere contrà
Ferri acies, thoraxve poteſt ex ære rigenti.
Mucro inſtar paleæ eſt, glacies ceu futilis æra
Diffiliunt, fundæ ridet balearis habenas.
Nec catus arcitenens, nec ſtridula terret arundo:
Lancea cùm multo vibratur robore ridet,

Ferveſcit velut olla undis bullantibus æquor,
Spumea quà graditur caneſcit ſemita ponto;
Non illi vaſtis viget æqua potentia terris,
Terroriſque metuſque expers, cui rector olympi
Imperium tribuit ſupra genus omne ferarum.

CAP. XLII.

TUm Job reſpondens converſo pectore dixit;
Non equidem ignoro tandem, quin ſumma poteſtas
Sit, pater alme! tibi, motus quem corda latentes
Non fugiunt: fateor, cæcâ mea pectora nocte
Caligâſſe diu, fateorque ignota fuiſſe
Et neglecta mihi facta excellentia Jovæ.
Cœleſtes crebrò monitus his auribus hauſi,
Audivique lubens divinæ oracula vocis:
At non ante datum manifeſto in lumine Jovam
Perluſtrâſſe oculis: nunc me & mea putida facta
Deteſtorque, odique, & abominor, undique nobis
Luctus erit, teſteſque mihi ſaccuſque ciniſque,
Et fœdum multo conſperſum pulvere corpus.
Tunc ſic Jova Eliphæ; calidâ mens æſtuat irâ
In te Elipha, contraque duos ferveſcit amicos:
Non etenim puro vobis de pectore ſermo
Proceſſit, qualiſque meo manavit Iobo.
Nunc grege de toto taurorum corpora ſeptem,
Balantes totidem numero, mactare repentè
Profuerit, ſcelus hæc vobis holocauſta piabunt
Immenſum, ipſe meas Jobus projectus ad aras
Vota ſimul, veniamque feret: nec tetricus aures
Dilecti potero precibus divertere ſervi.
Haud mora, feſtinant omnes, & juſſa capeſſunt.
Nec duro clemens vultu reſpexit Iobum
Omnipotens, auxitque bonis, fortunaque riſit
Blandiùs, & duplâ lætum cumulavit opum vi.
Quæ ſimulac rumor vicinis attulit arvis,
Accurrunt ſubitò fratres, & læta ſororum
Concio, nec paucis epulæ celebrantur amicis.
Munus quiſque ſuum, cultoque monilia collo
Attulit, & verbis animum ſolantur amicis.
Interea pleno diffuſa eſt copia cornu

duplicique accrevit gloria luxu.
s ſeptem balantes millibus ibant,
mille boum deerant; ſex mille cameli,
iæ errabant campis, ſeptemque beatæ
)mûs genuit natos, ternaſque propagat
ſortis; quarum quæ maxima natu,
oimen habet; quæ proxima, Kezia dicta eſt;
enhappuch poſtremo eſt edita nixu:
nymphæ formâ, nec talia vidit
quà latum radiis ſol temperat orbem.
pater voluit cum fratribus æquo
iæcumque ſibi poſt fata manerent.
)ſt cladem centum ſuperaddidit annos,
enos: tandem matura ſenectus
i annis, ſeriem mirata nepotum
:ompoſuit, tumuloque excepit avito.

FINIS.

THRENORUM,

SIVE

Jeremiæ Prophetæ

LAMENTATIONUM

PARAPHRASIS Poetica:

Eadem PATRICIO ADAMSONO, *Sancti Andreæ in Scotia Archiepiſcopo, Auctore.*

Editio itidem altera.

CAP. I.

QUomodo ſola ſedet, tot nuper civibus orba
Urbs, inter cunctas quæ populoſa fuit?
Ut quæ triſtè gemit defuncto conjuge conjunx,
Et vidui deflet tempora mœſta tori.
Quomodo, quæ gentes ſupra caput extulit omnes,
Victa, tributorum fert patienter onus?
Nec luctum minuunt cæcâ ſub nocte tenebræ,
Et grvido madidas depluit imbre genas.
Nec quiſquam ex priſcis miſeram ſolatur amicis,
Bellaque crudeli ſæviùs hoſte gerunt.

Quo-

nodo ſic patriis migrat de finibus exſul
la, ſui fugiens limina cara ſoli?
ſpes eſt inter gentes jucunda quietis,
iguſtumque atrox obſidet hoſtis iter.
nodo mœſta Sion deſerto tramite luget?
populus regni ſabbata rara colit?
ſolatæ deflent ſine judice portæ?
vacua à myſtis atria ſola gemunt?
lida virginitas tundit ſua pectora palmis,
:c ſibi amara umquam deſinit eſſe Sion.
rerum potitur, miſereſcere neſcius, hoſtis,
:taque tranquillâ gaudia pace colit:
:et ardeſcens offenſi numinis ira
tifici ſcelerum triſtia fata tulit.
captiva phalanx juvenilibus exſultat annis;
imium amiſit nata Sione decus.
ta nobilitas nullo diſcrimine belli
nit in hoſtiles deditione manus.
ıe volant trepidi campis per paſcua cervi,
: illi, cervi more fugacis, eunt.
)lyme! deflens inimicæ vulnera dextræ,
ım ſubeunt animum gaudia priſca tuum?
populi turmas hoſtilis demetat enſis,
torvo feſtos rideat ore dies.
avit Solyme, impuris ceu menſibus uxor
)ſtinet à caſti fœdere ſola tori;
ı ſinus, latas oſtentat fimbria ſordes
lis, amatori deſpicienda ſuo.
ninat luctum, triſtemque averſa dolorem,
ercedem hanc ſceleris vix memor eſſe ſui.
cùm corruerit, mirando perdita caſu,
lamen miſeræ qui ferat ullus adeſt.
; ô mihi, Jova! favens; nam turgida criſtas
)llit, & hoſtilis colla ſuperba furor.
antur gentes pretioſa, & ſancta profanant
ria, barbarico non adeunda choro:
uo populus paſcit jejunia fletu,
:c modicam pellit res pretioſa famem.
: parens! miſeram clementi reſpice vultu,
ec vilis ſervi deſpice vota, Deus!
adverte animum, tranſis quicunque viator,
ſe pari quidquam poſſe dolore putas?

Jova

Jova furens in me ferventi exæſtuat irâ,
Oſſaque dejecto cœlitùs igne coquit.
Intendit pedibus cæcâ venabula fraude,
Ne poſſim tortos arte cavere dolos.
Tranſverſum me retro agitat, terræque ſupinum
Alligat, & totos langueo ſola dies.
Utque gemunt fortes torto ſub vimine tauri;
Sic juga me ſceſerum crimine texta premunt.
Nec ſuperant vires, nec fracto in corpore virtus,
Nec disjecta iterum tollere membra licet.
Conculcat pedibus præſtantem robore pubem,
Et cecidit validâ fracta juventa manu.
Atque ut torcular maturas exprimit uvas;
Sic virgo Judæ filia trita fuit.
Hinc mihi perpetuis decurrunt lumina rivis,
Et madidi ex oculis flumina roris eunt.
Nec ſpes affulget redivivæ parva ſalutis,
Pignoraque hoſtiles diripuêre manus.
Mœſta Sion tendit panſas ad ſidera palmas,
Suppetias nuſquam, qui ferat, ullus adeſt.
Finitimos omnes, ſunt hæc præcepta Tonantis,
Juſſit Jacobo bella ciere ſuo.
Immunda eſt Solyme, & juſtus ſine crimine vindex
In mea crudeli crimina Marte furit.
Huc oculos populi, & noſtras advertite clades,
Quas capti juvenes, quas mea virgo luit.
Cùm poſco auxilium, ſpes me fruſtratur amantûm,
Enecuit myſten cum ſeniore fames.
Me conclamatis tandem, Jova! adſpice rebus,
Cor mihi ceu medio fluctuat unda mari,
Et tamquam pelagi tumidis vexata procellis,
Viſcera ſunt craſſo turbida noſtra luto.
Deflexi, fateor, nec parcit pœna rebelli,
Enſe foris pereo, mors mihi certa domi eſt.
Nec cum lugubri reſonant mea pectora planctu,
Quiſquam eſt qui molli leniat ore malum.
Interea feſtis celebrant Pæana choreis,
Lætaque fit plagis gens inimica meis.
Quin, Deus! à ſanctis olim prædicta prophetis,
Vertis in hoſtiles triſtia tela greges?
Conſpectum ſubeant inimicæ crimina gentis,
Parque pari crimen conditione luant.

Me

Me ſceleris afflixit, pavido cor pectore languet,
Solvit & in luctus ſqualida membra dolor.

CAP. II.

QUomodo nata Sion picea caligine tecta eſt?
Sublimiſque ruit de ſtatione poli?
Nec memor eſt ſcamni, (ſic fervens æſtuat irâ)
Quod pedibus ſuberat, motus Iova, ſuis.
Quomodò munitas Judæ fundo eruit arces,
Ne reliquas habitet gens Jacobæa domos?
Abjecit regnumque ſimul, procereſque potentes,
Et cum principibus, ſceptra profana ſuis?
Quomodo divino periit ſic impete robur,
Viſque Iſraelis tota repentè ruit?
Et retrahit dextram, dextram ne conferat hoſti,
Flamma Jacobæas undique paſcit opes:
Quomodo more hoſtis, tenſoque minaciter arcu,
Dirigitur celeri certa ſagitta manu?
Electos perimit populi lethalis arundo;
Ignis edax vaſtæ tecta Sionis habet.
Quomodò ſic vultus hoſtiles vertit in iras,
Nec firmas arces, nec loca culta ſinit?
Et multo Judæ confecta eſt filia luctu,
Triſtia perpetuo lumina rore lavat.
Utque hortus, rupto firmæ munimine ſepis,
Contra ſilveſtres non habet arma feras.
Conventus ſpernit, vileſcunt Sabbata, Regem
Deſpicit, Antiſtes ſentit abeſſe Deum.
Quomodo rejecit ſacris altaria flammis?
Reſpuit & templi tecta verenda ſui?
Ac urbis muros, & celſas occupat arces,
In Jovæ & reſonat gens inimica domo?
Quomodo diſruptis admota eſt linea muris,
Ac æquata ſolo mœnia celſa ruunt?
Langueſcunt firmæ circum pomœria turres,
Nec retrahit dextræ vulnera Jova ſuæ.
Quomodo, convulſis, miſerandum! vectibus, alto
Sublimes portæ ſic cecidere loco?
Vates, Rex, Princeps, peregrinis gentibus errant,
Hi ſine lege, illum viſio nulla monet.

Quo-

Quòmodo cana cohors ſeniorum ſtate verendâ,
Et cinere, & ſacco corpora ſtrata ſilent!
Demiſſo graditur Solyme tua lumine virgo,
Nec lacrimas oculi ſuppeditare queunt.
Viſcera ſunt lutulenta, & putri turbida cœno,
Ex jecore immenſi ſanguinis unda fluit.
Me triſtes populi caſus, nil conſcius infans,
Et mediâ lactens obrutus urbe movent.
Appellant pueri dulces cognomine matres,
Sed nulla eſt vini copia, nulla cibi.
Mors triviis regnat, genitrix miſerabilis artus
Excipit, & gremio tabida membra fovet.
Quos teſtes tibi, nata Sion! quæ exempla requiram,
Ut te conſoler, par tibi qualis erit?
Non pelagus tumido Boreas cum turbine perflat,
Tanta procelloſis verbera ſentit aquis?
Quis medicam præſtabit opem cum futile vates
Somniet, & vano te gravet ore furens?
Nec reducem, ut par eſt, peregrinis evocat oris,
Sed nova captivæ ſemina gentis alit.
Complodit manibus, lævo caput omine quaſſat,
Sibilat hoc gradiens quiſque viator iter.
Hæccine ait cunctas inter præcelluit urbes,
Cauſſaque lætitiæ gentibus una fuit?
Effundunt hoſtes torvo convicia rictu,
Dentibus infrendit turba profana ſuis.
Hæc optata dies, albo ſignanda lapillo,
Hæc, aiunt noſtri meta laboris erit.
Jova olim priſcis à ſe decreta diebus,
Conſilii præſtat firma ſtatuta ſui.
Quod te deſtruxit, quòd cornu erexerit hoſti,
Ejus ſolius dextera ſola fuit:
Interea tumido turgent præcordia faſtu,
Clamat & in Jovam gens inimica nefas.
Nata Sion! fac ut muris nova flumina currant,
Et rivi ex oculis nocte dieque fluant.
Nox precibus ſit parva tuis, confinia lucis
Teſtentur vigiles in pia vota manus.
Nec te cor pudeat, liquidæ & libamina lymphæ,
Fudiſſe in Jovæ pectora nuda ſinum.
Reſpice, Jova! meos clemens mea pignora natos,
Tabida quos mediâ conficit urbe fames.

Reſpici

Reſpice palmares pueros, quos languida mater
Cogitur ingratis mandere deliciis.
Siccine, qui ſacris operantur myſtica templis?
Et cadet ante aras ipſe propheta tuas?
Nec virgo, parvuſque puer, juveneſque, ſeneſque,
Evadunt enſis vulnera cruda tui.
Concilium vocitas, paſſim terrorque metuſque
Advolat, & cogens agmina multa pavor?
Nec quiſquam eſt reliquus qui tanta è clade ſuperſit,
Barbarico lactens concidit enſe puer.

CAP. III.

ILle ego ſum, tanto qui ſic diſcrimine vexor,
Edidit in quem iræ tot documenta ſuæ.
Involvit tenebris, cæcâ caligine merſit,
Nec lux eſt oculis ulla relicta meis.
Inſtar me adverſum crudi ſe comparat hoſtis,
Ingeminans iræ fulmina ſæva ſuæ.
Oſſa quatit frangitque imis concuſſa medullis,
Trita caro eſt, marcens & ſine carne cutis.
Extruxit vallum, foſsâque ac aggere cinxit,
Obſidet & caſtris dira cicuta ſuis.
Utque colunt tenebras vitâque & lumine caſſi;
Sic me mortiferâ nox tegit atra domo.
Undique me ſepſit, ne ſpes mihi reſtet eundi,
In laqueoſque chalybs ingenioſus erat.
Inclamo numen, levibus ſed vota procellis
Credimus, & ſurdâ negligit aure preces.
Invia facta via eſt cæſi munimine ſaxi,
Per ſalebroſa meum devia flectit iter.
Inſidias, urſique inſtar crudique leonis,
Comparat, ut lacerum vexat ovile fera.
Contra me tenſo torquet ſua ſpicula cornu,
Lethalis renes tranſit arundo meos.
Me rideni gentemque meam, me paſcit amaror,
Illita lethifero pocula felle bibo.
Deprimit in cineres, fractos in rudera dentes
Evomo, pax animæ nulla relicta meæ eſt.
Denè omnis Lethæa boni me oblivio cepit,
Et dixi, robur, ſpes mea tota perit:

Cùm plagas recolo, planctus, abſynthia; mentem
Lurida cùm ſubeunt toxica pota meam.
At poſtquam hæc alto rurſum ſub pectore verſo,
Spes rurſum nobis pectora mœſta fovet.
Summa Dei eſt bonitas, ſumma eſt clementia Jovæ,
Quod ſupereſt noſtri gratia ſola fuit.
Certa fides dictis, factis conſtantia ſumma eſt,
Solis ut Eoo qui vehit axe diem.
In te, Jova! mihi fiducia tota recumbit,
Eſque animæ tu ſors illa beata meæ.
Jova bonus, ſi quis ſpe non confidat inani,
Abque ſalutifera pendeat ejus ope.
Felix ô nimium teneris qui aſſueverit annis,
Sub ferula Domini ſuſtinuiſſe jugum!
Felix qui tacitus lævo ſine murmure perfert,
Ora gerens triſti pulverulenta ſitu!
Felix qui fœdæ patitur convicia linguæ,
Et plagis læto porrigit ore genas!
Scilicet exſpectant Dominum, qui tempora ſignans,
Auxilio numquam deſinit eſſe ſuis.
Mœſtitiâ affecit, ſed qui modo vulnera fecit,
Ille idem medicam mox tibi reddet opem.
Invitus, fateor, tales ſe accinxit in iras,
Nec propriâ quemquam ſponte perire cupit.
Quod calcant inopes crudi juga ſæva tyranni,
Juraque pervertunt infidioſa piis:
Quod nulli eſt æqui ratio, flectitque tribunal
Gratia vel munus; num probat iſta Deus?
Unde hæc ſunt dices, ſi Jova haud fecerit auctor?
Num bona, nonne ejus prodit ab ore malum?
Cur contra Jovam dictis inſurgit iniquis,
Qui pro peccatis vix leve ſentit onus?
Quin noſmet potiùs trutinæ moderamine rectæ
Pendimus, & verſo fundimus ore preces?
Alme Deus! qui templa colis procul ardua olympi,
Reſpice nunc panſas in pia vota manus.
Nos, heu! curvos ſequimur per devia greſſus,
Externæ procul hinc orbita legis abeſt.
Defectrix gens noſtra fuit populuſque rebellis,
Non impunè tamen res ſcelerata tulit.
Perſequeris nos more hoſtis, atque obtegis irâ,
Nec finem cladis bellicus enſis habet.

, Jova! interea nube & caligine velas,
Ne noſtræ penetrent in tua vela preces.
os viles animas, fœdæ ut purgamina terræ,
In medio iſtius gentis ineſſe finis.
latant patulis contra nos rictibus ora,
Nec mors, nec clades, nec pavor ullus abeſt.
nc lacrimæ largis humectant lumina rivis,
Maxima de parvis fontibus unda fluit.
c prius areſcent flentes in flumina venæ,
Vulnera quàm clemens viderit iſta Deus,
iciunt oculi turbatam in pectora mentem;
Nata Sion! cauſsâ pectora mœſta tui.
meritò me contra hoſtis venabula tendit,
Ut ſolet immites qui capit arte feras.
jaciunt lapides, & ſaxa minantia torquent!
In foveam ſubitò mors truculenta rapit.
ora me exundant multis vaga flumina rivis,
Ut me nil aliud quàm periiſſe putem?
clamo numen, lacco me Jova profundo
Audiit, atque omnem juſſit abeſſe metum.
ta mihi patronus erit, quo vindice fretus,
Vita mihi in mediis eſt mea tuta malis.
me, Deus, judexque! æquo moderamine libra,
Quæ mala pertulerim, quanta ferenda mihi.
n te quæ tacito ſecum ſub pectore muſſat,
Nec fugit illa oculos ultio ſæva tuos.
bra audis, noſtique animi ſecreta latentis,
Cognita, quæ dicunt, quæ meditantur, habes.
ſurgunt, placidove locant ſua membra cubili,
De me perpetuò quod modulentur habent.
lde vices, meritaſque luat gens impia pœnas,
Et referant factis præmia digna ſuis.
defende pios, & forti protege dextrâ,
His animi invigilet cura benigna tui.
illos diræ, & crudelis vexet Erynnis,
Atque ardens furiis torva Megæra ſuis.
antum iràque odioque potes, tot concipe flammas,
Ne videant cœli tegmina celſa tui.

CAP. IV.

QUomodo ſordeſcit rutilis fulgoribus aurum,
Et templi lapides compita cuncta terunt!
Nata Sion, quondam obriſo pretioſior auro,
Facta eſt ut vilis terrea teſta luti.
Ecce! phocæ lactant catulos atque ubere paſcunt:
Nata Sion duræ cor ſtruthionis habet.
Quomodo adhæreſcit lactentis lingua palato,
Nec datur infanti quâ levet eſca famem!
Quomodo deliciiſque fluens, veſtitaque cocco
Gens inter cineres ſtercore fœda jacet!
Nec ſubito Sodome flagrans à ſulfure pœnas,
Quàm longo Solyme fracta furore dedit.
Non lac candidius, nec nix eſt pulcrior alba,
Formoſus quondam quàm Nazaræus erat.
Non ſic effulget rubeo carbunculus igne,
Pulcraque ſapphiros vincere forma poteſt.
Quomodo nunc nigrâ vultus fuligine pallet!
In vicis faciem lurida membra negant.
Utque arens lignum, ſic imis oſſa medullis,
Carne carens tenuis vix tegit oſſa cutis.
Quomodo, quos rabies conſumit tabida edendi,
Hoſtili cupiunt oppetiiſſe manu?
Et ſatius ducunt effuſam in vulnera vitam,
Quàm victum ſterilis prata negare ſoli.
Quomodo maternos genitrix oblita favores,
Sic ſua funeſtâ pignora clade vorat?
Jova furens laxas irarum effudit habenas,
Nata Sion avido funditus igne perit.
Quis regum Solymam, quis totius incola terræ,
Vaſtatam hoſtili crederet eſſe manu?
Sic vates peccata luunt, delicta ſacerdos,
Et gens innocuo ſanguine tincta manus:
Cum cæci plateis errant, adſpergine veſtis
Sanguinis & fluido tincta cruore madet.
Hinc tamen impuri clamant procul eſte profani,
Ne tangas tetro fœda cruore, cave.
Interea celeres ſparſis in gentibus errant,
Exſilii dicunt parva futura mora eſt.

Quo

uos facies Jovæ peregrinis expulit oris,
Quos vultu non est intuitura suo.
ùm neque trux senibus nec mystis parserit hostis,
Momento Solymem posse redire putas?
ıtereà auxilii nos spe lactamur inani,
Ægypti frustrà cùm speculamur opem.
npediunt, quàcunque imus, venabula gressus;
Mœsta dies, summus jam mihi finis adest.
ernices superant aquilas, hostesque sequuntur;
Aërios montes, seu loca sola petunt.
pes quæ sola fuit, quâ vitæ traximus auram,
Quæque inter gentes lætior umbra foret;
ovæ unctus, sacrâque caput perfusus olivâ,
Nunc etiam hostiles incidit in foveas.
aude Hutzi tellus! plaudens læteris Idume!
Pocula lethifero mutua felle bibes.
:bria eris, discincta sinus, nudataque corpus,
Vix mentis compos terra futura tuæ.
Cum tua Jova, Sion! tandem delicta piârit,
Tunc postliminii jus habitura tui es,
At te cum patriis, Edom! rejecerit oris,
Nulla dies longi meta doloris erit.

CAP. V.

JOva! memor nostri, tristes adverte querelas,
Quæque ferunt hostes probra pudenda vide.
Ecce peregrinus nostras novus advena sedes
Occupat, & culti jugera lata soli!
Pupilli sumus, & soboles orbata parente,
Et viduæ mater tædia sortis habet.
Nec gratis fruimur currentis munere lymphæ,
Inque focum gratis cædere ligna nefas.
Incumbit collo qui nobis insidet hostis,
Et veluti indomiti terga fatigat equi.
Cùm panem supplex posco, nos accola Nili
Negligit, Assyrius nil mea vota facit.
In tua peccârunt nostri mandata parentes,
Nos iræ luimus fulmina sæva tuæ:
Imperium patimur crudi servile tyranni,
Sed quis servili liberet imperio?

Pauxil-

Pauxillum victûs multo diſcrimine vitæ
Quærimus, & ſterilis non caret enſe locus.
Atra cutis calido ceu furni obduruit antro,
Præſtaret dicas enecuiſſe fame.
Vim patitur virgo, nec fœdis abſtinet auſis,
Invita impurum femina paſſa nefas.
Suſpendunt teretis proceres ex arbore trunci,
Canities illos nil reverenda movet.
Deduntur juveneſque molæ, piſtrinaque verſant;
Succumbunt pueri, ſic grave vexat onus,
In portis legeſque ſilent, ceſſatque ſenatus,
Lugubri juvenes carmina voce fremunt.
Nec ludunt choreis, nec ducunt ordine ſaltus;
Heu capiti cecidit læta corona meo!
Væ peccâſſe mihi, ſcelere irritâſſe Tonantem!
Hinc oculis tenebræ, languida corda pavent.
O mihi cara Sion, non parvi es cauſſa doloris!
Cùm vulpes habitent per ſacra templa feræ.
Tu, Jova! alterni vicibus non ſubderis ævi;
Qui fueras, idem tu quoque ſemper eris.
Tu judex æquis orbem moderaris habenis;
Fixaque ſunt ſolii juraque faſque tui.
Redde iterum me, Jova! tibi, ut mea pectora vertam;
Et renova noſtros, ceu fuit antè, dies.
Num nos omnino ſpernes, ſic concitus æſtu es?
Æternùm ut nullo ſæviat ira modo.

FINIS.

GVLI.

GULIELMI HOGÆI

PARAPHRASIS

JOBI

POETICA.

CAP. I.

TEtra olim, roſei ſurgunt ubi lumina Phœbi,
(Cum jam cæruleo manè exit in æthera lecto,
Præcipiteſque fugat ſtellas, nocturnaque pellit
Lumina, ſidereas abigens ex æthere turmas)
Uzza vocabatur: Poſt ſecula plurima tandem
Magnificum Heroem (tantis natalibus una
Nobilitata fuit) ſanctum produxit Iobum.
Illi animi purâ Dominum pietate colebat,
Semper & innocuum ſine labe exegerat ævum,
Flagitium & ſceleris fœdi contagia vitans
Aſſiduè, cœtuſque malos fonteſque malorum.
2 Maſculeos genuit viridanti robore natos
Septem, tres numero formâ præſtante puellas.
3 Illi blanda quies tranquillæque otia pacis
Cuncta miniſtrabant jucundæ commoda vitæ:
Namque ovium, tenero campi quæ gramina roſtro
Ad fluvios ſalientis aquæ creſcentia tondent,
Millia ſeptem habuit, magnos ter mille camelos;
Nec non quingentas aſinino è ſemine matres:
Ac valido totidem juga dorſo appenſa trahentes,

Aſſidue

Aſſidue glebas ferro frangente tenaces
Vaſta laboriferi ſubigebant arva juvenci.
Et domus auratis latè radiata tapetis
Innumeros habuit per amœna palatia ſervos.
Uſque adeo in terris longe fuit ille ſupremus,
Manè novo radiis rutilus quas tundit Eois
Phœbus, ut æquoreis nitidum caput exſerit undis:
4 Ergò alacres certis epulas ſtruxêre diebus,
Inque vicem læti convivia lauta parabant,
Ædibus in propriis habitantes, maſcula proles;
Tres quoque participes pariter fecêre ſorores.
5 Jamque dies feſtis epulis cùm addicta veniret,
Formoſam ſobolis ſeriem collegit in unum;
Æternumque patrem lacrimis vultuque ſupino
Sollicitat, geminas tendens ad ſidera palmas;
Effunditque preces: aliiſque ſopore ſolutis,
Ante jubar ſolis ſomnos diſcuſſit inertes,
Atque torum liquit, juxtaque altaria cædens
Corpora ſacrificis animantûm exurere flammis
Dat, conſanguineam numero referentia turbam.
Namque meo, dixit, generata è ſanguine proles
Rebus erit nimium nimiumque elata ſecundis,
Labefurque Dei ex animis reverentia vanis,
Forſitan & laxas ſceleri permittet habenas.
Nec ſatis eſſe putat ſemel hunc præſtare laborem,
Sed quoties alacres repetunt convivia nati,
Hos toties ad ſacra vocat: tum pectore puro
Auxilium cœleſte petit, numenque ſupernum
Cæde laboriferi colit imploratque juvenci.
Panditur interea limen radiantis olympi;
Protinùs Angelicæ volitant ſimul agmina turbæ
Sideream in ſedem, ſatanaſque intervenit audax:
Quem ſic aggreditur ſuperi Regnator olympi:
Tu quibus hic tandem veniens te ſiſtis ab oris?
Ille refert, ſceleris quaſi nil ſibi conſcius atri,
Innumeras conſtante vias errore replebam,
Sæpe agili varias ſolitus pede carpere terras.
8 Tum Deus arcanæ cernens penetralia mentis:
Ergóne ferventi ſtudio conaris Iobo
Stulte veneniferas odii jactare ſagittas,
Qui ſemper mea jura colit legeſque verendas;
Qui ſcelerum genus omne fugit; quem vincere conſtat

Inſignes

pietate viros, quoscumque capaci
n immensus gremio complectitur orbis?
ine, inquit satanas, cassis ingentibus ille
sque animo recipit tua jussa benigno?
nne ita conservas ipsumque torumque laremque,
à dextra trepidet pariterque sinistra,
. ambigui maneat discrimine fati?
te quamcunque animo spem nutrit avaro
& innumeros finis beat alma labores.
te magnos sibi colligit æris acervos,
pum, crescit pecudum fœcunda propago.
vastas semel aufer opes modò, sic tibi certè
a rabidum cito consuet ille venenum.
tulit omnipotens nutu qui cuncta gubernat:
committo quidquid sibi vendicat ille,
de neci; sistat tamen ista furoris
m tibi meta gradum: crudelis in ipsum
ac furias ego lege coerceo vestras:
adspectum fugiens volat ocior Euro,
; acer, atrox, spirans bellum, arma, ruinas:
tè dies sidetat soboles quâ tota coibat
in fratris, natu qui maximus; illic
manducant pecudum, atque imposta canistris
oratæ segetis, vinoque redundant.
rea cessante domi genitore propinquat
& dominum miserandâ voce salutat,
es duras terræ jam vomere glebas
t, juxtaque asinis carpentibus herbam,
tinus indomiti rapuêre utrosque Sabæi,
os necuêre tuos: sine parte pericli
o fugiens tibi fata hæc tristia narro.
: benè desierat, subitò venit alter & inquit:
delapsa polò vaga flamma repente
s, uffit famulos: sine parte pericli
o fugiens tibi fata hæc tristia narro.
: benè desierat, subitò venit alter & inquit:
Chaldæi tria collegêre feroces
: ingentes secum rapuêre camelos,
os necuêre tuos: sine parte pericli
o fugiens tibi fata hæc tristia narro.
: benè desierat, subitò venit alter & inquit:
o cuncti juvenes de sexibus nati

Fraternam ſubière domum, lætique ſedebant,
Dulciaque appoſitis comedebant fercula menſis,
Et multo in primis hilarant convivia vino.
19 Ecce Eurus rapidus deſerta per avia ſpirat,
Inque domum volitans flabris agitare tremendis
Incipit ille ferox, everſiſque undique fulcris
Quaſſa domus ſubitâ cecidit miſeranda ruinâ,
Et natos nataſque tuas mox obruit omnes
Una ſtrage ſimul ſubitò: ſine parte pericli
Solus ego fugiens tibi fata hæc triſtia narro.
20 Hæc ſimul attonitas fama horrida venit ad aures
De nece natorum, ferro radiante capillos
Diſſecuit, veſtemque ſuam laceravit, humique
21. Procubuit, ſupplexque Deo mox ora reſolvit,
Effundens humilem ſedato pectore vocem,
Incurvanſque caput lacrimis ita fatur obortis:
Olim ego communis luteo de ventre parentis
Nudus eram egreſſus, nuduſque revertar in illum;
Dona dedit Dominus; mihi qui dedit, abſtulit idem:
Semper honos nomenque Dei laudeſque manebunt.
22 Uſque adeo quamquam toties vexatus Iobus,
Numquam laxa dedit rabidæ retinacula linguæ,
Nec Domino ſtolidis maledixerat ille labellis.

CAP. II.

PAnditur interea domus omnipotentis olympi,
Conciliumque vocat mundi Pater atq; hominum Rex
Sideream in ſedem, ſatanaſque intervenit audax,
Nec metuit ſanctæ comitem ſe adjungere turbæ.
2 Tum Pater ætherei graviter ſic fatur olympi:
Tu quibus hic tandem veniens te ſiſtis ab oris?
Ille refert, ſceleris tamquam haud ſibi conſcius atri,
Innumeras conſtante vias errore replebam,
Ingentem celeri ſolitus pede cingere terram.
3 Tum Deus arcanæ cernens penetralia mentis:
Ergóne ferventi ſtudio conaris Iobo
Stulte veneniferas odii jactare ſagittas,
Qui ſemper mea jura colit legeſque verendas,
Qui ſcelerum genus omne fugit, quem vincere conſtat
Inſignes pietate viros, quoſcumque capaci

Ter-

Terrarum immenſus gremio complectitur orbis?
Ante illum pietas decoraverat aurea, nec jam
Præcipitat dubium tranſverſa per avia greſſum:
Sed veri rectique colit ſervatque tenorem
Antiquum, nec fata virum tam triſtia mutant
Afflictum preſſumque gravi ſua corda dolore:
Illi etenim variis agitarem ut corda procellis,
Non animum movêre meum ſcelera impia quorum
Mens pia non maculis fuerat ſpurcata pudendis,
Non animum movêre meum ſcelera impia; verum
Ut tecum in dubia durum luctamen arena
Exſuperans tandem & victricia ſigna reportans
Victor magnificos ageret poſt bella triumphos.

4 Sed neque jam ſatanas operâ ſtudioque nocendi
Feſſus erat, damnis cumulat damna horrida, luctus
Luctibus inſequitur, miſerumque dolore dolorem.
Ergò acies iterum renovat, rerumque potentem
Talibus irritat Dominum: ſeſeque ſuoſque
Objiciet variis quiſquam, mihi crede, periclis,
Dummodo non propriæ ſubeat diſcrimina vitæ.

5 Vulneribus pateat corpus modò: ſic tibi certè
In faciem rabidum rabido vomet ore venenum.

6. Rettulit Omnipotens nutu qui cuncta gubernat:
En! tibi permitto illius pulcerrima membra
Arbitrio cruciare tuo, & transfundere morbos;
Scinde, ſeca, lacera: ſiſtat tamen iſta ruenti
Præcipitem tibi meta gradum; ne exſcindito vitam:

7 Hâc ſaltem furias ego lege coerceo veſtras.
Ille Dei adſpectum fugiens volat ocior Euro,
Atque hominem ulceribus figit mox undique denſis;
Undique, nam talos à vertice plenus ad imos
Totus erat, toto cruciatus corpore morbis:
Morbis, ille quibus miſerè exagitatus in horas
Indoluit magis atque magis, creſcente dolore.

8 Genua labant, trepidæ nequeunt conſiſtere plantæ;
Ergò miſer diſcumbit humi: mox fragmine teſtæ
Ulcera dura fricat, aliquà relevare laborans
Ulcera, ſanguineo paſſim manantia tabo.

9 Hæc uxor lacrimoſa videns laxata profanis
Frena dedit furiis, ſtolidiſque ita vocibus infit:
Uſque adeo prorſus remanent expertia mentis
Corda tibi, ut cupias animo ſpes fingere vanas,

Eventumque optare bonum, licet actus iniquis
Casibus & dubiis, minitanti sorte, procellis?
Funde preces: maculas cæcæ lacrimare pudendas
Nequitiæ: * hoc facto subitam tibi dextera cædem
Acceleret, miseræ spatium citò contrahe vitæ.
10 Ille refert merita graviter succensus ab ira,
† Nunc pro consilio sano tibi debeo grates
Femina, tu vestri longe stolidissima sexus
Femina! Quid? cùm tanta Deus mihi dona dedisset,
Non etiam exspectem genitorem posse minari,
Æquo animo horriferæ patiens fera flabra procellæ?
Usque adeo quamquam toties vexatus Iobus
Non umquam rabidæ laxat retinacula linguæ.
11 Quam primum attonitas hæc fama advenit ad aures
Horrida; tres illi sociali fœdere juncti
Antiqui comites Eliphazus gente Temanus,
Et Suchitarum Bildadus origine natus,
Atque Namathites Zopharus sua linquere tecta,
Et pede pernici patriis discedere ab oris:
Atque ita conventi terram petière feracem,
Hesperiæ diversa plagæ quæ subjacet Euris.
12 Ergò procul comitem simul ac vidêre jacentem
Ulceribus densis uno tamquam ulcere toto
Corpore consperſum, ah! quantum distabat ab illo
Qui nuper multis præclarus honoribus ingens
Laude ferebatur, tetigit quoque vertice cœlum;
Quique vocabatur patriæ laus maxima terræ,
Et populi tutela sui quos vixerat inter,
Hunc simul ac vidêre, comam sibi pulvere spargunt
Et flentes laceras traxêre à pectore vestes.
13 Cùmque propè accedunt, lacrimantes squalida terræ
Corpora projiciunt. Septem sine murmure noctes
Sederunt totidemque dies, nec verba loquuntur
Dulcia, vitantes strepitumque sonumque loquendi,
Ne cumulent miserum cupidi relevare dolorem.

CAP. III.

TAndem ora Jobus in querelas solverat
Dolore longo languidus, nec propriis

Male

* *Sic Beza locum hunc interpretatur.* † *Ironia.*

Male ominari abhorruit natalibus.
2 Sic ergò vocem tollit ille lugubrem,
Mœstisque pulsat ætherem ejulatibus.
3 Lux illa pereat quâ creatus sum miser:
Nox illa pereat, nuncium quâ venerit
Proles in orbem venerit quod masculæ.
4 Lux illa nigris sit tenebris obsita,
Cerumque nulla conditori cura sit,
Piratoque cunctis lumine haud resplendeat.
5 Imago mortis illam obumbret tetrica,
Densâque tota nube lateat obruta:
Illam nigredo reddat horrendam omnibus,
Quicumque fines ultimos terræ colunt,
Quoscumque clarâ percutit sol cuspide.
6 Nox illa nigris sit tenebris nigrior,
Numquamque sociis juncta sit posthac suis,
In mensiumque calculum non prodeat:
7 Planèque fiat illa solitaria,
Mœstoque penitus horreat silentio.
8 Quos torquet angor atque lamentabilis
Dolor, suæque ignobilis vitæ piget,
Sortem querentes flebilem, atrocissimis
Hanc exsecrentur exsecrationibus,
9 Ejusque quando accesserit crepusculum,
Caligo stellas universas obtegat:
Lucem diurnam exspectet usque languida,
Fallatur autem atque inde tristis mœreat.
Nec ejus oculis dulcis auroræ jubar
Appareat nec splendeat gratissimum.
10 Cur non in illam congeram diras preces,
Quæ matris uteri claustra reseravit meæ,
Nec me futuris miseriis subtraxerat?
11 Cur non in auras vita nostra evanuit,
Et in sepulcro sum repentè conditus,
Quando parentis primum ab alvo prodii?
12 Quare papillas blanda nutrix obtulit
Mihi? sinuque condidit? vel aëris
Injurioso ab impetu defenderat,
Cunis in ipsis fasciis circumplicans?
13 Nam sic cubâssem protinus feliciter
Exsors laboris & doloris anxii,
Consors quietis & perennis otii.

14 Cum

14 Cum regibus qui regna terræ rexerant, 1
Magnatibusque, qui ſepulcrorum ſibi
Struxêre moles maximas, ditiſſimas
Pulcrèque pictas in locis ſilveſtribus:
Quorum leones ſæpe terram permeant,
Quorum volucres ſæpe ramos pervolant,
Sed deſtituti ſunt virorum cœtibus.
15 Aut cum caterva principum potentium,
Qui poſſidebant aureis & æreis
Argenteiſque fulgidas vaſis domos,
In orbe donec vixerant feliciter.
16 Aut more fœtûs, non adhuc qui particeps
Vitalis auræ carpſerat lumen, forem.
17 Hîc ſæva ceſſat improborum injuria,
Carpunt quietem hîc languidi laboribus:
18 Incarcerati hîc liberi ſunt carcere,
Nec ſe virorum pertiment prementium
Vocem tremendam & rauca vocis murmura.
19 Plebeia ſtirps hîc atque ſtemma regium,
Servuſque heruſque nil habent quo diſcrepent.
20 Cur vivit ille, qui procellis turbidi
Vexatur animi, nec quieta littora
A fluctuumque flaminumque viribus
Jam ſpectat, aut ſpectare ſperat poſtmodo?
21 Qui felle vitam amariorem judicat,
Sed melle mortem dulciorem judicat,
Flaviſque nummis ſub ſolo reconditis
22 Hanc anteponit; qui reſultat gaudio
Tumulo reperto, in quo recumbat mortuus?
23 Cur vivit ille, quem Deus doloribus
Circumplicavit undiquaque triſtibus?
24 Mihi profectò vita ſola eſt emori:
Mensâ paratâ lacrimarum flumina
Menſam antecedunt, luctus & ſuſpiria.
25 Nam quod loco omni, omni verebar tempore,
Quod pertimebam corde trepido palpitans,
Hoc prorſus ipſum contigit mihi & meis.
26 Noctes dieſque me pavor circumſtetit,
Nec blandienti ſpe fovebar: attamen
Ingens dolorum nunc tumultus obruit.

CAP. IV.

TUnc Eliphazus præcipuus trium
Honore, & ævi tempore maximus,
Has fervidus voces profudit,
Cæci animi latebras recludens.
2 Forſan dolores accumulabimus
Si colloquemur paucula, ſed tamen
An juſtus ullus jure poſſit
Frena ſuæ retinere linguæ?
3 En ipſe nutantes animos tuo
Sermone firmâſti & trepidas manus:
4 Multoſque verbis roborâſti
Poplite ſucciduo labantes.
5 At nunc iniquis ſors Aquilonibus
Movet procellas; hinc tibi pectora
Vexata ſingultum remittunt,
Et gelidus notat ora pallor.
6 An mentis ergò hæc integra puritas?
Hæc ſpes vocanda eſt? hic Domini timor?
An cuncta tandem evanuêre, &
Cum rapidis abiêre ventis?
7 Ab uſque primis omnia ſeculis
Exempla tecum collige ſedulo:
A ſtirpe cæſos non videbis
Innocuos animique puros.
8 Quicumque ſemen nequitiæ ſerunt,
Fruges acerbas nequitiæ metunt:
9 Afflatus hos magni Tonantis
In cinerem minuit ſolutos.
10 Sic improborum vel ſenio gravis
Ætas, vel ipſo in robore perditur:
Sic fœda ſtirps puellulorum
Flagitiis maculoſa fœdis:
11 Qui ſemper atro dente ferociunt,
Qui dira rauco murmure proferunt,
Tamquam leones & leænæ,
Et catuli rabidi leonum.
12 Clam fortè acutis auribus imbibi
Paucos ſuſurros nocte ſub algida,

13 Ut membra torpor alligabat
Implacidis relevata curis.
14 Mox terror ingens & penetrat tremor
In ossa cuncta, & protinus artubus
Horrore tanto diffolutis,
Conſiterant rigidi capilli.
15 Namque ante vultus tranſierat meos
Demiſſus ad me flammifer Angelus;
Demiſſus, ut ſanctam doceret
Juſtitiam Domino placentem.
16 Mox ille greſſum ſiſtit, imaginem
Quamdam videbam: non tamen illius
Formam notabam, quæ nequibat
Corporeis oculis notari.
Tandem ille rupto pauca ſilentio
17 Levi ſuſurrat murmure: num Deo
Se juſtiorem quis putabit
Stirpe hominum fragili creatus?
18 Non ille ſanctis nititur Angelis,
Quos ala pennis evehit aureis,
Delirio captaſque ridet
Cœlitum celebres choreas.
19 Quales videntur ante oculos Dei,
Qui terram inertem & pulvereas domos
Tenent coloni, & mox vorantur
Vermiculis avidiſque blattis?
20 Hos Phœbus alto ut ſurgit ab æquore
Mors raptat atris unguibus, uſque quo
Laboribus feſſus diurnis
Currat in Heſperium profundum:
Raptoſque nemo reſpicit omnium
Quos terra geſtat, nec niſi ſubdolis
Unus vel alter forte mutam
Proſequitur lacrimis favillam.
21 O pompa mundi, gloria, vanitas,
Laus, fama, ſplendor, magnificentia!
O quàm repentè ab his volatis
Vos rapidis fugitiva pennis!
Ad regna Averni triſtia conſlutunt:
Sanare nullis ſcilicet artibus
Novere ſeſe, cum propinquat
Mors gravis impatiens medelæ.

CAI

CAP. V.

NUnc voce ſtellas percute flammeas,
Nunc voce valles percute concavas,
Ut icta vocalis remittat
Aura tibi ſonitum loquacem:
An ullus oris orbis in ultimis
Sic te dolentem commiſerabitur?
An turba juſtorum querelis
His faciles adhibebit aures?
1 Vir mentis impos rebus in aſperis
Spem ponit omnem, & frena dat impiis
Furoribus, greſſuque currit
Præcipiti temerè in ruinam.
3 Vidi ipſe talem ſæpè ego floridum
Frondoſa latè brachia pandere,
Radice fultum nil timenti
Horriferæ fremitum procellæ:
Vidi, ſed alti ut vox tonuit Dei,
Ætherque ſævis increpuit minis,
A ſtirpe mox vulſus tremendum
Lapſus humi ingeminat fragorem.
4 Proles periclis obvia plurimis
Infauſta latè cingitur, orphanos
Aperta vis graſſata natos
Præſidii viduos laceſſit.
5 Dumos repoſtas inter & arbutos
Meſſes latronum diripiunt manus,
Ædeſque perfringunt, & aurum
Et nitidos populant lapillos.
6 Non terra curas, non parit aſperos
Pulvis dolores; gens hominum tamen
7 Ad hæc ferenda eſt nata, tamquam
Alta petunt calidæ favillæ.
8 Fortuna * ſi me lubrica ſterneret,
Deum rogarem mox prece ſupplice;

* Id eſt, *Sors vel conditio vitæ.*

Deum fatigarem querelis
Usque meis miseroque planctu:
9 Qui mira promit signa potentiæ,
Quorum profundam nemo voraginem
A summo ad imum emetietur,
Nec numero reputata certo
10 Comprendet: amplis qui rigat imbribus
Versata duris arva ligonibus;
Ut rideat blandè colonis
Fulta seges stipulis decoris:
11 Qui sæpe tollit ex humili loco
Pressos iniquis corda doloribus,
Inter togatas aulicorum
Ut sedeant hilares catervas:
12 Qui callidorum consilia obruit,
Et vana reddit prorsus & irrita:
13 Qui fraudulentos jure captos
Fraude suâ super astra ridet;
14 Et mentis illis lumine fulgidum
Perfundit atris sic tenebris diem,
Ut ambulans gressumque firmans
Cæca ruat chaos in profundum.
15 At impotentes munificus trahit
A vi potentum & fraudibus impiis;
16 Ne pauperum spes obruatur,
Impietasve animos resumat.
17 O ter beatum! quem pater optimus
Curâ paternâ criminis arguens
Castigat, haud a stirpe vulsum
In barathri tenebras relegat:
Fac ergò vanos ne foveas metus,
Mœrore torpens pectora marcido;
Priscam reducet sanitatem
Omnipotens tibi rector orbis.
18 Infligit idem vulnera corpori,
Idem repellit vulnera sedulus;
Unâque morbum sæpe dextrâ,
Et placidum medicamen adfert.
19 Utcunque cinctus mille periculis
Dextrâ, sinistrâ mille periculis,
Tu turbidæ frustrà procellæ
Terrificos trepidabis æstus.

20 Tell

10 Tellure cultâ vota colentium
Fallente, numquam lethiferâ fame
Perdêre, numquam pertimebis
Horriferi fremitum duelli.
11 Clades, ruina, incendia, vastitas
Ventura mentem non quatient tuam:
Tu liber à linguæ flagello
Sub Domini latitabis umbra:
12 Tu vastitatem, incendia, prælia
Ridêbis, ipsam & lethiferam famem;
Nec te ferarum infesta turba
Prædam avido laniabit ore.
13 Quin bruta tecum fœdera sancient,
Et saxa tecum fœdera sancient;
Ne vomerem hæc lædant, vel illa
Dente terant segetum catervas.
14 Ædes beabit candida pax tuas:
Quies penates incolet aureos:
Faustosque successus habebis:
Ex animo tibi vota cedent.
15 Semen videbis tam numerabile,
Quàm nata campis gramina floridis,
Quos rara fœcundat pruina
In liquidas glomerata gemmas.
16 Videsne messem rusticus ut suam
Serò recluſum volvat in horreum?
In ultima sic tu senecta
Ad placidum venies sepulcrum.
17 Hæc oscitanti non studio mihi
Quæsita tandem vera reperta sunt:
Amplectere ergò veritatem
Hanc geminis violenter ulnis.

CAP. VI.

AST hunc Iobus talibus mox excipit,
Acri dolore percitus:
2 O siquis adsit æstimator candidus!
Qui lance justâ penderet
Nostros dolores altera in trutina locans,
Gravidamque arenam in altera:

3 Quàm jure trutinam confiteretur meam
Longè elevare proximam?
Immane pectus degravat pondus meum
Rabidi doloris: hinc mihi
Laſſus fatiſcit ſpiritus, gemitum gravem
Lento trahens a gutture,
Ac vix anhelis graviter obluctans valet
Vox egredi pulmonibus.
4 Rerum creator jactat in me ſpicula
Sævo veneno fervida;
Sævo veneno, quod vigorem corporis
Animique prorſus ebibit:
Et undiquaque me tremendis obſitum
Circumdedit phalangibus.
5 An voce aſelli conqueruntur rancidâ
Per prata late florida?
Aut an querelam ſuſcitat famelicam
Taurus boatu languido,
Herboſa latè dum pererrat jugera,
Et grata tondet gramina?
Aut membra feſſus explicat languentia,
Rivi fluentis ad latus?
6 Ecquem ſaporis penitus expertem cibum
Guſtaveris, niſi hic ſale
Sic condiatur ut novus redeat ſapor,
Novamque gratiam adferat?
Talem videmus eſſe partem candidam,
Flavum tenello tegmine
Ovi implicantem, quam niſi adſperſam ſale
Comeſſe quis non deneget?
7 Sic jam palato cuncta ſordeſcunt meo
Sapore caſſo, ſcilicet
Me morbus ulcerum hinc & hinc ſcatentium
Fœtore ſuffocat gravi:
Quæ fœditatis ne manus quidquam auferat
Quondam abnuebam tangere.
8 O ſi benignus vota concedat Deus!
Nec aure ſurdâ reſpuat!
9 O morte ſubitò perdat! ô dextram exſerens
Vitam enecet miſerrimam!
Vitam uſque duris obrutam moleſtiis;
10 Namque aſpero ſic ſuaviter

Me

Metas dolori poneret; ſic arduas
Evincerem moleſtias:
Ne pareat animam ſegregare à corpore;
Nam ſegregata à corpore
Volabit altum in ætherem: Quid? quod meis
Sermonibuſque & moribus
Divina populis omnibus myſteria
Legeſque ſanctas prodidi?
Quæ róboris mî ſtulta confidentia
Adblandiendo ſuadeat
Optare vitam longiorem? quæ mihi
Mentem incitet veſania
Sperare, tanta poſt malorum flumina,
Ævum beatum degere?
An me creavit ferreum rerum Parens
Aut ſaxeum, tot languidi
Perferre morbos corporiſque, & turbidos
Animi dolores anxii?
An ſpes opis vel ulla jam reſtat mihi?
Aut arte doctâ ab anxiis
Feliciter me ſubtraham doloribus,
Priſcum reducens gaudium?
Adverſa cum ſors intonat, fraternitas
Fratrem levare fratribus
Sævis doloris innatantem fluctibus
Suaderet atque impelleret:
At cæteris vappa iſte cum balatronibus
Dei timorem negligit.
Vicini, amici, & quos mihi firmiſſimis
Neceſſitudo vinculis
Junxit, relinquunt deſtitutum ab omnibus
Rebus laborantem in malis:
Cunctorum in auras avolat favor leves,
Torrentis inſtar fluminis:
Torrentis atro bruma quem ſtringit gelu,
Nives ſuperfuſæ tegunt.
At cum teporem ſol reducit aureus,
Æſtu rigorem temperans,
Repentè rivos in liquentes ſolvitur,
Hi varia tranſcurrunt loca
Latè, nec ullis finibus coerciti
Altum ſonanti murmure;

Diſperſi

Diſperſa donec hinc & illinc agmina
Spectantium oculos fugerint.
19 Ad hos Temani principes olim, & ſimul
Lectis Sabæi copiis,
Labore & æſtu languidi greſſum trahunt,
Pedeſque feſſos incitant,
Laborioſas ampla ſpes levat vias.
20 Optata ventum eſt ad loca,
Quærunt laboris præmium, liquidas aquas
Sitim levare torridam;
Hinc inde quærunt, nec reperiunt uſpiam;
Redière ſanguinario
Rubore vultus denotante conſcios
Laboris haudquaquam utilis.
21 Sic noſtra veſtri ſpes favoris credula
Dilapſa prorſum eſt in nihil;
Dum nunc videtis perfidi caput meum
Rapidis procellis obrutum:
Cor palpitatis, ora pallor inficit,
Et alligat ſenſus ſtupor.
22 Num vos rogavi voce lamentabili?
Aut ora ſolvi talibus?
O arduis adferte opem periculis!
Et me laboris anxii
Onere levatum liberate arctiſſimis
Queis implicor jam anguſtiis:
O vos amici damna ſortis aſperæ
Lenite, & amiſſas opes
Gazaſque larga porrigentes munera
Meas mihi reducite!
23 Nam nunc feroci deprimit me dexterâ
Dira impotentûm audacia.
24 Quis noſter ergò nunc ſit error edoce?
Mox frena pertinaciæ
Addam; ſeverum haud veritatis vindicem
Rectè monentem reſpuam.
25 Quantum decoris ponderiſque & gratiæ
Aptis adhæret vocibus!
Sed nil leporis verba comitatur tua;
Nullum ſalis veſtigium.
26 Cur aſperis me vocibus laceſſitis
Effutientem inania;

Du

CAP. VII.

Dum nunc minacem dirigit mors cuſpidem?
Namque hinc mea verba tranſvolant
Auræ volucris inſtar abſque pondere,
Magno licet cum murmure.
17 En! vos amico incogitanti conditis
Præceps lacunam ut irruam:
Pupillum & inopem frangitis conviciis,
Animumque turbidum angitis:
Et ſiqua nobis ſpes ſuperſit funditùs
Subitâ ruinâ ſternitis.
18 Huc mentis aciem intendite; & videbitis
Num lingua falſum effutiat.
19 Mutate mentem, opinionem vertite,
Nam verba vera diximus:
Mutate mentem, damna perpeſſi aſpera
Juſtas querelas fudimus.
20 An ſum locutus impia? an prudentiæ
Me plane inanem creditis?
Adeoque ſenſu deſtitutum, ut non queam
Fandum & nefandum cernere?

CAP. VII.

NOnne præſcripſit Dominus fugacis
Terminos vitæ? poſuitque metas,
Quas valet nemo ſuperare vaſtæ
Incola terræ?
Nonne conductos imitamur ære
Servulos omnes, ubi vel recenti
Manè ſol profert caput, aut recondit
Veſpere nigro?
2 Servus obſcuras tenebras anhelat
Noctis, ut merces veniat laborum,
Utque tranquillum requieta carpant
Membra ſoporem.
3 Sic ego mortem cupio, dolores
Quæ mihi mœſtos levet, & labores
Finiat longos, rapiatque in alti
Culmina cœli:
4 Nam rotas feſſi ut Pyroentis æquor
Lavit, in ſtratis requietis expers

Dei

Deprecor noctem, roſcamque lucem
Sæpè repoſco:
Nam meos artus agitatus omnes
Uſque conſtanti crucior tenore,
Donec auroræ jubar antevertat
Lucifer almæ.

5 Obſidet carnem fera turba noſtram
Vermium; glebis cutis obvoluta
Pulveris cunctos propiùs tuentûm
Terret ocellos.

6 Blanda ſors quovis radio avolavit
Ocior denſam peragrante telam;
Ulla nec jam ſunt mihi poſt priorem
Gaudia vitam.

7 Ah! potens rerum genitor, memento
Flabra gens noſtra eſt animæ fugacis,
Quæ pigræ nobis vegetat movetque
Pondera molis:
Illa cum fugit tenues in auras,
Nil ſumus præter gelidum cadaver,
Putridis eſcam gregibus futuram
Vermiculorum.

8 Nullus in mundo faciem videbit
Poſtea (nec tu Deus ipſe) noſtram,
Mors ut obſcuro moribunda membra
Condidit antro.

9 Nam velut nubes, modò quæ tegebat
Solis aurati radios decoros,
Prorſus in fumos citò diſſoluta
Tranſit inanes:
Unicus finis manet, una vitæ
Meta mundanos ſequitur colonos,
Scilicet cæcis tenebroſa condent
Antra cavernis.

10 Hîc jacent longis tenebris ſepulti,
Nec domum rurſus veterem ſubire
Fas; nec antiquam gelido ſub antro
Ducere vitam.

11 Ergò nec juſtas reprimam querelas,
Quas miſer fundo lacrimis profuſis;
Certa nec noſtris adhibebo cautus
Frena labellis.

12 Tunc

12 Tune me tantum, Pater alme! finxti
Quantus eſt pontus? tumidive ponti
Monſtra, tam duris clypeata ſquamis
Grandia cete?
Sin minus, quare, Pater! actiones
Perſpicis cunctas oculo ſagaci?
Nec tibi quidquid malè perpetravi
Tranſit inultum?
13 Atra nox furvis ſimulatque pennis
Iuduens cœli faciem ſereni,
Obruit gentes ſub utroque mundi
Axe jacentes:
Lectulus curas relevabit, inquam,
Lectulus dulcem referet ſoporem,
Et mihi blandâ requie dolores
Leniet ægros.
14 At mihi, ſomno redeunte, mentem
Territant diris ſimulacra formis:
Atque monſtroſis animum figuris
Somnia vexant.
15 Ah! piget vitæ miſerum fugacis:
Ah! magis nobis reputo beatos,
Quos tegit ſaxum gelidæ repoſtos
Viſcere terræ.
16 Non enim vivus remanebo ſemper:
Tempus annorum ſubitò meorum
Tranſvolans levem Zephyrum citatis
Deſerit alis.
17 Quantula eſt noſtræ ſobolis propago,
Hanc ut illuſtri jubeas honore
Splendidam claræ radiis decoris
Fulgere famæ?
18 Quantula eſt noſtræ ſobolis propago,
Hanc ut expendas trutinâ ſeverâ
Indies, juſtis ſcelerata penſans
Crimina pœnis?
19 Hinc precor paullum removeto greſſum:
Ore concedas ſpatium quietis,
Donec arentem libero ſalivam
Gutture ſicco.
20 Sum reus: verum tibi quid rependam?
Gentis humanæ venerande cuſtos!

Cur mihi ſemper miſero ſagittas
Dirigis atras?
Dirigis ſævas odii ſagittas:
Ipſe ſum pondus mihi non ferendum,
Dum fero tantos animo dolores,
Corpore morbos.
21 Cur mihi numquam ſceleris tenaces
Abluis ſordes? oculiſque culpæ
Semper intentis facies oberrat
Fœda vetuſtæ?
Mox enim nigri tenebris ſepulcri
Obrutus longum capiam ſoporem:
Me ſuperfuſæ tumulus recondet
Ater arenæ.
Ipſe me fato, Pater alme! functum
Quæreres fruſtrà: fugitiva numquam
Umbra poſt mortem gelidos redibit
Rurſus in artus.

CAP. VIII.

JAm, donec reliqui tacent, Iobum
Statim talibus excipit furentem
Bildadus, parili furore ſævus.
2 Tandem deſine, deſine impudenter
Vanæ murmura jactitare linguæ:
Tandem reprime verba, quæ rapaci
Euro ter citiùs volant, in alto
Qui vexat rapidis rates procellis,
Jactans undivagas per æquor alas?
3 An qui legibus adminiſtrat orbem
Leges ſperneret? aut an æquitatem
Ipſe everteret æquitatis auctor?
4 Si proles ſcelus horridum patravit,
Et pœnas ſceleri reportat æquas:
5 Tu tamen Domino manus ſupinas
Tollens ſupplicibus precare verbis:
6 Nil facti tibi conſcius nefandi:
Hoc ſi feceris, ille ceu ſopore
Excuſſo, ſtabilem tibi ſalutem
Præſtans, incolumes beabit ædes.

7 Et

7 Et ſors principio favens in ipſo
Ridebit tibi termino ſenecta,
Vultu blandior elegantiorque.
8 Quin patrum ſtudio ſagace cunctas
Ætates animo tuo revolvas;
9 Nam nos nil benè poſſumus notare,
Heſternâ modò luce procreati:
Vita umbratilis eſt in orbe noſtra,
10 An non ſecula te priora planis
Te verum poterunt docere verbis?
11 An non in media virens palude
Juncus creſcit, & inde ſuſtinetur?
An non & mediis virens in undis
Vimen creſcit, & inde ſuſtinetur?
12 Non ſemper tamen inde ſuſtinetur;
Quid? quod iſt media virens juventa
Quâvis ociùs areſiet herbâ,
13 Tales ſunt quibus excidit ſupremi
Regis mentio mentibus profanis:
Qui coram Domini colunt probantque,
Sed ſecum veneranda juſſa rident.
14 Horum ſpes, veluti ſecuris ictu
Poſtquam trajicitur cadit cupreſſus
Horrendo quatiens humum ſonore,
Planè à ſtirpe reciſa decidet mox:
Horum ſpes domus eſt aranearum.
15 Hac dum permanet in domo jacentes
Ponent corpora molliter, ſed illa
Labetur ſubito repente caſu:
Hanc binis humeris domum labantem
Tentabunt ſtabilire, ſed repentè
Convulſa horrificam trahet ruinam.
16 Auratæ facis igne procreati
Tangent ſidera vertice, & per hortum
Pandent brachia frondibus decora,
17 Radices quoque firmiter locatæ,
Spectabunt lapides procul latentes
In terræ medio ſinu profundæ.
18 Divini tamen ut ſonat furoris
Procella horrida, ſtirpitùs revulſi
Nullis poſt oculis videntur umquam:
Et qui tam benè floridos videbant

Viſos fortiter eſſe pernegabunt.
19 Hanc ſpem ſcilicet eſſe conſtat horum
Cunctorum, quibus excidit ſupremi
Regis mentio mentibus profanis:
Qui coram Domini colunt probantque,
Sed ſecum veneranda juſſa rident:
Horum divitias, opes, honores
Exſurgens herus alter occupabit.
20 Ecce hæc! ſecula quæ priora monſtrant:
Curas omnipotens videt ſuorum:
Sed ſe conſiliis negat nefandis.
21 Tu noſtras vigilanter ergò voces
Obſerva: tibi rector orbis æquus
Tanto pectora gaudio replebit,
Tanto ut non valeas tenere linguam,
Quin riſu ferias polum ſonoro,
Quin plauſu ferias polum canoro.
22 Et quiſquis tibi parturit dolorem,
Spargetur ſubito rubore vultum:
Hoſtileſque domos polo minantes
Lapſas adſpicies, ſolo jacentes.

CAP. IX.

IObus ergò quæ comes inclitus
Rectè monebat plurima comprobat:
Sed ſtat querelis, atque tenaciter
Cauſſam tuetur (nil titubans) ſuam.
2 Certè iſta noſtris ſplendida veritas
Clarum refundit luminibus jubar:
Verum Tonantis judicis æquitas
Horrore mentem concutit anxiam.
3 Quis ad tribunal judicis illius
Se ſiſtet omni crimine liberum?
Quâ fronte, quamvis millia millium
Objectet illi, deneget unicum?
4 Pollet potentis robore dexteræ,
Pollet ſagacis mentis acumine:
Quis, ejus armis qui caput obtulit,
Pulcrâ refulget clarus adoreâ?
Quis ejus iram provocat igneam,

e blandâ perfruitur tamen?
que grato degit in otio?
a fauſtum ducit ad exitum?
jus iram robora montium
ılſa pronam præcipitant fugam;
que vaſtæ funditùs obrutæ,
ıa laxat quando furoribus.
jus iram protinus undique
ta firmis terra repagulis,
ıſſa motu terrifico tremit,
enſque cunctos territat incolas:
ege certâ nocte ſub algida
i coërcet lumina ſplendidi:
ıce versâ rurſus amabili
minores fulgere lampades,
altis undique brachiis
, ab Euris Heſperium ad latus,
i latebras, fornice concavo
:xa cœli regia panditur:
profundo in gurgite, qui ſuo
ı & refluxu perpetuo ſolet
perennes volvere vortices,
nec pes undis tingitur arduis.
ıron alto fixit in æthere,
›rata largis irrigat imbribus,
ıra mittens flumina, quæ ſeges
ta ſiccis faucibus imbibit:
ıemque qui nitet aureo
ıta cinctus pectora balteo,
ſtagna velans marmore vitreo
ınit undis frena rapacibus:
nitiores Plëiadum greges,
dura campi jugera frigidi
ıis reſolvunt imbribus, & plagam
ri tepentem cum cane torrido.
ndit oris orbis in ultimis
enda vaſtæ ſigna potentiæ,
: verba vincunt omnia, quæ ſuo
ndore mentis lumina nubilant.
ecce greſſum dirigit ambulans,
ille tranſit ſpiritus igneus:
talium ſed grex hominum tamen

Nec

Nec cernimus, nec cernere poſſumus.
12 Aufert beatæ pignora conjugis,
Aufert laboris præmia ſeduli,
Aufert honoris nomina ſplendidi,
Et deſtitutos undique deſerit:
At ſita donec vi Dominus ſuâ
Paſſim per urbes regnaque perpetrat,
Quis increpabit talibus? heus! totam
Sævi furoris ſiſte volubilem.
13 Fruſtrà dolores jam comes inclitus
Sedare, fruſtrà nititur anxiam
Levare ſortem, Rex hominum Deus,
Si frena laxat quando furoribus.
14 Egone ſtultus, debilis, impotens
In jus vocabo juſtitiam Dei?
Ac dira linguæ toxica garrulæ
In aſtra cœli turgidus evomam?
15 Si ſanctitatis forſan opinio
Me blanda tollat, num rabies tamen
Propellet uſque hùc, criminis ut reus
Ipſum notarem crimine judicem?
Quin ture ſacris impoſito focis,
Taurumque juxta altaria dividens,
Illum rogarem mox prece ſupplice,
Fluente noſtras imbre ſuper genas.
16 Si ſupplicanti præbuerat mihi
Aures benignas, dum mihi carbaſa
Diſtenderat ſors flamine proſpero,
Hanc rem eſſe fictam prorſus imaginor,
17 Nam nunc ſeveræ juſtitiæ licet
Et puritatis ſim mihi conſcius,
Fractum procellis contudit aſperis,
Denſoque totum vulnere ſauciat:
18 Duroque ſic me pondere deprimit,
Urgetque preſſum ut non valeam miſer
Ex corde mœſtos turbido anhelitus
Haurire, nedum verba profundere.
19 Si fata vellem triſtia vincere,
Quiſnam repugnet viribus illius?
Si judicari, quis Domino ac Deo
In jus eundi præſtituat diem?
20 Si ſanctitatem non ſibi conſonis

Et

Et puritatem jactito vocibus,
Mox ipsa dirâ inflata superbiâ
Me lingua mendax jure conarguet.
Quamvis beato sanctior Angelo,
Quamvis beato purior Angelo
Vixissem in orbe, vivere longiùs
Sperare nulla insomnia cogerent.
Declamat ipsum hoc experientia
Ex anteactis eruta seculis:
Ad busta semper morte pari probos
Rector severus raptat & improbos:
Belloque, pestè & lethiferâ fame
Gentem piorum depopulantibus,
Curas suorum negligit anxias,
Nec hos periclis tristibus eximit.
Et regna mundi regibus impiis
Regenda tradit, tradita protegit,
Secura firmans præsidio suo:
Sin ille non hæc, da, precor, alterum.
En usque puram flagitiis manum
Quamvis tenebam, fors volucris mihi
Fugit citatis curribus ocior,
Diesque fausti præterière jam.
Prænavigârunt velliferas rates
Vento tumentes lintea prospero,
Et avolârunt accipitre ociùs,
Qui prædæ avaris unguibus imminet.
Quòd si relictis ergò doloribus
Gaudere toto pectore cœperim?
Quòd si querelis jam positis meis
Lætis ferirem sidera vocibus?
Formido ne me Cœlitaum Pater,
Qui frenat æquis omnia legibus,
Stultis foventem pectora gaudiis
Mox duplicatis cladibus obruat.
Si mente totâ & corpore criminum
Contaminatus sordibus impleor,
Cur ergò vanis ipse laboribus
Me lassò noctes semper & indies?
O juste rerum rector & arbiter!
Si me lavem undis usque nivalibus,
Ornemque cura non sine sedulâ

Candore

Candore palmas marmoreo meas:
31 Tu me profundo juſtitiæ tuæ
Merſum barathro mox ita tingeres,
Ut ipſa poſſet palla viderier
Corpus vereri tangere putridum.
32 Interque noſtras nemo ſupervenit
Cauſſas ſeveri examinis arbiter,
Utramque penſans qui trutinâ pari
Nos turbulentis litibus eximat:
Homunculorum, ô arbiter optime!
Inſana tu ſubſellia deſpicis,
Hîc me ergò tecum ſiſtere neutiquam
Fas: id clientûm diſparitas vetat.
33 Interque noſtram nemo ſupervenit
Litem benignus qui dirimat fide-
Juſſor, Deumque conciliet viro,
Utrumque prendens pacificâ manu.
34 O tolle duram, Rex bone! dexteram
Me deprimentem ſupplicio gravi:
Exſolve curis pectora turbidis,
Horrore mentem nec crucia meam.
35 Sic alloquar te: ſic vacuus metu
Sermone tecum plurima diſſeram:
Sed vota vana hæc: non ita ſors favet,
Non ſic benignis vultibus adſpicit.

CAP. X.

NUnc mors an dubitas ſtamina ſcindere
Vitæ continuis fluctibus obrutæ?
Nunc lingua an dubitas murmure lugubri
Implere & miſeris æthera queſtibus?
2 Rerum ſancte parens! cœtibus impiis
Tu numquam famulum connumera tuum:
Monſtra, quæ ratio eſt, quòd mihi litiges?
Unde hæc ira ſuam traxit originem?
3 Cur tu nequitiæ viribus improbæ
Sanctorum ſobolem nunc finis opprimi?
Cur tu nunc famulum negligis anxium,
Qui ſemper ſtudio te ſequitur pio?
Sed qui ſub tacito pectore concoquunt,

:oncocta patrant facta nefaria,
·um cœpta, licet principio aſpero,
ceſſu recreas omnia proſpero?
n tu corporeo ſpiritus igneus
ıt gens hominum lumine reſpicis?
n certos tibi dant ſecula terminos,
i perbrevibus clauſa recurſibus?
ɔ, juſte Deus! deſine, deſine
ıres oculis cernere lynceis.
nquam ſum ſceleris (quod neque te latet)
rendi illecebris captus inanibus;
nec ſancta fides nec pietas tamen
arum agminibus ſubtrahit obvium.
te, ſumme opifex! corporis undique
a eſt Dedalea machina dexterâ;
perdis tamen, & luctibus aſperis
tus adjiciens acceleras necem.
umquam ex animo decidat hoc tuo,
d me de luteo pulvere finxeris:
is (nec dubito) more parentium
rurſum in luteum ſolvere pulverem.
tamquam in calathum lac ubi funditur
naternum uterum me modo fuderas;
me aſſiduis ſic manibus premens
fingens, mulier ruſtica uti ſolet
ıpreſſum manibus fingere caſeum.
carnis tenero tegmine, me cutis
ıac indueras; undique fulciens
fulcris validis oſſium & artuum,
pagem reliquam quæ mihi ſuſtinent,
caſu ſubito machina corruat.
actis, animam protinus igneam
ſti calidis corporis artubus;
: donis variis accumulaveras,
: ſæva procul à morte reduxeras:
andem rapidis me æſtibus obrui
rum, innumeris atque doloribus;
ım hæc mens latuit ſub tacito ſinu,
ecis animi clauſa receſſibus.
ıidquam ſceleris perpetro, ſi malis
m conſiliis præbeo, ſi pedem
cto dubium tramite diſtraho,

Tu me mox ſequeris vindice dexterâ.
15 Sed nec ſi pietas, ſpes, amor & fides,
Et candor maculis purus ab omnibus,
Stellato decorent me diademate,
Deluſus ſtolidâ ſpe mala perferam:
Errorum uſque adeo Cimmerium chaos
Offuſum tenebris me tegit horridis:
Nec certâ datur inſiſtere ſemitâ,
Nec plantas ſtabili ponere tramite:
O clemens genitor! nunc ope ſubleva
Afflictum, & placidus reſpice ſervulum:
En! pæne innumeris fluctibus obruor;
16 Et curæ accumulant ſe magis indies.
Me vindex laceras prævalidâ manu,
Ceu ſævis leo prædam unguibus involans:
Miriſque exagitas prætrepidum modis,
Prodens mirificæ ſigna potentiæ.
17 Addis lethifero vulnera vulneri,
Et ſemper furiis triſtis es aſperis:
Meque exoſa bonis mentibus horrida
Clangoris quatiunt murmura bellici.
18 Ah! matris tumido cur utero ex meæ
Infans prodîeram? proh! pater optime!
Cur non nulli hominum ex ſemine cognitus
In ventos tenues protinus iveram?
Cùm primum genitrix ubera præbuit,
Infantem placido ſuſcipiens ſinu,
Involvens calidis corpora faſciis?
19 Hæc, ſi contigerat, ſors foret æquior:
Nam ſic, viſceribus matris ab intimis
Egreſſus, tumuli pulvere conderer;
Et ſi lætitiæ non fieret capax
Mens, curis fieret libera triſtibus.
20 An non noſtra citò clepſydra labitur?
Parce ergò, genitor! parce, mihi brevem
Nunc ſaltem requiem da precor, antequam
21 Me fatum trahat ad regna nigrantia,
Umbris & tenebris obſita nubilis:
22 Umbris & tenebris, quæ roſeum diem,
Si vellet radios ſpargere lucidos,
Pennis obruerent undique luridis.

CAP. XI.

MOx illum Zopharus furens adortus,
Iras ponere lugubreſque queſtus
Suadet, nec veterem ſequi tenorem,
Sed vitæ melioris inſtitutum.
2 Annon copia verbulorum inanis
Refellenda videtur eſſe vobis?
An qui plurima garrulus loquetur
Fœdi criminis arguetur inſons?
3 An linguam tibi nullus obſerabit
Qui mendacia fingis ore falſo,
Nec tibi ſalibus jocanti ineptis
Tingit purpureo rubore malas?
4 Tu dixti modò, ſemita ſolebam
In recta ſtabiles locare plantas:
Noſtra ſanguine pura mens manuſque eſt,
Nec vixi ſceleris patronus atri.
5 O ſi jam Deus, arbiter ſeverus,
Mox linguæ retinaculum reſolvat!
6 O ſi jam tibi pandat ille ſacrum
Oraclum ſapientiæ profundæ!
Non tibi nimios (ſcies) dolores
Infligi Pater orbis exigebat:
Pœnas te invenies pati minores
Ingens quàm tua culpa commerebat.
7 An magnum potes aſſequi Tonantem,
Qui ſceptrum in ſolio quatit tremendo
Stellarum globulis nitente claris?
An mens impia, vana, ſtulta, fallax,
Divinæ ſapientiæ, æquitatis
Amplæ, juſtitiæ, potentiæque,
Immenſum penetrabit in profundum?
8 Forſan ſidera celſa permeabis,
Et cœlo caput inſeres; ſed illum,
Qui cœlum regit arduaſque ſtellas,
An ſummum attigeris? vel in profunda
Si fundum penetraveris gehennæ,
Divini tibi pervenire fas eſt
Ad plantam pedis? ingenſve curto

Metiri modulo tui valebis
Immenſam Domini perennitatem?
9 Longinquam Deitas beata terram,
Et latum mare terminat: ſed ipſa
Nullis undique terminata metis.
10 Seu quem ſors rabidis premat procellis,
Seu blanda leve murmuret ſuſurro,
Quis mundi prohibere conditorem,
Mortali generatus à parente,
Audebit rabidas tumens in iras?
11 Humanæ ſobolis probè tenorem
Callet, vanaque cogitata mentis
Cernit lumine cuncta perſpicaci:
Non ergò ſceleris redibit ultor?
12 Humanæ ſobolis ſibi propago
Prudens & ſapiens cupit videri,
Quamvis progeneratur illa ſtulti
Onagri ratione naſciturque:
Onagri arboreas colentis umbras,
Qui per prata protervitate lætâ
Inſultans varias agit choreas.
13 Ergò criminis ergò cordis aulam
Expurga maculiſque ſordibuſque,
Attollens Domino manus ſupinas.
14 Et facti malè pœnitens rubentem
Ingreſſo roſeo colore vultum,
Horrendam ſcelerum omnium catervam
Hinc hinc ad ſtygias remitte lymphas.
15 Sic tolles faciem Deo ſerenam,
Turpitudine, labe, ſorde puram:
Sic firmus remanebis atque conſtans,
Ab omni vacuus timore prorſus:
16 Prorſus immemor omnium dolorum,
Qui abſcurrent ſubito repentè lapſu,
In morem fluvii imbribus creati,
Currentis violentiâ feroci.
17 Sic & ſors placido reverſa vultu,
Auroræ radiabit inſtar almæ,
Quando purpureas recens habenas
Quaſſans æquore ſurgit ex Eoo,
Fulgens clarior uſque clariorque,
Dum Phœbi mediam tenentis arcem

Ste

CAP. XII.

Stellati ætheris aureumque culmen
Exæquet radios nitore claros,
Curarum nebulis procul fugatis.
Sic te candida puritas fidesque
Securum ſtatuent periculorum:
Sic ædes ſimul exſtruas decoras,
Exſtructaſque habitabis, & quietem
Carpes undique tutus ipſe tutam.
Et nox ut tenebris opaca cæcis
Terras & mare condidit polumque;
Tu mox in placido toro recumbes:
Non maris neque Martis æſtuoſi,
Non flammæ neque flaminis procellæ,
Abrumpent tibi turbidum ſoporem:
Quin longâ quoque purpurâ decorum
Te faſces reverenter antecedent:
Turba te miſerabilis clientûm
Expoſcent facilem ſibi patronum.
Sed qui nequitiam ſequuntur auram,
Hos triſtis manet exitus, nec umquam
Pœnas effugient ſatis ſeveras;
Horum ſpes velut umbra noctturnarum
Dilapſa in tenues abibit auras.

CAP. XII.

QUeſtibus hinc variis aditum patefecit Iobus,
Singultu medios impediente ſonos:
Scilicet in veſtro ſapientia ſola cerebro
Permanet? & ſolium collocat illa ſuum?
Veſtraque cum tumulo condentur membra ſub alto,
Ipſa quoque in tumulum lapſa repentè cadet.
Ergone concedam laudes ego jure priores,
Doctrinâ, ingenio, cognitione, fide?
Omnia quæ vobis adeo admiranda videntur,
Magnificis adeo concelebrata ſonis:
Ecquis in immenſo non hæc ſciat omnia mundo,
Cuicumque humanæ mentis acumen ineſt?
En! ego qui mœſtas tollens ad ſidera palmas,
Imploro æthereum ſupplice voce Deum:
Quique meam vitiis mentemque manumque pudendis

Abſti-

Abſtineo noctes abſtineoque dies;
En! miſer oblitis jaceo deſertus amicis,
Opprobrium ſociis ludibriumque meis:
Scilicet ut lampas tenebroſo in tempore noctis
Non oculis grata eſt lumine caſſa tuis;
Sic mihi cum tenebris lucem ſors obruit atris,
Me miſerum comites deſeruêre mei:
Qui ſtruit inſidias dubiarum ambage viarum,
Incautos rabidâ dilaceratque manu.
Qui ſcelerum genus omne fovet gremioque recondit,
Contemnens magni juſſa verenda Dei;
Illorum anxiferis domus undique libera curis
Floret, divitiis facta ſuperba ſuis.
Quin age pennigeram ſtultiſſime conſule turbam,
Conſule terribiles ungue rigente feras:
Conſule fœcundam quæ parturit omnia terram,
Quique ſub æquoreis piſcis abundat aquis.
Cuncta fidem faciunt numquam ſine lege Tonantis
Fortunæ ancipitem ſe variare rotam:
Cujus ab arbitrio vivit moriturque ſupremo
Gens hominum, & quidquid terra vel unda creat.
Nonne cibos ſapidum diſtinguit ritè palatum?
Nonne probat varios auris acuta ſonos?
Vos quia jam niveos imitantur tempora cygnos,
Judicio reliquos exſuperare decet.
Robore conſilioque valet Regnator olympi,
Cunctaque ad arbitrium dirigit ille ſuum.
Diruit, ædificat loca diruta, claudit ahenis;
Exſolvit libitu carceribuſque ſuo.
Æquora limitibus modò continet, & modò rurſus
Tota latet vitreis abdita terra vadis.
Robore conſilioque valet Regnator olympi;
Fraus illi pariter ſimplicitaſque patet.
Gentibus externis jubet inſervire potentes,
Duraque purpuream jura ſubire togam.
Carceris exemtis iterum ſqualore tyrannis,
Tradit magnificâ ſceptra tenere manu:
Atque iterum, quocumque libet ſibi tempore, magnis
Regibus auratum dejicit ille thronum.
Cum libet argutæ periit facundia linguæ,
Nulla patrocinio fit bona cauſſa bono;
Cum libet extremæ periit ſapientia vitæ;

Orbaque

Orbaque judicio eſt ipſa ſenecta ſuo.
21 Sæpè tuum tenebris ſplendorem involvit opacis,
Et minuit vires, Rex venerande! tuas.
22 Sæpè etiam latebris myſteria clauſa recludit,
Hinc atque hinc umbris, Heſpere! tecta tuis.
23 Ille facit populos numerosâ prole beatos;
Rurſus dat celeri pignora cara neci:
Ille facit populos latè ſua tendere regna;
Rurſus & ad ſpatium contrahit illa ſuum.
24 Subtrahit ille animum ſapientibus, inque receſſu
Silvarum dubias cogit inire vias:
25 Perque nigras tenebras, perque avia longâ viarum,
Purpureo titubant ceu ſtimulante mero.

CAP. XIII.

CUncta olim hæc oculis noſtris atque auribus hauſi,
Olim animi hæc latebris delituêre mei.
2 Ergóne concedam laudes ego jure priores,
Doctrinâ, ingenio, cognitione, fide?
3 O pater omnipotens noſtram ſi expendere cauſſam
Nunc velit, & vitæ facta probare meæ!
4 Sed vos vaniloquo mendacia fingitis ore,
Nec miſero medicam ferre poteſtis opem.
5 Contrahite, ô comites! vanæ retinacula linguæ,
Si ſapitis; lucro lingua retenta foret.
6 O! mihi nunc animos certatim advertite veſtros,
Dum penitùs cauſſam labe reſolvo meam.
7 Ergóne larvati pietatis tegmine vultis
Pro Domino contra juſque piumque loquí?
8 Oreque falſidico laudem, decus, inclita facta,
Numen veridici concelebrare Dei?
9 Eſt igitur cordi vobis luſtrare profundi
Hunc face juſtitiæ pectoris antra ſuæ?
Siccine ſperatis Dominum vos fallere rerum,
Ut ſiquis ſocium falleret ipſe ſuum?
10 An ſua corrumpi blandis dat pectora verbis,
Si tacitâ cæcos texitis arte dolos?
11 Nonne Dei æterni majeſtas, gloria, ſplendor,
Perſtringent radiis lumina veſtra ſuis?
12 Vos præter cineres eſtis nihil, inque ſepulcrum

Cor-

15 Sæpè tibi fundam, genitor bone! vota preceſque;
Sæpè mihi facilis vota preceſque dabis:
Vota preceſque dabis: tibi non ſpernetur in ævum
Facta tibi artifici fabrica pulcra manu.
16 Tu mea comprendis numero veſtigia certo,
Obſervans oculis crimina cuncta tuis.
17 Cuncta velut tumido condis mea crimina ſacco;
Sacco, qui nulla ex parte foramen habet.
18 Mons ingens ſimulatque cadit, præruptaque rupes
In cinerem & lapides undique ſparſa redit.
19 Unda cavat lapidem, plantam eluit unda ſerasem:
Sic tu ſpes hominis votaque vana facis.
20 Perdis eum, & teneræ ſuccidis ſtamina vitæ,
Tunc perit in roſeo qui fuit ore color.
21 Tunc quoque, ſeu ſoboles rebus ſublata ſecundis,
Sive ſit adverſis ſubdita, neſcit iners.
22 Ipſe tamen miſeris cruciabitur undique membris;
Sentiet ipſe animo triſtia multa ſuo.

CAP. XV.

TUnc Eliphazus eximiam viri
Felicitatem prædicat integri,
Atque impiorum inauſpicatum
Vota docet retudiſſe finem.
2 An vir ſagaci mentis acumine
Ventoſa fruſtrà verba profunderet,
3 Quæ nec loquentem aut audientem
Auxilio relevare poſſunt?
4 Securus, omni ſepoſito metu,
Rerum parentem tu prece ſupplice
Non invocas, in rebus arctis
Præſidium & miſeris aſylum.
5 Vox ipſa prodit nequitiam tuam,
Vox ipſa fraudes prædicat impias:
6 Te teſte linguâ detegente,
Teſte alio nihil indigemus.
7 An tu creatus primus es omnium?
Aut ante montes factus es arduos,
Qui ſaxeas præbent latebras
Vertice graminibus comantes?

8 Tibíne rerum cónditor omnium
Arcana mentis prodidit? & tibi
Spectare conceſſit perennis
Conſilii tacitos receſſus?
Unumque blando lumine te videt?
Unoque gaudet te ſapientia?
Mortalium ex cœtu virorum
Te ſocium ſibi legit unum?
9 Quid intueris lumine lynceo
Vel ſanctitatis vel ſapientiæ,
Quod non videmus cernimuſque
Nos acie quoque perſpicaci?
10 Jam tecta canis tempora crinibus
Sunt noſtra: nobis jam tremor occupat
Artus ſeniles, qui parentem
Nempe tuum ſenio præimus.
11 Dei potentis nomen amabile,
Numenque ſanctum num tibi ſpernitur?
Num jura legum ſacroſancta
Sub pedibus, furibunde! calcas?
12 Quas volvis artes pectore ſubdolo,
Fraudeſque verſutas malè callidus?
Cur ipſe tete ſic procacem
Eſſe probas óculo loquaci?
13 Cur in Deum ſic inveheris furens?
Cur dira linguæ toxica garrulæ
Ipſum profundis in Tonantem? &
Ore vomis rabido venenum?
14 Quid procreata ex ſemine putrido
Propago ſtulta eſt? partaque feminis
Impura gens, ut aſſequatur
Juſtitiam ſtudioſa puram?
15 Non ille ſanctis nititur Angelis,
Quos ala pennis evehit aureis:
Quin templa cœlorum ſerena
Fœda etiam videantur illi.
16 Conſiderato hæc: qualis habebitur
Gens noſtra, fœdam quæ ſcelerum omnium
Turbam imbibitque ingurgitatque,
Ceu liquidas avido ore lymphas.
17 Arrectus aures nunc mihi ferveas:
Oracla pandam nunc ſapientiæ;

Oracla, quæ multos per annos
Ipſe meis oculis videbam:
18 Oracla primis prodita patribus,
Tranſmiſſa ſeris uſque nepotibus,
19 Soli incolæ, non inquilini,
Cum tacitas habuêre terras.
20 Per tota vitæ tempora lubricæ
Sævos dolores parturit improbus;
Et præda ſemper impiorum
Corripitur manibus latronum.
21 Quocunque lætus tempore vixerit,
Murmur tremendum territus audiet;
Rebuſque florentem fecundis
Pernicies nec opina perdet.
22 Spem ponit omnem rebus in aſperis,
Exire cæco de barathri ſpecu:
Ejuſque pectus turbulentum
Mucro petit gladii cruenti.
23 Huc errat illuc undique quæritans
Miſer prementem quo ſatiet famem;
Diem tenebris obvolutam
Eſſe ſibi meminit propinquam.
24 Terror tremorque & luctificus dolor
Illum obſidebunt undique, rex velut
Stipatus ingenti caterva,
Sanguineo radiante ferro.
25 Contra potentem cœlituum Patrem
Fidens inani robore dimicat:
Contra ætheris Regem ſupremum
Sæva movet truculentus arma:
26 At Rex ſupremus quàm citò prodiit
Adverſus illum, tam citò concidit;
Nec ſquameo ferri nitore
Se miſerum radians tuetur:
27 Ejuſque vultus lethifera manu,
Malaſque rubro ſanguine fulgidas
Deformat, & carnem revellit
Poplitibus timidoque tergo.
28 Tunc teſqua terrarum incolet arida,
Domoſque nullis gentibus hoſpitas;
Domos, columnis quæ minantur
Succiduis ſubitam ruinam,

29 Nec

Nec parta cæcis recula fraudibus,
Nec parta ſævis recula viribus
Florebit, aut præſtabit unquam
Perpetuum ſtabilis tenorem.
Tellure quamvis conſitus humidâ,
Frondoſa late brachia porrigat;
Areſcet æſtu, & eruetur
Horriferis Boreæ flagellis:
Semel tenebris obrutus horridis,
Et tectus umbris undique nubilis,
Numquam è tenebris ille & umbris
Terrificis iterum redibit.
Ne blanda ſtultum fallat opinio
Qui vanitatem pectore diligit;
Nam vanitatis tandem ad illum
Perveniet numeroſa merces.
Ante inſtitutum perveniet diem,
Ejuſque terræ ramulus inſitus
Nec tollet altam ſeſe in æthram,
Nec viridem rapiet colorem.
Brumæ rigores ſentiet aſperos,
Cancri calores ſentiet aridos,
Uvaſque ritu pampinorum
Diſcutiens oleæque frondes.
Cui melle vox eſt ſubdola ſuavior,
Sed felle mens eſt intus amarior;
Qui judicum ad ſe corda flectis
Muneribus labefacta magnis:
Uterque pœnas ſuſtinet aſperas,
Utrique clades imminet, imminet
Horrenda: mox prolem domumque
In cinerem fera flamma ſolvet.
Nam machinantur nequitiam, intimo
Et machinati pectore perpetrant;
Et fraus eorum cara ſemper
In gremio ſoboles fovetur.

CAP. XVI.

HÆc Eliphazo jam locuto verbis
Acerrimè mordacibus,

Jobus

Iobus irâ concitatus aſperâ
Mœſtam querelam ſuſcitat.
2 Quouſque linguæ tendet hæc procacitas?
Medici dolorum improvidi!
Eheu! cicatricem imperiti luridam
Prope coeuntem ſcinditis.
3 Plagâ recenti ecquando me conviciis
Vexare tandem deſines?
Quæ cauſſa te? quod calcar urget aſperis
Me vocibus laceſſere?
4 Procella nobis fracta ſi proſterneret
Fluctus tumentis impetus,
Vobiſque ſolitâ jam viciſſitudine
Blandum ſerenum nubibus
Confunderetque, & fluctibus tumentibus
Trepidam carinam attolleret:
Quaſſare poſſem verticem, & ludibria
Voce aſperare ludicrâ.
5 Aſt ego doloris anxii ſolatium
Vobis pararem dulcibus
Verbis; loquela noſtra vos perfunderet
Suavis liquore balſami,
Quò perferatis ſortis adverſæ graves
Forti procellas pectore.
6 Cur me rogatis ſemper ut ſilentio
Alto loquelam ſupprimam?
Nam nec loquendo, aut frena linguæ comprimens,
Rabidos dolores lenio.
7 Rerum creator degravat me ingentibus
Nunc obrutum tumultibus:
Et nunc amicis, nunc propinquis omnibus,
Et liberis & conjuge
Sum deſtitutus atque ſolitarius.
8 Ruga en ſenilis exarat
Frontem juventæ limen ingreſſam ſuæ
Ævi in vigore floridi!
Genas macilentas pallidaſque & ſqualidas
Imago mortis occupat:
Teſtantur hæc & illa contemplantibus
Quæ cura pectus excoquat
Reneſque cæcis delitens præcordiis,
9 En! quiſquis implacabili

Perveſcit odio, probra jactat impia
Furiis acerbus aſperis:
Oriſque proni in contumelias graves
Lacerat flagello ſaucium:
Dentes fatigat dentibuſque, & horridùm
Ignita fulgent lumina.
Scurra & balatro ſeſe in unum colligunt;
Et ora hiatu libero
Laxata diras ingerunt calumnias,
Et propalam convicia.
O ſanctę rerum conditor! me deſeris
Prædam impiæ tyrannidi;
Prædam lacerandam dentibus crudelibus,
Avidâque cædis dexterâ.
Nuper quietem liber à doloribus
Dulcem undiquaque carpſeram;
Et ſic ſereno navigabat æquore
Euros adepta proſperos
Carina noſtra; at illa nunc ingentibus
Illiſa ſcopulis frangitur:
Tu me prehenſum genitor à cervicibus
Validâ rotaſti dexterâ:
Hinc artuumque & oſſium compagibus
Jacent ſolutis corpora:
Tu me ſagittis tranſigendum & ſpiculis
Opponis ut metam tuis.
Comitum tuorum turba me ſtridentibus
Cinctum ſagittis appetit;
Hinc ergò renes diſſecor tot ictibus
Foraminoſos: hinc humi
Fel eliquatum effunditurque, & gutture
Telluris abſorptum latet.
Tu me gigantis inſtar atrocis manu
Sævâ prehendis irruens:
Et membra noſtra fracta mille partibus
Diſcerpis irâ turgidus.
Nunc ergò ſaccis velo me ſqualentibus,
Comam obvolutus pulvere.
Vultuſque lacrimis irrigo, atque oculis meis
Imago mortis inſidet.
Hæc cuncta quamvis perpeti coegerat
Fortuna læva, non tamen

Perſolvo pœnas criminis: rerum patens
Facit mei periculum:
Nam ſcelere puram ſemper abſtinui manum,
Preceſque fudi ſupplices
A corde puro, corde fraudis inſcio.
18 O terra! te teſtem advoco,
Si noſtra falſos lingua concinnat dolos,
Si vana fruſtrà jactitat,
Ne nos querentes facilis intuere, ſed
Aurem ſeveram denega:
Nec ſcelera, cædes, furta, fraudes impias
Noſtras tenebris obruas.
19 Sed cur in orbe & cœtibus mortalium
Integritatis inclitæ
Teſtes vocarem? teſtis eſt rerum parens
Qui ſiderum palatia
Flammis decora fulgidis perambulat.
20 Cur ergò curem quamlibet
Rident amici me procellis obrutum?
Quin rideant, at interim
Ego profuſis lacrimiſque & fletibus
Numen ſupernum ſupplico.
21 O ſi liceret conditoris optimi
Thronum verendum & arduum
Sic invocare! ut invocamus judices
Noſtro creatos ſemine,
22 Dum vita reſtat. Namque ſpatio perbrevi
Tenues in auras avolans
Tranſibit anima, reditus unde non patet,
Mortis per atræ limina.

CAP. XVII.

JAm noſter putridum ſpiritus halitum
Fundit, jam ſpatium temporis invidi
Tranſcurrit citò, jam mors penetrabilem
Tendit lurida cuſpidem.
2 Non ſis nunc ſalibus me petis aſperis,
O quondam comitum turba fidelium!
His ipſe hic oculis omnia conſpicor
Quæ coràm opprobria ingeris.

3 Qui

Quin ante ætherium ſi libeat thronum
Siſtis, propoſitam quâ venias diem
Tu? vel quis comitum ſpondeat optimum
Mecum accedere judicem?
O Rex omnipotens! ante tuum thronum
Si cauſſam inciperent ſiſtere, tu citò
Illos dejicies, nec ſuper æthera
Frontem conſpicuam ferent.
Nam ſecum tacitè qui ſceſus excoquit,
Dum blando loquitur mollia murmure,
Cum tota ſerie funditus erues
Illum lethiferâ fame.
Eheu! fæx populi (nec prohibes) mei
Me coram opprobrium multiplicant meum,
Me cujus fuerat mentio nominis
Ceu blandæ ſonitus lyræ
Aures illiciens: lumina lacrimis
Torpent: aſſimulat jam cutis arida,
Quam pictis tabulæ frontibus exhibent,
Diram mortis imaginem.
Exemplo monitus juſtus & innocens
Noſtro nequitiam vitet, & omnibus
Præſtet diſſimilem qui ſceleri ſuo
Prætendunt faciem bonam.
Juſtus juſtitiæ carpere tramitem
Semper perpetuum pergit, & innocens
Vires accumulat quotidie novas,
Florens robore vivido.
Nunc mentes igitur vertite: vos ego
Rectis juſtitiæ moribus inſtruam;
Nam veſtro ſolidæ vix ſapientiæ
Quidquam in pectore comperi.
Eheu! jam celeres præcipiti gradu
Tranſivêre dies votaque inania,
Noſtra & ſpes nimiùm credula proſpero
Jam truncabitur exitu.
En! atris tenebris lurida nox venit,
Noſter ſol radios deproperat ſuos,
Mox vaſto oceano flammiferum caput
Ævi perpetui teget.
Ut vivam ulterius, mors ſore deſtinat
Nobis perpetuam ſub tumulo domum?

Et clauſa in feretro pulvereo mihi
Condet membra ſub aggere:
His me depoſitum nempe cubilibus
Somnum conſtituit carpere ferreum;
Somnum quem minime rumpere quàm libet
Horrendi ſtrepitus valent.
14 Non ergò merito nomino pulverem
Patrem? Et vos pariter, pulveris incolæ!
Matrem ritè voco, examina vermium,
Et conſanguineos meos.
15 Ah! quò ſpes abiit nunc mihi credula?
Quò pennis mihi ſpes avolat aureis,
Et me nunc miſerum protinus orphanum
Rebus linquit in aſperis.
16 Humani generis mortua ſcilicet
Clauſtro mors inhibet corpora ferreo:
Poſt fatum cinerum gens hominum jacet
Atro in viſcere putrium.

CAP. XVIII.

TUnc reſponſa ferox aſpera vocibus
Bildadus referens liberioribus,
Felle acri furioſæ
Linguæ ſpicula collinit.
2 Quò jam garrulitas ſe rapit improba?
Jam tu ſtultitiæ præcipitem tuæ
Curſum ſiſte parumper:
Da verbis aditum meis.
3 Quid tecum in tacito pectore murmuras,
Laxans vaniloquæ frena ſuperbiæ?
Cur nos lumine ſpernis,
Tamquam quadrupedes vagas?
4 Si vultum laceras unguibus aſperis,
Et crines manibus, ſi lapidi caput
Illidis, miſerandis
Proclamans ululatibus:
5 An tellus ideo ſedibus eruta
Tranſverſim ſaliet? vaſtaque montibus
Saxa evulſa vetuſtis
Lapſu præcipiti ruent?

Candelæ nitidum lumen, & impio
Splendentem radiis lampada lucidis
Denſis nox tegit umbris,
Et nigris tenebris premet:
Horror concutiet, concutiet tremor
Ædes Cimmeriis nubibus obſitas:
Nec fax ulla refulgens
Lucem reddet amabilem.
Incautus gradiens illaqueabitur,
Fraudis fraude opifex illaqueabitur:
Et quam ſtruxerat ipſe
Præceps in foveam ruet.
Prendetur taciti pes quoque caſſibus
Quos latro in mediis explicuit viis;
Per deſerta ferarum
Fumoſis procul urbibus.
Et præſens oculis conſpiciet ſuis
Terrorum innumeras undique copias;
Veloci pede fretus
Nequidquam rapiet fugam.
Illi dira fames corpora tabida
Siccabit macie & robora deteret,
A dextra atque ſiniſtra
Horrendum exitium imminet.
Illi dira fames robora deteret,
Et vultus roſei floricomum decus,
Vireſque atque vigorem
Mortis falx fera demetet.
Ac vana in mediis deſtituet malis
Spes illum, indomitâ cum tulerit manu
In cæcum barathrum, Rex
Terrorum arduus omnium,
Mors: cum magnificas ille reliquerit
Ædes fraude malâ & viribus improbis
Per ſtragem viduarum &
Orborum patre conditas.
Tunc ignes Dominus ſulphure flammeo
Mixtos terrifico murmure depluet,
Pompoſaſque ſequaci
Flammâ ædes populabitur:
Mox collapſa cadent icta bipennibus,
Illi purpureis brachia frondibus

Æterniſque tenebr
Longa oblivia d
18 Nec dum perpetuis ſ
Se volvent, patrias a
Stirps longæva ne
Tam fœdi ſobol
19 Totius ſeries pulcra
Totiuſque domus da
Unâ clade peribu
Momento ſimul
20 Quæ præſens oculis
Quæ poſt hæc avidis
Ætas, jure ſtupèbu
Terrore ac trepi
21 Sic eſt: pernicies ob
Rem, prolemque ſim
Aſſuetis veneranda
Leges ſpernere

C A

JAm ferè curis var
Obrutus, mœſtas
Spe tamen fretus
Flumine geſtit.
2 Ergò non unquam n
Turbidam vorbis

Si viam rectam dubius reliquit
Et per anfractus abiit recurvos
Pes, & erroris remanet reatus
Nunc quoque noſtri:
An mihi veſtrum tamen inde quiſquam
Auſit inſultare, meoſque caſus
Aggravet, priſcam repetens procaci
Murmure culpam?
En! caput noſtrum pater ille mundi
Obruit ſævis penitus procellis:
Me ſuo incautum ſubito implicavit
Caſſe prehenſum.
En! miſer clamo lacrimaſque fundo;
Ille neglectam ſinit ire culpam,
Nec ſequi curat ſcelus implorum
Vindice pœnâ.
Et mihi cunctos aditus viarum
Clauſit à dextra ſimul & ſiniſtra;
Et pedes lapſu inſtabiles tenebris
Terret opacis.
Suſtulit læto capiti coronam
Gemmeam, ſceptrum manibus verendum;
Suſtulit membris Tyrio nitentem
Murice veſtem.
Nunc meam peſſumdedit ille vitam;
Nunc opes, laudes, decus ac honores,
Spem quoque amovit procul uſque ab ima
Stirpe revulſam.
Horridâ fervet violentus irâ:
Induit vultus graviter minantes,
Nunc ut hoſtilem videatur in me
Sumere mentem.
Ejus ad nutum veniunt cohortes
Ære fulgentes, habitaculique
Ambiunt preſſis latus omne noſtri
Undique turmis.
Jam genus patrum propiorque ſanguis,
Jam comes longo ſociatus uſu
Spernit afflictum, veteremque plane ob-
litus amicum eſt.
Neſciunt priſcum ſocii ſodalem:
Perfidi fratres procul abſtitêre,

Quos

Quos mihi vinclo propiore nectunt
Stemmata gentis:
15 Quique ſub noſtro jacuêre tecto
Me peregrinâ facie intuentur;
Me vel ancillæ velut inquilinum
Fronte protervâ.
16 Servus ad nutum mihi promtus olim
Erigit criſtas mihi jam ſuperbas;
Meque contemnit ſibi ſupplicantem
Ore modeſto.
17 Ipſa, quæ quondam face nuptiali
Se mihi in cunctos ſociavit annos,
Horret exhalantem & abominatur
Oris odorem;
Dura perſiſtit, miſero marito
Dura, ceu geſtet rigido metallo
Cor, nec exſtinctas renovant amoris
Pignora flammas.
18 En! mihi illudunt titubante linguâ
Lacte vix pulſi puer & puella,
Meque proſcindunt ſalibus protervis
Probraque jactant.
19 Omnis arcani mihi teſtis, omnis
Quem favor longo ſociavit uſu,
Odit antiqui penituſque ſpernit
Nomen amici.
20 En! dolor lento jecur igne torret,
Et coquit noſtras penitus medullas,
Vix cutem nobis tenuem reliquit
Oſſa tegentem.
21 O manum feſſo date nunc benignam!
O manum feſſo date nunc amici!
Namque divinæ jaceo ulceratus
Vulnere dextræ.
22 Voſne divino ſocias furori
Subditis flammas? neque profluente
Ulcerum tabo mihi commoventur
Ferrea corda?
23 O meas voces, mea verba ſi quis
Digna nil vermes metuente cedro
Scriberet velox calamo ſequaci in
Cortice fido!

14 O meas voces utinam tenerent
Saxa cælatas adamante duro!
Saxa non umquam peritura longæ
Dente senectæ.
15 Nam (scio) nostræ genitor salutis
Vivit, & terras super ille habit,
Cum chaos priscum referet suprema
Protinus hora:
16 Quamlibet vermis rapidus tenellam
Et cutim & carnem penitus vorârit;
Hunc ego cernam propriis ocellis,
Non alienis.
17 Quamlibet curâ miserisque morbis
Viscera & renes mihi deteruntur;
Hunc ego cernam propriis ocellis,
Non alienis.
18 Sic loqui certè, comites! deceret;
Cur virum frustra cruciamus ægrum,
Cui jacet semen pietatis imo
Cordis in arvo?
19 Quisque jam vestrum caveat, tremendus
Imminet vobis gladius Tonantis,
Qui genus totum scelerum retundit
Dente trifulco.

CAP. XX.

AST illum furiis turgidus asperis
Confestim Zopharus duriter increpat,
Ac iræ immodicæ jam retinacula
Juffit currere libera.
2 Nunc mens indomitis fluctuat æstibus
Irarum, & tacito denegat in sinu
Concludi, cupiens protinus egredi,
Non magno fine murmure.
3 Nunc linguæ innumeris undique spiculis
Sese cor tenerum non finit amplius
Compungi, referans & pharetram suam,
Ut tela exserat aspera.
4 Nonne hæc à patribus cognita veritas
Est semper, reliquis prodita posteris,

Ex quo gens hominum pulvere condita
Gratæ duxit anhelitus
5 Alternos animæ? ſcilicet impius
Qui coràm Dominum diligit & colit,
Sed clàm nequitiam pectore concoquit,
Parvo tempore geſtiet;
Curru victor eat dux licet aureo,
Sceptrum magnificâ concutiens manu,
Momentum tenebris obruet unicum
Pompamque & decus inclitum.
6 Quamvis eximiâ ſidera gloriâ,
Quamvis conſpicuo nubila vertice
Altus contigerit, quàm ſubitò tamen
Ceu ſtercus putridum interit!
7 Clamabunt hothines quò vaga gloria,
Quò laus & decus hinc illius, illius,
Qui multis viguit clarus honoribus,
Pennâ præcipite avolat?
8 Nam curſu celeri diffugiet levis,
Ut pennis tacitè cum ſopor humidis
Fert quæ ludificant veſpere lurido
Mentes ſomnia credulas.
9 Cunctorum ille oculis ſe rapiet citò;
Nec lecti ſociam, nec ſua viſcera
Dulcis conjugii pignora, nec domum
Rurſus viſet amabilem.
10 Illius ſoboles orba erit omnibus
Patris divitiis, partaque fraudibus
Infandis rabidâ vel violentiâ
Reddet debita pauperi.
11 Laſcivis etiam quæ juvenum in choris
Fecit luxuriæ deditus impiæ,
Hæc illum comitant in tumulo cavo
Dilapſum in cineres putres.
12 Quamvis omne ſcelus fœdaque crimina
Sub lingua jaceant grata recondita;
13 Tandem ore humifico dum liquefacta jam
Sponte in guttura defluant:
14 At poſtquam cupido ventre reconditur,
Mel in fel ſubito degenerans gradu,
Diſrumpet tumido viſcera pharmaco,
Quod ſerpens vomit horridus.

15 Gazas quas avido gutture devorat
Cunctas mox madidos despuet in finus;
Illi continuas nam Deus inficit
Miscens hippomane dapes.
16 Illi Gorgoneis pocula temperat
Linguæ viperææ tincta liquoribus;
Ac os spumiferum quod vomit aspidis
Virus lethiferum bibet.
17 Nec cornu facilis divite copia
Largè melliſluos sufficiet favos;
Nec vitam in placido transiget otio,
Curis liber edacibus.
18 Longùm divitiis nec fruitur suis,
Congestisque opibus per scelus impium,
Per fas atque nefas, nullaque propriis
Linquet prædia posteris.
19 Nam semper tenues opprimit orphanos,
Et tectum tugurî pauperis aridis
Obsessum stipulis funditùs obruit
Horrendis furiis ferox.
20 Quin vastus stomachus nec satiabitur
21 Ullis deliciis: hinc rabies gulæ
Dira absumet opes, pauperies gravis
Deprensam sobolem premet.
22 Ac dum conspicuis fulget honoribus,
Blanditur stolidis dum sibi somniis,
Incauto tacitis dedita fraudibus
Latronis manus imminet.
23 Diram deliciis dum satiat gulam,
Laxans indomitæ frena licentiæ,
Tunc Rex omnipotens in medias dapes
Iram depluet horridam.
24 Pilis dum trepidâ terga dabit fugâ,
Defiget jaculis terga sequacibus
Arcus, quels aditus fiet ad intima
Fibrarum penetralia.
25 Ferro sanguineo viscera mox petet,
Ac in visceribus deseret, hostium
Crudelis manus: hinc inde ferocibus
Pungetur latus ensibus.
26 Ejus tota domus lurida tristibus
Squallebit tenebris: tota vorabitur

Gazas, divitias, magnific
In ventos tenues vanida
Iræ vindicis imp
29 Hæc merces operum rec
Hæc illis Dominus digr
Præbet continuis præmi
Pro ſemente leg

C A P

AT ſic Iobus mox cc
Sermone ſuavi mo
Et improbis monſtr
Ancipitem variar
2 Advertite aures, ora ten
Profundo verba dulcia,
Lepore concinnata,
Pauca loquor Ch
3 Solamen ipſo cùm grav
Vos applicetis vulneribı
Tenete linguas, ſic
Fas fuerit relevar
Quas ore voces nunc eg
Audite primùm : tunc
Sermone finito miſe
Ludibriis onerate
4 Ego querelis non onero

5 Hæc in latebris pectoris intimi
Quæ dico vobis quæso recondite:
Manete dum promo latentes
Attoniti tacitique cunctas.
6 Hæc me volutantem in tacito sinu
Miraculorum millia millium
Circumstrepunt terror pavorque,
Et miseris quatiunt figuris.
7 Cur ad senectam sæpius ultimam
* Fata improborum tempora protrahunt?
Cur plebe stipantur clientum,
Innumeris opibus potentes?
8 Pulcram perenni stirpe propaginem
Florere cernunt: atque videntibus,
Vigentibusque æterna crescit
Fertilium series nepotum.
9 Non est medullas luctificus dolor,
Nec corda pungunt sollicitudines:
Nec morbus in portas eorum
Lethiferis venit ullus alis.
10 Ut vacca tergo sustinuit suo
Taurum salacem, mox uterus tumet
Fœtu tenello, nec laborat
Hunc studio pariendi inani.
11 Grex liberorum progreditur foras,
Lætisque pulsat sidera cantibus,
Terramque tundit, multiformes
In numeros agitans choreas.
12 Et cum canoris organa tympanis
Pulsare docto pollice gestiunt,
Mœstamque curis degravatam
Deliciis relevare mentem.
13 Tam laxa tradunt frena libidini,
Tam blanda degunt molliter otia,
Ut longa momento senectæ
Tempora vel breviora credant.
14 Idcirco dicunt: hinc procul, ô Deus!
Facesse, nostris desine mentibus
Inferre vim, legumque duris
Circumagens inhibere frenis.

* *Per Fata hic intellige providentiam divinam.*

15 Quid eſt perennis conditor omnium,
Qui regna mundi numine temperat?
Quid proderit ſi forſan illi
Fuderimus miſeras querelas?
16 En! corde pravum concipiunt ſcelus,
Dextrâque pravum perficiunt ſcelus:
Furore mentes concitantur,
Et rabidâ ſtimulantur irâ.
17 Quàm ſæpe rerum rector ab impiis
Aufert lucernæ lumina ſplendidæ!
Quàm ſæpe compulſus furore
Præcipites agit in ruinam!
18 Ut huc & illuc turbinis impetu
Pulvis recurrit, vel ſtipulæ leves;
Sic ille conſuevit profanos
Continuis cruciare curis.
19 Duro ſeverus ſupplicio Deus
In prole ſera puniet impium;
Sed ipſe certè duriores
Nequitiæ luet ipſe pœnas.
20 Suam videbit luminibus ſuis
Stragem, furorem numinis horridum
Potabit, hic potus veneno
Delicias vitiabit omnes.
21 Mors ut ſenectæ ſtamina diſcidit,
Ecquid penates, progeniem, torum
Curabit? an lætâ peractam
Mente queat reputare vitam?
22 Celſi creatorem ætheris optimum
Ecquis docebit? arbitrio ſuo
Qui principum fœdat ſuperbos
Et lacrimis maculat triumphos.
23 Eſt quem cruentâ mors fera dexterâ
Tollit juventæ in robore floridæ;
24 Cui lacte pectus & medullis
Humidulis recreantur oſſa:
25 Eſt quem cruentâ mors fera dexterâ
Tollit, moleſtis uſque doloribus
Qui ſubjacet, languore mœſtam
Tabifico comitante menſam;
26 Ambo tegentur pulvere ſordido,
Amboſque vermis pulveris incolæ

CAP. XXII.

Depaſcet atrox, indieſque
Dentibus aſſiduis vorabit.
7 En vos receſſu cordis in intimo
Quæ cogitatis, ſunt mihi cognita!
En certa conſtant quæ putatis
In tacitis animi latebris!
8 Luxu paratus magnifico domos
An diruerunt fulmina fundituſ?
An nunc (rogatis) regis ædes
In tenues abiêre ventos?
9 Quin tranſeuntes poſcitis hoſpites,
Qui regna viſunt extera gentium?
Hi vos ab exemplis, opinor,
Conſpicuis, ſtolidi! docebunt:
10 Vacare prævum vindice liberum,
Aduſque lucem quâ Deus Angelis
Hinc inde ſtipatus redibit,
Flammiferâ ſpecie coruſcus.
11 Quis digna reddet præmia? quis dabit
Abominandis æqua laboribus?
Nemo univerſo in orbe; namque
Intrepiduſque animique fortis.
12 Cunctos procaci ſpernere lumine
Dum vivit auſit; membraque ſpiritus
Ut liquit, ille expers periclî
In tumuli remanebit antro.
13 Amœna propter flumina mortuus
Ponetur; ingens & comitantium
Turba antecedet & ſequetur
Buſta alacri decorata pompâ.
14 Cur ergò vanis æthera vocibus
Impletis omnem? meque miſerrimum
Solaminis prætextu, amici!
Dejicitis ſalibus protervis?

CAP. XXII.

TUnc ora, facto cæteris ſilentio,
Sic Eliphazus ſolverat.
2 Quis in remotis orbis oris naſcitur
Mortalium de ſemine,

Qui

Qui ſanctitate aut puritate Cœlitum
Magno parenti profuit?
Quamquam ipſe ſanctus voce ſanctâ & pectore
Et dexterâ ſe juverit.
3 Si dextra tibi ſit pura ſcelerum ac ſordium,
Deo hinc voluptas affluet?
Aut ſi ſequaris recti & æqui regulam,
Quid ei redundat commodi?
4 Tene ille verbis reprehendet mollibus
Rerum creator omnium?
Plagamque veritus duriorem infligere,
Non reprimet ferociam
Tuam flagellis, ſed ſuavi blandiens
Sermone linguæ melleæ?
5 Quàm fœda facies eſt tuorum criminum?
Quanta eſt eorum ratio,
Quæ nulla lingua calculare noverit,
Nec ulla mens comprendere?
6 Nam tu creatos propriis parentibus
Peſſumdediſti fœnore,
Et veſtibus tu pauperem ſqualentibus
Sæpe exuiſti & orphanum.
7 Nec ſole feſſum & arduis laboribus
Haurire flumen paſſus es:
Nec durus umquam pauperi famelico
Manum tuam porrexeras.
8 Sed quiſquis opibus polluit potentibus,
Multâ decorus gloriâ,
Illi, ſed illi ſemper unico, tuæ
Portæ patebant regiæ.
9 Nec tu benignâ ſublevaſti dexterâ
Viduas maritis feminas;
10 Nec patre caſſos filios; hinc undique
Terror tremorque luridis
Circumdedêre te paventem umbraculis:
Hinc palpitat cor anxium.
11 Hinc te tenebris nox opacis obſidet,
Lucem ſerenam obnubilans:
Hinc æquor undis æſtuans tumentibus
Caput reſorbet obrutum.
12 Felicitatis ſomnio dum indulſeras,
Rebus ſecundis inſolens,

3 Sic ipſe tecum dixeras: Rerum parens
Fandum & nefandum negligit:
Nam quomodo ille nube densâ conditus
Mortalium res cerneret?
4 Illius oculos inter & mortalium
Res atra nox prætenditur:
Campos profundos ætheris perambulat,
Queis nubium ſubtexitur
Fornix opacus: ergò numquam lumine
Terras jacentes reſpicit.
5 An perſpicacitate cautus lynceâ
Tu ritè circumſpexeras
Vitæ tenorem quem tenebant impii?
6 Queis ante tempus atra mors
Injecit ungues tam repentè fluminum
Vaſto voratis gurgite.
7 Qui ſic profano muſſitabant murmure,
Effutientes impia:
O magne rerum conditor! pedem abſtrahe
A ſede noſtri pectoris:
Vanos labores cur teramus indies,
Tuo obſequentes numini?
8 Quum tu reſolvas ora ſtulta talibus:
Qui cogitabant impii,
Et cogitata abominanda fecerant,
Ædes eorum copia
Cornu beavit undiquaque divite:
Sed me timentem numinis
Hinc inde iniquis obrutum moleſtiis
Fortuna læva deprimit.
19 En! (crede ocellis, crede ſaltem propriis)
En! jure nobis omnibus
Queis ſola vitæ meta, ſola regula eſt
Lex ſacroſancta numinis,
Ridet benignis ſors ſecunda vultibus:
20 At quidquid illis omnibus
Reſtabat, ædes gemmâ & auro divites,
Cum ſplendida propagine,
Flammis anhelis æſtuoſi ignis furor
In pulverem redegerat:
Hæc cuncta juſtus impiis contingere
Læto intuetur lumine,

Et hoc beatum lætus ad ſpectaculum
Altum cachinnum ſuſcitat.
21 Ergò ad parentem Cœlitum revertere,
Manuſque tolle ſupplices;
Illi propinquo adjunge te conſortio,
Sceleris nefandi pœnitens;
Sic blanda ſefe par tibi comitem dabit,
Et vota reddet proſpera.
22 Quæcunque voces ille cunque fuderit,
Has aure lætus imbibe.
23 Sic te ipſe ſummi Dominus & rector poli
Cunctis beabit commodis.
24 Sic tu maniplis more denſi pulveris
Sinum replebis auris:
Aurum, caminis ex Eois profluens,
Tamquam lapillos colliges.
25 Tibique rerum rector in rebus malis
Aſylum erit tutiſſimum:
Nec larga deerit æris unquam copia,
Quæ ſpem reducat anxio.
26 Tunc ipſe certâ numinis fiduciâ
Fretus, valebis fortiter
Coram tremendo Regis æterni throno
Vultus tuos attollere.
27 Tunc ſupplicabis voce lamentabili;
Advertet ille ſupplici:
Tunc ad ſecundos vota duces exitus;
Nec ſpes inanes nutries.
28 Quamcumque mente ſtatueris ſententiam,
Eventa læta ſentiet;
Meridiano ut clariores lumine
Tuæ actiones fulgeant.
29 Dextrâ, ſiniſtrâ, lætus intueberis
Tot obrutos moleſtiis
Hinc inde duris; liber ipſe & integer
Uno in Deo ſpem collocans:
Qui jure vanâ turgidos ſuperbiâ
Premit, obſequentes erigit.
30 Qui civitates fulcit omnes robore,
Quæ ſcelere puram continent
Mentem manumque; tam bonis placabilis,
Tam mitis ac amabilis.

CAP. XXIII.

ERgò mox ſævâ violentus irâ,
Atque perfuſus lacrimis Iobus
Clamat, effundens miſeros ab imo
Pectore queſtus.
2 Nunc meo, eſt! æther gemitu remugit
Pulſus, & mœſtis reſonat querelis,
Nec tamen verbis rabidos ad unguem
Pingo dolores.
3 O mihi ſi nunc liceat videre
Quo quatit ſceptrum ſolio verendum!
Quam Pater mundi poſuit colendam
Numinis ſedem!
Hanc ego nullum ſceleris pudorem
Fronte teſtatus peterem rubenti,
Nec metu pœnæ trepido reſultans
Corda tumultu.
4 Hîc meam firmâ ratione cauſſam
Judicis coram facie tenerem:
5 Is meam vitam meritò probaret
Puriter actam.
6 Mene dejectum à ſolio tremendo
Truderet? non ſic violentus eſſet:
Quin mihi infirmos valido novaret
Robore nervos.
7 Sic ſuper ſtellas radiis decoras
Tolleret noſtram Deus æquitatem:
Sic reportarem numeroſa ſanctæ
Præmia vitæ.
8 Ecce! defigo radios ocelli
Antè, tum flectens aciem retrorsùm
Dirigo, ſed ſe Dominus tenebris
Veſtit opacis.
9 Nec ſatis: dextram pede pertinaci
Hinc peto, rurſuſque peto ſiniſtram:
Sed mihi denſas Deus hîc & illic
Objicit umbras.
10 At mihi certè benè providebit;
Rebus anguſtis magis eniteſcam,

Ad modum flavi decies recocti
Igne metalli.
11 Namque constanti stabilis tenore
Illius legem colui verendam:
Nec meos fecit titubare gressus
Nubilus error.
12 Nec vias liquit pietatis umquam
Mens levis capta illecebris caducis;
Et Dei sermo fuit usque nostrâ
Gratior escâ.
13 Sed tamen rerum Pater atque Rector,
Quidquid in cæcis animi latebris
Cogitat, tandem validâ patrabit
Robore dextræ:
Nam quis in mundo prohiberet illum,
Qui polum nutu regit universum?
Ejus unius ratio voluntas
Digna putatur.
14 Ergò de me quod statuebat olim,
Seu bonum sive id secus esse vellet,
Fiet: hoc illi latitat sub alta
Mente repostum.
15 Hinc stupor sensus tenet alligatos,
Hinc salit pectus; penetratque in ossa
Terror, & nostros tremor undiquaque
Concutit artus.
16 Nam Deus nostram sine fine mentem
Turbidam longis cruciare curis
Perstat, & longo mea mens liquescit
Fracta dolore:
Jam liquet longo mea mens dolore
17 Fracta: cur me non cita mors ademit,
Sors mihi ut vultu fugitiva risit
Blanda sereno?
Antequam nigris penitus sub umbris
Texerat nomen tenebrosa nostrum:
Antequam vastis decus atque pompam
Obruit undis.

CAP. XXIV.

SI Deus mundum regit universum,
Morte nunc raptans celeri juventam,
Nunc seni claudens lacrimosa tardo
Lumina fato;
Unde qui legum pia jussa ridet
Impius vitam peragit beatam,
Donec ad longos tremulæ senectæ
Pervenit annos?
Quum volutabro scelerum in profundo
Corporis vires, animi vigorem
Mergat, & semper violenta patret
Crimina pernix.

2 Sæpè qui limes, genitor quietis,
Arva sejungit sociis ab arvis,
Vi trahit secum, & pecudes amœna
Prata vorantes.

3 Sæpè cassorum genitore asellos,
Qui super campos saliunt virentes,
Et bovem caro viduæ marito
Raptat avarus.

4 Pauperem fastu premit arrogantî,
Atque secretos fugere in recessus
Cogit, ut tutus maneat profundo
Conditus antro.

5 En! velut silvas onager feroces
Qui colit, mollem fugat ille somnum,
Antequam Titan radios Eois
Exserat undis;
Tunc locos currens per inhospitales,
Unguibus prædam lacerat cruentis:
Hâc fit illius ratione proles
Impia pinguis,

6 Falce dissectos violenter agros
Nudat auratis nitidos aristis:
Pampinos uvâ vacuos in ampla
Vite relinquit,

7 Detrahit vestes inopi, facitque
Nudus ut noctem peragat soporam,

Bruma dum cunctos vitreo coërcet
Marmore rivos:
8 Utque per montes gelidos vagetur,
Grandine in nudos humeros cadente,
Inque ſaxoſis tremebunda condat
Membra latebris.
9 Quin & infantem, tumidas papillas
Qui premit binis avidè labellis,
Orphanum tollit gremio parentis
Impete ſævo:
Fœnore injuſto tenuem & puſillum
10 Perdit; & nudum facit ire ſemper,
Bruma dum cunctos vitreo coërcet
Marmore rivos:
Fruge demeſsâ, ſimul atque pauper
Pauculas dextrâ ſegetes caducas
Colligit, lectaſque domum reducit
Pectore læto:
Inſtat extemplò furibundus ille,
Pauperem dextrâ ſpoliat rapaci,
Atque mercedem aſſidui laboris
Subtrahit omnem.
11 Pauper, autumno veniente, fructum
Diſcutit pinguem ex oleis, & uvam
Pampinis, verùm rapido latroni
Servit utrumque.
12 Hinc ſonant mœſtis plateæ querelis,
Terra longinquo reſonat boatu:
Nec Pater mundi ſcelera hæc retundit
Vindice dextrâ.
13 Quiſquis hunc vitæ ſequitur tenorem,
Lumen exoſus tacitè precatur,
Nox ut obſcuris rediens obumbret
Æthera pennis.
14 Dulcis auroræ jubar antevertit,
Ut premat ferro tenues cruento,
Dexteram quiſquis maculare gaudet
Sanguine juſto:
Phœbus ut ſeſe in thalamos recondit
Tethyos curis vacuus diurnis,
Ille furtivis hominem innocentem
Cædibus aufert,

15 Si

15 Sic & intentis oculis adulter
Veſperem ſerum, ſceleris latebras,
Lætus exſpectat, faciemque falſo
Velat amictu:
16 Quâ domo pulcræ faciem puellæ
Vidit, & viſam tacitè cupivit
Sole fulgenti, petit hanc ſoporæ
Tempore lunæ:
Tunc rotas lunæ cupit eſſe tardas,
Et gradu lento peragrare cœlum:
17 Clara lux illi tenebroſa mortis
Umbra videtur:
Namque ſi quiſquam ſua facta ſciret
Conſcius, terror ſubitus tremorque
Turbidos artus quateret, comæque in
Fronte rigerent.
18 More torrentis ſubiti per auras
Impius tranſit tenues, nec illi
Vineas largum pluvio beabit
Agmine cœlum.
19 Cana nix languet medio ſub æſtu,
Quam bibit partim radiis decoris
Phœbus, & partim bibulæ voratus
Gutture terræ:
Sic & horrendi ſceleris miniſter
Per gradus tandem in nihilum redibit,
Cum ſemel longum capiet ſoporem,
Marmore tectus.
20 Et patri, matri & reliquis propinquis
Excidet, longis tenebris ſepultus:
Vermis impuram cupido vorabit
Gutture carnem:
Illius laus, & decus, atque ſplendor
Clarus obſcurum cadet in ſepulcrum,
Sicut in terram recubat cupreſſus,
Icta ſecuri.
21 Dente laſcivo lacerat carentes
Prole fœcundâ thalamos: nec umquam
Sublevat triſtes viduas, malorum
Pondere fractas.
22 Sub jugum dites trahit & potentes;
Et thronum adſcendens, ratione nullâ

Sontis,

Sontis, insontis, rigidam securim
Cæde cruentat.
23 Quamlibet carpat placidam quietem,
Illius vitam Pater orbis æquâ
Lance perpendit, meritisque plectet
Crimina pœnis.
24 Quamlibet nomen, radiis nitescens
Aureis, cunctas volitet per oras,
Et poli tangat nitidi cacumen
Vertice celso:
Ast opes, pompam, decus, ac honores,
Dira mors tandem subitâ recidet
Falce, maturis radiata tamquam
Jugera granis.
25 Fortè mentiri videor: quid ergo?
Quilibet mecum petat hîc arenam,
Meque facundæ superare tentet
Fulmine linguæ.

CAP. XXV.

Bildadus ergò terribilem Dei
Justâ efferebat laude potentiam,
Præclara rerum conditoris
Facta poli super astra tollens.
2 Rerum ille summus rector & arbiter
Et regna terræ, & spumea cærula,
Et verticis nutu tremendi
Sidereum moderatur orbem:
Quæ lingua nomen prædicet illius?
Quæ musa numen concinat illius?
Abusque formidandum Eois
Gentibus Hesperios ad Indos,
3 Quis mente vel comprendere languidâ,
Vel curiosis subdere calculis
Magno Tonanti inservientes
Angelicas valeat catervas?
Quæ terra Phœbum nescíat aureum,
Latè coruscis qui radiis nitet,
Qui Persiam telis decoris
Percutit, occiduasque Gades?

4 Quis ergò Cretus femine putrido
Se jactitabit crimine liberum?
Quis gente natus femininâ
Juſtitiam ſibi vindicabit?
5 En ſordet illi Cynthia, quamlibet
Se copulatis cornibus alliget!
En lampades ſordent minores,
Flammiferis radiis comantes!
6 Quantilla noſtræ eſt ergò propaginis
Stirps, ævi iniquis obvia dentibus?
Quam parvulis nil intereſſe
Vermiculis tineiſque conſtat:
Vitalis auræ lumen amabile
Utrique carpunt, vitaque debilis
Utriſque vaneſcit per auras,
Debilibus ſociata membris.

CAP. XXVI.

ERgò miſer miſeros queſtus duplicavit Iobus;
Verbaque jam dederat liberiora dolor:
Quàm benè defectis inſtauras robora membris?
Et relevas animi vulnera dura mei?
3 Quàm benè triſtitiæ pellis mihi nubila mœſtæ?
Quæque doces miſero ſit medicina viro?
4 Cur adeò noſtros juvat exagitare dolores?
Undè animi rabies provenit iſta tui?
5 Omnipotens rerum genitor, qui cuncta creavit,
Qui regit arbitrio cuncta creata ſuo:
Ille ſub æquoreis animavit monſtra lacunis,
Quæ ſcopulos inter vaſtaque ſaxa latent.
6 Illius ante oculos patet atræ janua mortis;
Ille videt tenebras, orce profunde! tuas.
7 Perpetuos ſua templa Deus convolvit in orbes
Cærula, purpureis undique picta globis:
Templa, ſuper vacuum latè pendentia cœlum:
Æthereos vacuum fundat inane polos:
Et circumfuſo ſuſpendit in aëre terram,
Quæ jacet in medio, pondere preſſa ſuo.
8 Alligat æthereas nebularum in tegmine lymphas,
Nec nebula hæc gravidis rupta liqueſcit aquis.

9 Sæpè

9 Sæpè oculis aufert ſtellata palatia noſtris,
Subtexens nitido nubila nigra polo.
10 Æquora propoſitas juſſit ſua claudere metas,
Dum lucem tenebræ, lux tenebraſque fugit.
11 Quamprimùm horrendo tonitru facit ille fragorem,
Concutit æthereos, orbe tremente, globos.
12 Scindit in innumeras vaſtum mare protinùs undas,
Altaque ſpumiferum tollit ad aſtra ſalum:
Si ſibi quis vanos avidè congeſſit honores,
Dejicit & valido deprimit ille pede.
13 Sparſit in aſtriferis paſſim miracula cœlis,
Cæruleum varia pinxit ab arte polum:
Quique tuam caudam ſinuoſos flectis in orbes,
Artifici finxit te, baſiliſce! manu.
14 Cernimus ecce oculis lippis hæc paucula! verùm
Quantilla eſt magni portio nota Dei?
Adſpice, cum crepitum dederunt vaga fulmina raucum,
Quis non humano vivus in orbe ſtupet?

CAP. XXVII.

SEd nondum miſeros queſtus finivit Iobus;
Progreditur, lacrimas continuatque ſuas:
2 Per Dominum, æthereos nutu qui temperat orbes,
Juro; per æterni numina magna Dei:
Numina, quæ noſtros cumulant irata dolores,
Judiciumque animi ſurripuêre mei:
3 Dum trahit alternas animæ mihi ſpiritus auras,
Dum luteam retinet mens generoſa domum:
4 Nulla ego fallaci pingam mendacia fuco,
Nec fluet ex labiis fraus malefana meis:
5 Nec vefana ſequar ſtolidæ deliria linguæ,
Ceu foret hæc vitæ norma tenenda meæ:
Juſtitiæ dare terga meæ, dare vela furori,
Nulla valent animum cogere verba meum.
6 Nil conſcire mihi, nullâ pallefcere culpâ,
Hæc mihi perpetuò ferrea turris erit.
7 Novi equidem injuſtos vaſtam exſpectare ruinam:
Hoſtibus eveniant talia fata meis!
8 Ecce virum niveo morum candore nitentem,
Qui ſcelera in tacito pectore dira coquit!

Quo

Quò tandem illius, quò ſpes malè credula tandem,
Triſtia cùm celerem fata tulêre necem?
9 An Deus in rebus clamantem exaudiet arctis?
Et ſacro ex adyto ſigna ſecunda dabit?
10 An ſemper mandata Dei veneranda revolvet?
An ſemper miſeras fundet in aſtra preces?
11 En vobis miranda fero, memoranda recludo!
Nec taceo laudes, conditor alme! tuas:
12 Imò patent oculis jamdudum hæc omnia veſtris:
Cur igitur ſtolido ſic juvat ore loqui?
13 Impius horrendas patitur pro crimine pœnas;
Illi Rex hominum præmia digna dabit:
Hic ſcopus, hæc miſeræ meta eſt extrema ſenectæ,
Hoc regit infauſtam ſemper in orbe rotam.
14 Si ſupereſt illi ſobolis numeroſa propago,
Blandaque poſteritas rura paterna tenet:
Trajicitur medias, ferro referante, medullas;
Membraque ſanguineo vulnere ſecta cadunt:
Aut mortem, ſtimulante fame, properare morantem
Exoptat longis attenuata moris.
15 Quos habuit ſocios uſquam vel ſanguine junctos,
Hos gremio impoſitos alta tenebit humus:
Et ſiqui fuerant comites carique propinqui,
Rejicient animo nomen inane ſuo:
Nec conjux viduata virum deflebit ademtum;
Nec lacrimis faciet ſtrata madere ſuis.
16 Haud ſecus ac cineres cumulet vaſti æris acervos;
Et tunicas avidè comparet uſque novas:
17 Comparet, aſt illas recipit pia turba gerendas;
Et coacervatas jure reportat opes:
Adſpicis infirmam quam nectit aranea telam,
Viſceribus vacuans pectora parva ſuis?
18 Adſpicis alternæ geminata ut gloria ſilvæ
Protegat arboreis languida membra comis?
Inſtabilem ſic ille domum fulcire laborat,
Quæ ſubito Zephyri flamine pulſa ruet.
19 Impius ecce opibus pollens, numeroque clientûm,
Fortunæ inſtabiles ſentiet ipſe vices!
Antè, retrò, tendenti oculos, dextrâ atque ſiniſtrâ,
Nemo dabit placidam, ſorte premente, manum:
Nemo temporibus lapſum relevabit in arctis.
20 Luridus indomitis obruet horror aquis;

Et citò per mediæ tenebrosa silentia lunæ,
Hunc rapiet subiti vis furibunda Noti:
21 Vis furibunda Noti rapiet sub nocte sopora,
Et procul à laribus subtrahet illa suis.
22 Inque caput miserum Dominus librata repentè
Terrifico jaciet fulmina sæva sono:
Fulminibus trepidos laniabit corporis artus;
Neu fugiat mediâ comprimet usque manu.
23 Totaque gens hominum plaudens super omnia, mittet
Sibila de labiis stridula sæpè suis.

CAP. XXVIII.

NOnne tenet gremio tellus fœcunda benigno
Argentum, fulvi divitiasque Tagi?
2 Æra liquata fluunt saxis ex igne peruftis;
Effoditur solido ferrea massa solo.
3 Cuncta oculis hominum tenebris inclusa recludit
Rector in ætherei qui sedet arce poli:
Nulla latent mortale genus tellure sub ima,
Non procul inferno sint licet illa lacu.
4 Per loca perrumpent pedibus planè invia nostris,
Sub terræ tacito flumina clausa sinu:
Attamen hæc rapidos latè volventia lapsus
Artifices constat posse fugare manus.
5 Flavam terra parit segetem; parit æmula flammis
Terra sub omnifero saxa reposta sinu.
6 Pulvereis rutilum glebis intermicat aurum,
Splendidaque eximio gemma colore nitens.
7 Est via lethæis latitans obscura sub umbris,
Ad quam non avium turba canora volat:
8 Ad quam non oculis penetrat lynx acer acutis;
Non leo, non soboles dira leonis adit.
9 Hanc tamen Omnipotens oculis dat cernere nostris;
Hanc tenebris pulsis exhibet ille palam:
Si quid enim obscuræ latet imo in viscere terræ,
Si quid in abstrusis & sine luce locis:
Exæquat planis viridantia culmina campis,
Dejiciens validâ saxa profunda manu:
Deque sinu lapidum fluvios jubet ire loquaces,
Et varios latè pervolitare locos.

10 Detegit

10 Detegit in mediis altè concluſa cavernis,
Et Stygium penetrat luminis orbe lacum.
11 Flumina propoſitis tenet exundantia metis,
Conſtringit ſpatiis æquora ſæva ſuis:
Sic ſiqua in gremio terræ ſint clauſa profundo,
Præfert illuſtrem prævius ipſe facem.
12 At ſibi quem divina thronum ſapientia fecit?
In qua dignatur ponere ſede pedem?
13 Gentibus humanis non illa agnoſcitur uſquam,
Nec ſibi terreno legit in orbe locum.
14 Nec videt hanc liquidis revolubile marmor in undis,
Quod refugo plangit littora lata ſinu.
15 Hæc equidem eſt ipſo longè pretioſior auro,
Hanc apud argenti gloria viſa levis.
16 Sed nec Ophyræum valet hanc æquare metallum,
Nec cyanus viridis, nec pretioſus onyx.
17 Non aurum, Pariuſve lapis circumdatus auro,
Hanc poterunt meritis æquiparare ſuis:
Non magnes rigidum geſtit quem accurrere ferrum,
Quàque licet lateri continuare latus.
18 Te quoque, coralium! denſis abſconde tenebris,
Quæque irim vario, gemma! colore refers:
Vincit enim nitidos ſapientia dia pyropos,
Quos parit externi dives arena ſali.
19 Hæc eſt eximio longè anteferenda topazo,
Æthiopum calido qui venit axe lapis:
Purior hæc auro eſt, cui ſordes funditùs omnes
Edomuit rapidi ſeptima flamma rogi.
20 Jam ſibi quem divina thronum ſapientia fecit?
In qua dignatur ponere ſede pedem?
21 Non illam tellus, non illam conſpicit æquor,
Penna nec aëreas quæ ſecat alta vias.
22 Illius attonitas reſonat mihi fama per aures,
Dicit Avernalis turba colona lacûs.
23 Solus at Omnipotens hanc lumine cernit acuto,
Hanc animo ſolus concipit ille ſuo.
24 Ille oculi radios latè diffundit in orbem,
Cunctaque ſtelligero ſubdita regna throno.
25 Pondera ventorum, tumidi quoque pondera ponti,
Olim perpendit ritè bilance pari.
26 Fecit & Oleniæ ſidus pluviale capellæ,
Conſtituit certam fulminibuſque domum.

Progreditur, lacrimas cont nuatque lua
2 O mihi ſi redeat veterum ſors priſca dierum
Qualis erat paucis mentibus antè mihi!
Cùm Pater omnipotens me per ſalebroſa v
Securum placidâ duxerat ipſe manu.
3 Cùm penitùs fuſcas clarâ face diſpulit um
Quæ mihi Cimmerium luce retexit iter:
Præluſtrique procul coràm ſplendore coruſc
Certa erat ambiguæ duxque comeſque v
4 Talis eram teneræ jucundo in flore juvent
Cùm domus æterni eſt hoſpita facta D
Cùm mihi ſecuram ſtatuens Deus undique
Signa animi oſtendit non dubitanda ſui.
5 Talis eram pulcrâ ſobolis ſtipante caterv
Cùm favor æthereus proſpera cuncta d
6 Balſama ſudabant, greſſus quàcumque fere
Balſama viſceribus ſaxa tulêre ſuis.
7 Noſtra domus ſimul ac portas patefecit eb
Et traxit lentum planta verenda gradu
Jamque propè acceſſi judex ſubſellia, jam
Sedem ſepoſuit ſedula turba meam:
8 Protinus en! juvenes latebras petiêre pave
Et tenebris vultus occuluêre ſuos.
9 Surrexêre ſenes longævâ ætate verendi,
Magnates linguam continuêre ſuam:
10 Non aliter tenuêre ſuam ſine murmure ling

Ille ſalutiferum me portum, aſt illa maritum,
Officium variè ſenſit uterque meum:
Jure igitur meritas grates referebat uterque,
Talibus: O tibi ſint omnia fauſta precor!
4 Regia veſtis erat pietas ſincera fideſque:
Simplicitas animi regia veſtis erat.
5 Me duce non oculis cæcus caruiſſe dolebat,
Officio mutilus nec caruiſſe pedum.
6 Me patris expertes blandè dixêre parentem:
Uſque adeò innumeris uſibus uſus eram.
7 Quæque fuit tacitis miſerorum cauſſa tenebris
Merſa, fuit ſtudio ſæpè reperta meo:
Faucibus injuſti ruptis, ego jure revulſi
Quam tenuit prædam dentibus ille ferox.
8 Tunc ego ſic mecum: jam me pax blanda fovebit,
Jam venient vitæ tempora longa meæ:
Tempora, quæ numeret, ſiquis numerare valebit
Quotquot littoreus corpora pulvis habet.
9 Stirps mea fœcundas fudit prope flumina fibras,
Sedet in irriguis nocte pruina comis.
10 Fama mihi occultum crevit veneranda per ævum;
Fama procul jaculi, Mome! timore tui:
Nam regum populique favor, laus, ſplendor, honores,
Implerunt pharetram proſpera tela meam:
Sic citò lethiferas tulit in ſua viſcera pennas,
Direxit cupidâ qui mihi tela manu.
11 Et cùm doctiloquo ſermone ſilentia rupi,
Plebs cupida attentâ ferbuit aure mihi.
12 Voces illa meas avidâ ſic aure bibebat,
Terra velut pluvias ſicca reſorbet aquas:
13 Terra ſub autumnum velut imbribus ora relaxat,
Cùm ſeges auratos florea pingit agros.
14 Si ſibi ſuſtuleram tremulos ego fortè cachinnos,
O quàm grata mei ſigna favoris erant!
Si ſibi ſuſtuleram placido mea lumina vultu,
Non radios oculi ſpreverat illa mei.
15 Sede ſuper celſa medio Rex agmine ſedi,
Sola ſalus trepidis præſidiumque reis.

CAP. XXX.

AT mihi nunc, eheu! miſero jam illudere certant,
Ipſa etiam in tenero flore juventa virens:
Quorum ego non patres catuli dignabar honore,
Qui ſervat ſparſos lata per arva greges.
2 Horum namque manu nullam fuit uſus in artem,
Queis fati tacta eſt ultima meta ſui:
3 Qui, durâ ſtimulante fame, deſerta petebant
Arida, & inſolitos incoluêre locos.
4 Delicias dumos dixêre à ſtirpe revulſos:
Juniperi radix grata alimenta dedit.
5 Urbibus extorres tacitos petiêre receſſus,
Ut latro cùm trepidæ dat ſua terga fugæ.
6 Antra domos fecêre ſuas, terræque cavernas;
Solaque montanis hoſpita ſaxa feris.
7 In mediis dumis aſinorum more rudebant,
Sentibus in mediis conſtituêre choros.
8 Pauperibus nata eſt patribus pauperrima proles:
Sordidior luteâ ſorde ſedebat humi.
9 Hæc nunc ludibriis coràm me exponit apertis,
Jactat & in medio nunc mea probra foro.
10 Me ſpectat trepidoque procul fugit illa timore,
Et ſpuit in faciem plena furore meam.
11 Nunc quoniam Omnipotens laxat mihi frena doloris;
Laxârunt furiis hi quoque frena ſuis.
12 Me pedibus calcant juvenes hinc inde protervis,
Quà poterant, tardam concelerantque necem.
13 Per loca detorquent animum declivia noſtrum;
Nec requies, nec ſpes ulla ſalutis adeſt:
Accumulant lacrimas lacrimis, luctumque dolori;
Interea ſubitam fert mihi nullus opem.
14 En! tamquam fluvialis aquæ ruit impetus ingens,
In mea jam parili corpora more ruunt:
Ecce! meâ nutante domo & minitante ruinam,
Ut lapides in me vaſtaque ſaxa cadunt!
15 Luridus horrendis terror me jam obſidet umbris,
Aſſiduèque mihi triſtia corda premit:
Et procul ex animo, procul omnia læta fugavit,
Ut nebula Æoliis quæ fugit acta minis:

16 Jam

6 Jam volat in tenues mihi vita evanida ventos;
Interitumque trahunt fata citata meum.
7 Noctu verſati cruciantur corporis artus,
Membra nec in tacito ſunt requieta toro.
8 Ulcera tinxerunt tunicam ſanioſa fluentem,
Jamque alium à veteri verſa colore refert:
Ulcera me adſtringunt totis, en! undique membris;
Colla velut tunicæ ſtringor ab ore meæ.
9 In media ſtratus jaceo nunc, ecce! palude;
Pulvereâ nitidas ſorde tegente comas.
10 Te, rerum Pater alme! voco: Pater alme! ſalutem
Te rogo, tu miſeras reſpuis aure preces.
11 Tu me disjectum truculento vulnere ſternis;
Tu rabidâ laceras pectora noſtra manu:
12 Me venti ſuper aſtra poli violentibus alis
Tollis, & aërium carpere cogis iter:
Hîc me perpetuo crucias ſine fine rotatu;
Hinc verſa in cineres corpora noſtra fluunt.
13 Quicumque auricomos Phœbi videt undique vultus,
In tumulo extremam debet habere domum:
Nunc igitur miſerere mei, miſerere meorum;
Da placidam feſſo nunc, Pater alme! manum.
14 Siquis enim obſcuro tumuli ſemel abditur antro,
Non iterùm antiquo vivet in orbe modo:
Mortuus ille jacet gelidi ſub mole ſepulcri;
Nec fletu aut lacrimis fata novare licet:
Quamlibet innumeras fratrum pia turba querelas
Fundat, & æthereum verberet ore polum.
15 O quoties flevi miſerorum fata virorum!
Imbre ſuper madidas uſque cadente genas.
16 Speravi bona multa mihi, mala nulla: ſed en jam
Fronte riget tetricis ſors nebuloſa minis!
17 Viſcera fervebant trepido decocta pavore;
Cordaque ſollicitus quaſſit anhela tremor:
Omnia tentabam queis fata repellere poſſem
Dura, ſed excidium lux tulit una meum.
18 Nunc fleo, nec mihi lux blandè ſolamina præbet;
Nec lacrimas minuit fax radiata meas:
Nunc gemitus fundo populo ſpectante profuſos,
Et reſonat miſeris aura recuſſa ſonis.
19 Haud aliter mœſto lacrimat cum murmure bubo;
Haud alios fremitus ora draconis habent.

30 Ulcera

Non ego ſum viduam tenuem macreſcere paſſus,
Nec duram hanc lentè depopulare famem.
17 Non ego delicias carpenam ſolus amœnas,
Sed ſocia hîc ſoboles orba parentis erat:
18 Illa igitur tenero patrem me dixit ab ævo,
Altera patronum, aſt utraque vera, ſuum.
19 Si quis erat rigidæ gelido ſub fidere brumæ
Nudus, & occluſas frigidus ante fores:
10 Ille meis lumbos gregibus veſtitus abivit,
Et calido placidæ vellere tectus ovis:
Ille abiit lætis teſtans ſua gaudia verbis,
Et fauſtas pro me fudit ab ore preces.
11 Nec dum ſors tenuem preſſit miſeranda clientem,
Subtraxi auxilium, quâ data cauſſa, meum:
Cùmque fatiſcebat gravidæ ſub mole ruinæ,
Non mea tunc celerem dextra negavit opem.
12 Quòd ſi fortè tamen mendacia fingere nitar,
Et tacitè falſos diſſimulare dolos:
Ipſa mihi in medio frangantur brachia nodo,
Et ſcapula ex humeris decidat ipſa meis:
13 Nam Patris ætherei, rerum qui frenat habenas,
Ante oculos ſemper ſtabat imago meos:
Ante oculos Domini præſentia numina ſemper
A vitiis animum continuêre meum.
14 Nec mea mens tacitè, flavo conflata metallo,
Dixit, tu vitæ es cauſſa ſaluſque meæ.
15 Nec mihi divitiæ multo ſudore coactæ,
Reculaque aſſiduæ parta labore manûs,
Lætitiâ replere animum potuêre, nec unquam
Cæcârunt ſtolido pectus amore meum.
16 Nec ſol cùm nitidum radiis luſtravit olympum,
Cærulei peragrans culmina celſa poli;
Nec vaga cùm cœlo fulgebat luna ſereno,
Aſtrorum in vitreas exſpatiata plagas:
17 Baſia jactabam ſtolidis libata labellis;
Nec deus obſequio hic nec dea culta meo:
Nec mihi perſuaſit tam ſplendor amabilis illos
Propterea veros eſſe putare deos.
18 Hoc etiam ſcelus eſt, meritòque infligeret illi
Horrida ſupplicium judicis ira ſuum:
Nam ſic eſſe Deum veſania noſtra negaret,
Qui regit æterni ſidera ſumma poli.

29 Nec nimiùm gaviſus eram, cùm ſterneret hoſtem
Sors formidandis fronte coacta minis:
30 Nec dederam rabidæ retinacula libera linguæ,
Exagitans miſeri fata ſiniſtra viri:
31 Cùm tamen interea famulorum turba meorum
Concordi dederint talia dicta ſono:
O ſceleratam utinam liceat diſcerpere carnem!
Nulla, niſi hæc ſequitur, pœna ſevera ſat eſt.
32 Nec volui in vacuo peregrinum ſtertere cœlo,
Sed patuit noſtræ janua laxa domus.
33 Mens mea cùm ſceleris ſibi conſcia palluit atri,
Et vitiis in ſe commaculata ſuis,
Non velum obtendi, veteris non inſtar Adami,
In tacito occluſi crimina noſtra ſinu.
34 Tantane me ſtolidæ cepit reverentia plebis?
Et populum fuerat tantus adire timor?
Ut neque prodirem foribus, planèque faterer,
Quæ tenuêre animi clauſtra profunda mei.
35 O ſiquis noſtris adhiberet vocibus aures!
O mihi ſi ætherium fas ſit adire thronum!
O mihi ſi reſponſa meus jam redderet hoſtis!
Perpetuo inſereret ſi ſua verba libro!
36 Iſte liber, liber iſte humeris annexus adeſſet,
Et fieret capiti grata corona meo.
37 Huic enarrarem longæ veſtigia vitæ,
Trajicerem hunc linguæ fulminibuſque meæ:
Magnanimi virtute ducis ferventior inſtans,
Dum victum ſtratus ſe fateatur humi.
38 Ecquis agros fruſtrà noſtros verſavit? & ecquis
Officii pretium non retuliſſe dolet?
39 Non avido ſegetes alienas dente voravi,
Nec rapui à dominis arva beata ſuis:
Raptaque poſſedi, dominoſque in fata coegi,
Aut laqueo triſtem aut enſe ferente necem.
40 Quòd ſi fortè tamen mendacia fingere nitar,
Et tacitè falſos diſſimulare dolos:
Pro ſtipula granoque bono conſurgat avena,
Undique per medios & paliurus agros:
Has voces, hæc verba furens expreſſit Iobus;
Hîc finem queſtus juſſit habere ſuos.

CAP.

CAP. XXXII.

TUnc tres amici tam feroces antea
Animis, procaces vultibuſque & vocibus,
Os reprimunt, & exitum verbis negant:
Nam ſeſe Jobus vocibus nec aſperis,
Sermone blando nec volebat corrigi,
Suæ ipſe plaudens ſuaviter prudentiæ.
2 Tunc Barachelis procreatus ſemine,
Buzita gente natus, ac origine
Ramita, Elichus arſit irâ turbidus,
Adverſus ipſum exarſit irâ turbidus
Iobum, iniquis qui Dei calumniis
Suam tueri nixus innocentiam eſt.
3 Adverſus ipſos arſit irâ turbidus
Hos tres amicos, ſic Iobum jugiter
Calumniatos, nec tamen cauſſam ſuam
Fulcire lapſis ſuſtinentes viribus.
4 Elichus ergò manſit uſque ad ultimas
Voces Iobi, infirmitatis conſcius,
Quæ juniorum ſæpè mentes occupat,
5 At cum obſeraſſent clauſtra linguæ fervidæ
Hi tres amici, jam furore percitus
Suam ipſe tandem protulit ſententiam.
6 Jam, Barachelis procreatus ſemine,
Buzita, Elichus ſolvit ora talibus:
Ego juventæ limen ingredior meæ,
At vos ſenectam contigiſtis ultimam:
Hinc corde pavidus, hinc timore pallidus,
Meas latebrâ opiniones obrui,
Nec propalatam protuli ſententiam.
7 Senecta, dixi, cana, cycnis æmula,
Promat latebras veritatis intimas,
Edocta longis temporum decurſibus.
8 Dixi, ſed hîc me credulum error abſtulit:
Divina pectus incolit mortalium
Mens, quam perennis omnium rerum parens
Inflat vigore flammeo, quo concita
Prudenter omnes actiones dirigit,
Cernitque ſanctam recti & æqui regulam.

9 Non mente ſemper pollet ætas ultima:
Non quiſquis annis ſemper & prudentiâ
Præcellit alios, perſpicaci lumine
Cernens probique & improbi diſcrimina.
10 Nunc ergò quæſo, nunc favete vocibus
Meis, mihique differenti attendite:
Meas latebrâ opiniones exſeram,
Et antè clauſam proferam ſententiam.
11 En! ipſe nulla ab ore fundens murmura
Mutus remanſi, dum ſtudetis interim
Reſponſa, tacito corde dum perpenditis.
12 En! cuncta fruſtrà, cuncta fruſtrà machinor;
Non eſt Iobum qui ſciat reprehendere,
Aptiſque ritè vocibus redarguat.
13 Non ille iniquis in homines injuriis,
Sed pertinaci offenſione numinis,
Repentè pœnas tam ſeveras reddidit:
Hoc ergò jam vos eſſe præmonitos velim,
Ventoſa ne vos elevet ſuperbia,
Penniſque vanis ulteriùs æquo evehat.
14 Non ille fœdas ingerit calumnias
In me, nec illum more veſtro criminum
Falſorum iniquis argnam ſententiis.
15 Obmutuerunt ultimùm ſilentio,
Stupore ſenſus alligante marcido:
Mens horruit, vox hæſit ipſis faucibus.
16 Exſpecto, longùm exſpecto: nec reſponſa dant,
Alto loquelam ſupprimunt ſilentio,
17 Linguaſque ſiſtunt. Tempus eſt erumpere
In verba, dixi, &, cæteris tacentibus,
Vicibus loquendi propriis fungi juvat.
18 Mens noſtra, vaſtâ plena rerum copiâ,
Suadet profunda cordis arcana eloqui,
Suadet latebras pectoris recludere.
19 Et noſter uterus utris inſtar obtinet
Novi, novello qui Falerno imbutus eſt,
Cui ni pateſcat exitus, diſrumpitur.
20 Ergò eloquemur, ergò apertè fabimur,
Ut recreemus ſpiritum prælanguidum,
Labella frenis noſtra liberabimus.
21 Ego veritatem promam ab imo pectore,
Falſâ nec ullum proſequar reverentiâ,

Tituli

Titulis nec ulli blandiar fallacibus.
2 Me namque rerum genitor è medio auferet,
Et falce mortis diffecabit aspera,
Si fortè titulis blandiar fallacibus.

CAP. XXXIII.

NUnc te suppliciter precor,
Aures consiliis nunc adhibe meis,
Neu voces Aquilonibus
Portandas vacuum trade per aëra:
2 En! jam libera, motibus
Sese lingua rotat nostra volucribus,
Per fauces saliens levi
Cursu, nec tacitum diligit otium.
3 Depromam medio in pecta
Quæ cordis latitant, & venerabilem
Pandet lingua scientiam,
Non fuco aut variis illita fraudibus.
4 Ecce! in ventre cruaverat
Artus arte meos mirifica Deus,
Et factis dedit artubus
Alternos animæ ducere anhelitus,
Olim lætificans mihi,
Vitali luteam lumine fabricam.
5 Si defendere suscipis
(Nec te vel pietas vel pudor abstrahit)
Caussam tam malè consonam,
Consiste in medio, verbaque protinus
Produc in medium tua.
6 Absentis vicibus judicis, en! Dei
Præsens ipse vicarius
Fungar, quod toties antè cupiveras,
Effictus fragili luto,
Sicut gens hominum fingitur omnium.
7 Non est, quòd tibi pectora
Incassùm pavido prosiliant metu;
Non te, non mea dextera
Passim vulneribus figet atrocibus.
8 Voces audieram tuas,
Quas magno stolidus murmure fuderas,

Sic

Sic tecum haud veritus loqui :
9 Sum planè vacuus criminis impii :
Sum purus ſcelerum omnium :
Nec tincta eſt maculis noſtra ſequacibus
Mens inſons, manus innocens.
10 En! mecum immeritò jurgia ſuſcipit
Rerum conditor omnium,
Hoſtili lacerans pectora verbere :
11 Vinclis implicitum tenet
Curarum, atque oculis denotat acribus
Greſſus aſſiduè meos,
Cunctos dinumerans lumine lynceo.
12 En! hîc juſtitiæ viam
Tranſverſo penitùs tramite deſeris :
Reſponſum accipe debitum :
Immortalis, enim robore, gloriâ,
Princeps & ſapientiâ
13 Mortales ſuperat. Cur miſerum caput
Armis objicis illius ?
Nam nulli latebras pectoris intimi
In lucem Deus exſerit,
Nulli ſignificat quæ gerit omnia
Per terram & mare naufragum.
14 Bis terve Omnipotens alloquitur viros,
Unum forſan & alterum,
Haud quidquam reliquis percipientibus :
15 Cùm nox templa per aurea
Spargens purpureas undique lampades,
Langueſcentia triſtibus
Curis corda levat membra laboribus :
Cùm pennis ſopor humidis
Humanis oculis inſinuatus eſt,
Diversâ ſpecie ferens
Miranda in tacitis viſa cubilibus.
16 Tunc aures Dominus Deus
Et mentes aperit, perque ſuos gradus
Infundit ſapientiam,
Quam ſenſim cupidis auribus imbibunt :
17 Conatus fugere impios,
Sectari ſtudio recta docet pio :
Ne ventoſa ſuperbia
Stultos fortè homines tollat in ardua,

Lapſi

Lapſuros celeri gradu
In vaſtum barathri perpetui lacum:
Ne fortè ante diem cadant
Obſcurum in tumuli protinus aggerem:
Ne cum ſanguine plurimo
Exſpirent gladio in viſcera condito.
In lecto jacet impius,
Et pœnas ſcelerum ſuſtinet aſperas,
Ac totis dolor offibus
Infuſus miſeris diſcruciat modis.
Hinc vitæ miſerum piget,
Vitæ tam rapidis æſtibus obrutæ:
Hinc victum ſibi denegat:
Guſtus delicias tabidus abnuit.
Succum corporis ebibunt,
Et carnem rapidis dentibus exedunt
Curæque & dolor intimus,
Dirarumque cohors lurida febrium.
Jam triſtis prope limina
Lethe terrificis unguibus imminet,
Jam jam funereas faces
Exſpectans gelidis intremit artubus.
At ſiquis tamen unicus
Inter tot populi millia venerit,
Siquis venerit unicus,
Qui rectum doceat carpere tramitem,
Errorum & tenebris procul
Expulſis Dominum mente ſequi Deum,
Mox rerum Pater optimus
Languentem recreat robore vivido,
Placatuſque ita fabitur:
Nunc mors atra procul, nunc procul aufuge:
Hic iram, hic furias meas
Lenivit precibus ceu pretio ſuis:
Ceu pœnas ſibi debitas
Æternum Stygio penderet in lacu:
Namque inveni Hominem-Deum,
Qui vitam redimit morte vicariâ
Cunctis, qui ſcelus impium
Confeſſi ad Dominum mox redeunt Deum,
Pallorque & ſenium grave
Mutata aufugient, & roſeus color

In vultu, & vegetus vigor
Infantis faciem vincet amabile
Et vires alacres simul
In corpus venient, & cutis aspe
Rugis fœta novabitur,
In florem teneræ versa puertiæ
26 Divinam prece supplice
Implorabit opem : nec Deus a
Aures suppliciis, neque
Avertet faciem : pectora gaudi
Perfundet simul, & sui
Vultûs restituet lumen amabile
Atque amissa parentium
Reddetur veterum crimine sa
27 Nam curas hominum De
Latè sidereo prospicit à thron
Et facti malè pœnitens
Si quis flebilibus sic loquitur
Ah! fœdi sceleris piget :
Ah! nulla utilitas hinc mihi
28 Mox illum facili manu
Horrendo relevat de barathri
Vitam reddit amabilem,
Ac vitæ innumeris accumula
29 Sic sanè omnipotens Pat
Sancto res hominum numine
Hæc facti malè pœnitens
A rerum Domino munera su
30 Mox illum facili manu
Horrendo relevat de barathri
Vitam reddit amabilem,
Ac vitæ innumeris accumula
31 O nunc auriculam arrige,
Attentus monitis & tacitus m
Nam me nunc juvat eloc
Et recti dociles tradere regul
32 Sin fari modò tu velis,
Et postrema mihi dicta refelle
Profer quas fieri quidem
Opto vindicias, sed dubito, tu
33 Si non : os inhibe tuum,
Linguæ vaniloquæ murmura

Nam myſteria nubilis
Exſerta è tenebris maxima proferam.

CAP. XXXIV.

PRæterea Elichus ſermonem extendere pergit,
Multiſque largè diſſerit rationibus.
2 Eja agedum! verbis aures intendite noſtris,
Queis perſpicacis eſt acumen ingeni:
Eja agedum! pendete omnes dicentis ab ore;
Quos ratio pennis evehit ſublimibus.
3 Multa placent, ſapido ſordent quoque multa palato:
Sic verba doctis auribus diſtinguimus.
4 Ergò ſimul ſtudio jam nos ſcrutemur honeſto,
Acrique veram ſanctitatem indagine:
5 Sanctus ſum, ſcelerumque inſons, (jactavit Iobus)
Surripuit animum quamlibet Deus meum.
6 Ergòne falſa meæ affingam mendacia vitæ?
Me vulnus atrox innocentem ſauciat.
7 Ecquis in immenſo, qui continet omnia, mundo
Pravis Iobo ſit ſecundus moribus?
Qui ſcelerum innumeras inhianti gutture turmas,
Fraudumque, rivi limpidi inſtar ebibit:
8 Qui ſcelerum cœtus blandè comitatur, & omnes
Amore pravos intimo complectitur.
9 Dixit enim quiſquis Domini mandata revolvit,
Noctes dieſque diligenter cogitans,
Nil ſibi ſit fruſtrà crucians ſua pectora prodeſt,
Nec fructum arenam ſemiſando colliget.
10 Ergò agedum verbis aures intendite noſtris,
Queis perſpicacis eſt acumen ingeni:
Abſit ut Omnipotens ſceleri laxârit habenas!
Abſit nefanda ut patret auctor omnium!
11 Humanos meritâ penſat mercede labores,
Remuneratur & pios & impios.
12 Nulla patrocinio defendit crimina falſo,
Nec ille turpi affinis eſt injuriæ.
13 Ecquis perpetuis orbem regit alter habenis,
Mundi triformem temperatque machinam?
14 Si modò jam ſubitam terris inferre ruinam,
Auræque gratum auferre vult ſubelitum.

15 Omnia quæ vivunt, pecudes, volucreſque, feræque,
Immota fient protinus cadavera:
Totaque gens hominum vitâ fugiente per auras
Peribit, atrum mox reverſa in pulverem.
16 Tu modò, ſi ſapias, animo mea dicta reconde,
Gratâque voces aure cunctas imbibe.
17 An permiſſa ſibi retinacula juris haberet,
Qui jura legum injuſtus ipſe negligit?
An tua damnabit Dominum ſententia magnum,
Qui ſempiternis frenat orbem legibus?
18 Adſpice purpureos num lex regit ulla tyrannos?
Num bellicoſos lex coercet principes?
19 Quis furor iſte, (nefas!) quæ tanta inſania linguæ,
Deum deorum ut arguas, qui maximos
Nec reges reverenter habet, nec habere tenetur?
Qui nec potentes reſpicit, nec pauperes:
Nempe caſam tenuem, pariterque palatia regum
Superba dextrâ finxit ille Dædalâ.
20 Cernis, ut inſignes per plurima ſecula gentes
Una hora ſæpè vellicet radicitùs?
Cernis, ut eximios populos latèque potentes
Mors ſubita raptet? perque noctem luridam
Peſtis atrox, vel flamma ferox, tonitruque tremendum,
A ſtirpe totam diruat propaginem:
Divitiis licet ac numeroſo milite freti,
Nullum undiquaque pertimerent impetum.
21 Perficit hæc Deus, ille Deus, veſtigia vitæ
Qui noſtræ acuto contuetur lumine.
22 Nulla tegit pravos tellus, latebraſque miniſtrat,
Nec atra mortis umbra condit impios.
23 Nulli plura tamen juſto aut graviora ferendum eſt
Supplicia, culpam pœna ne tranſcenderet:
Ne Dominum rerum nutu qui cuncta gubernat
Injuriarum injurioſus arguat.
24 Faſtoſum tumidumque premit, frangitque rebellem,
Tranſmittit aliis illius potentiam.
25 Sæpè illis, tacitæ per opaca ſilentia lunæ,
Infert ruinam tale nil ſperantibus.
26 Sæpè etiam, ut roſeum ſol aureus extulit axem,
Exempla pœnæ horrenda præbet omnibus.
27 Nempe quod à Domino greſſus vertêre profani,
Pedeſque recta à ſemita deflexerant:

28 E

28 Et tenues preſsêre homines, inopeſque ſalutis,
Quorum querelas hauſit aure & lacrimas.
29 Quis turbare poteſt Domino faciente quietem?
At ſi tumultus concitabit bellicos,
Quis ſibi tranquillæ promiſerit otia pacis,
Vitamque curis liberam planè anxiis?
Seu furor in gentem latè graſſabitur omnem,
Seu fortè in unum ſe refundet verticem.
30 Hæc facit Omnipotens, regni ne frena gubernet,
Venena diro qui recondit pectore:
Ne regat imperium falſi ſimulator honeſti,
Ne plebs doloſis implicetur retibus.
31 Talibus implorâſſe Deum, mihi crede, deceret:
Jam jure pœnas, jure reddo debitas;
Non ego te vitiis poſt irritabo pudendis,
Severe Vindex & Pater blandiſſime!
32 Quæ lateant, oculis patefac ſcelera impia noſtris,
Ne fortè ſcopulis irruam latentibus.
33 Si tibi pro meritis merces numerata daretur,
Ut tu ore ſtulto ſæpè concupiveras;
Ille tibi merito penſaret facta flagello,
Seu ſponte ferres, ſeu coactus viribus:
Nunc vitam defende tuam, vitæque tenorem,
Et actiones ſingulatim ſingulas,
34 Jam videant, ſi quid noſtro pravum excidit ore,
Aures acuti, mente cordatâ, viri.
35 Nam ſine judicio blateravit plurima Jobus,
Obmurmuravit vanitates impias.
36 Ille mihi attentas utinam nunc præbeat aures,
Suæ tenorem dum loquelæ perſequor!
Rectum ego defendamque bonum, ſceleriſque pudendi
Defenſiones impias redarguam.
37 Namque ſcelus ſceleri cumulat, nec plaudere ceſſat,
Rerum parentem proſequens conviciis.

CAP. XXXV.

PErgit Elichus, reprehenſionem
Longè continuans gravem.
2 An tibi puræ eſt amor æquitatis,
Qui ſic dixeris: Æquitas

Noſtra præluſtri jubare æquitatem
Exſtinguit Patris optimi?
3 Hoc tuæ voces tacitè innuebant,
Cùm tu hæc murmura funderes:
Quid mihi prodeſt ſcelerum profundam
Evitâſſe voraginem?
Cur mihi mentem tenui manumque
Omni crimine liberam?
4 Ecce! reſponſum tibi jam tuiſque,
Reſponſum ſociis dabo.
5 Adſpicis claris radiata ſtellis
Cœlorum alta palatia?
Adſpicis celſas nebulas, propinquas
Campis ætheris igneis?
6 Si manum fœdo ſcelere inquinabis,
Æterno noceas Deo?
Sordibus ſi te maculas pudendis,
Id curare Deum putas?
7 Sive te contrà pietas juvabit,
Et mens & manus innocens:
Quam voluptatem ſibi commodumve
Hinc rerum Pater hauriet?
8 Si tibi virtus generoſa mentem
Exornaverit inclitam,
Sortis humanæ reparare poſſis
Cladem munificâ manu:
Sive ſqualebis vitiis abundans
Poſſis lædere homunculum.
9 Dira vis multos premit innocentes,
Hinc mœſtis ululatibus
Terra longinquo reſonat boatu,
Multis humida lacrimis.
10 Non tamen mœſtis Dominum querelis
Rerum ſollicitant Patrem,
Qui per obſcuram reſonare noctem
Nobis carmina ſufficit.
11 Qui dedit nobis animam ſagacem;
Subtilique ſcientiâ
Beſtias terræ ſuperare juſſit,
Pictarum & volucrum genus;
Quæ ſub expanſo volitant canopo,
Mulcentque aëra cantibus.

12 Erg

12 Ergò dum fundunt miſeras querelas,
Non rerum Dominum invocant;
Ut procul ſeſe trahat impotentes
A vi & fraude potentium.
13 Reſpuit ſurdâ Deus aure cunctos,
Quos vanus tumor elevat;
Quique ſe puros ſcelerum impiorum
Vano murmure jactitant.
14 Heu! Deus nullis oculis videtur,
Inquis pectore languido;
Sed tamen tandem Deus ille facta
Vindex puniet impia:
Debet hîc ergò fieri ſalutis
Spes, dum ſors gravis intonat.
15 Hîc tamen tu jam minimè reponis
Spem, dum ſors gravis intonat:
Ergò te ſævis agitat procellis,
Et merſum caput obruit:
Tu tamen curâ vacuus metuque,
Non portum hunc petis unicum;
Ut tibi laſſam ſtatuat carinam
Fluctu & flamine liberam.
16 Hinc fit ut vanas ſine mente voces
Vano murmure funderes;
Utque multorum ſtrepitum cieres
Verborum abſque ſcientia,

CAP. XXXVI.

DIxit hæc, dixiſſe verò non ſibi ſatisfacit,
Ni ſubinde oratione melleâ concluderet,
Ora docta ſic reſolvens inclitis ſermonibus.
2 Mentem & aures applicare quæſo ne mihi abnuas,
3 Te docenti, Quanta rerum conditor miracula
Patret orbe in univerſo, nil patrans injuriæ.
4 Namque falſis veritatem vocibus non obruam:
Nempe linguam ad te loquentem ſpiritu ipſe dirigit;
Ipſe, cujus ampla metas reſpuit ſcientia.
5 Ecce! ſummus rector orbis flocci habebit neminem,
Quamlibet ſit ille magnus incluſque, quamlibet
Mente polleat ſagaci, præpotenti dexterâ.

6 Non

6 Non tuetur improbos in arduo diſcrimine,
Sed furoribus potentis impotentem ſubtrahit.
7 A bonorum greſſibus non flectit orbes luminum;
Ille reges purpuratos inter illos collocat,
Et thronum dat occupare gemmâ & auro ſplendidum,
Et manu ſceptrum tenere, regna firmans undique,
Tuta ab omnibus periclis ſeculorum in ſecula.
8 Si dolore affligit ullos vinculis coërcitos,
Crura ferreâ retentos circumactâ compede:
9 Tunc aperta pandit illis criminum contagia,
Mens quibus manuſque ab omni parte ſqualet obſita.
10 Utque greſſum ſanctitatis dirigant ad tramitem
Admonet, procul fugatis impiis erroribus.
11 Si libenter admonenti commodant aures Deo,
Tota vita tranſigetur læta curis libera,
Et tenore ſempiterno tota curret ſuaviter.
12 Si tamen tot undiquaque cladibus perterriti
Contumaces eſſe perſtent, mox profundent ſpiritum
Enſe pectus perforati, nec reperient exitum,
Arte callidâ catiſque machinati fraudibus.
13 Nam dolos quicumque fuco ſanctitatis oblinunt,
Fervidum Dei furorem provocant; at vinculis
Cùm dolorum circumacti complicantur fervidis,
Neſciunt clamare Regem Cœlitum ejulatibus.
14 Ergò mortui recumbent in juventæ limine,
Cùm juventam turpibus contaminârint ſordibus:
Quæque velo impuritatem puritatis texerat
Inter impuras manebit umbra torta Erinnyas.
15 Pauperem in rebus vocantem liberabit aſperis,
Et benignam advertet aurem rector orbis optimus.
16 Is tibi, ſi tu vocares, liberato anguſtiis
Latum iter mox panderet procul arduis angaſtiis:
Is tibi menſam tapetis fulgidam nitentibus,
Splendidè ſtructam repleret ferculis lautiſſimis.
17 Tu piarum juſta legum juſſa cum contemſeris,
Nonne meritò jam flagellat te ſeverus arbiter?
18 Dum furoris jam tremendi fervet atrox impetus,
Supplica rerum Parenti voce lamentabili;
Namque merces nulla mortis liberabit faucibus:
19 Scilicet corrupta nummis atque gazis aureis
Te remittet? aut tuorum bellicoſas militum
Copias videns minacem mors recendet cuſpidem?

20 Ne

5 Ne tenebras esse tegmen crede factis impiis:
Nam tenebris falce multos dissecat mors aspera.
11 Ne libenter vanitates impias amplectere:
Has probâsti, at æquitatem non probâsti vindicem.
12 Ecce! cunctos rector orbis præpotenti dextrâ
Vincit, admiranda nobis exhibens miracula:
Ecquis orbe in universo protulit mysteria
Tam profunda, mentibusque prodidit mortalium?
13 Ecquis huic vivendi ab ævo regulas præscripserit?
Ecquis exprobrârit illi perpetrata nequiter?
14 Illius miranda facta mente tecum cogita,
Ore lauda, debitisque prædica præconiis.
15 Illius miranda facta tota gens mortalium,
Quippe magna, quippe clara, quippe ocellis obvia,
Intuentur; tota gens ab orbis oris ultimis
Intuentur, & stupore stant ligati marcido.
16 Scilicet divina nescit terminum potentia:
Mentis aciem obnubilatam protinus præstinxerit,
Se videre si labores irritos contenderet:
Ecquis illum comprehendit? ejus ampla antiquitas
Obvoluta æternitate latitat inscrutabilis.
17 Namque nubila in liquentes scindit undæ gemmulas,
Quas anheli pro vaporis densitate fumea
18 Scissa fundunt, verticesque transeuntes verberant.
19 Fulminis quis comprehendat ruptionem è nubibus,
Et sonora fulminis raucâm strepentis murmura?
20 Fulgurum splendore pellit nubium caliginem:
Fulgurum splendore latè lustrat æquor vitreum:
Fluctus ut flammæ videri possit esse pabulum
Mox futurum, ni deorum Rex retundat impetum
Ignis huc illuc vagantis lege non coërciti.
21 Sic profectò rector orbis hos dolore debito
Plectit, alteros amore amplectitur carissimo,
Larga frugum subministrans fructuumque munera.
22 Sæpè nubes ille cœlo luridas subtexit, &
Lampadem cœlum coruscо permeantem lumine,
Nubium inductis recondit undiquaque umbraculis:
23 Quarum ut alvus igne fœta fervido dirumpitur,
Intonans vasto fragore, nos tremore concutit,
Et greges per arva sparsos fulminum ictu percutit.

CAP.

CAP. XXXVII.

Hic corda trepido palpitant nobis metu;
Et comminantur transilire pectora.
2 Adeste, vocem audite Patris optimi:
Vocem, sonoro quam profundit murmure:
3 Per vasta cœli spatia convexi, Deo
Emissa, ruptis nubium repagulis,
Sinuosa flammæ currítant volumina,
Et orbis oras territant longissimas.
4 Dei per orbem vox deinde personat
Tonitru tremendo, quo polus dirumpitur,
Quo terra vasta quatitur, & vitreum salum:
Latèque rerum conditor plenâ manu
Globos refundit fulminum rotatiles.
5 Dei per orbem vox tremenda ut personat
Fragore rauco fulminum crepantium,
Splendore claro fulgurum micantium,
Aures & oculos occupat cunctos stupor:
Miranda Dominus perpetrat, quæ lumine
Mens nostra lippo non valebit assequi.
6 Nix cana molli vestit agros vellere,
Illo jubente & pluvia cœlo devenit,
Nunc parca tenui & tarda manans guttulâ,
Et nunc profusis verberans tecta imbribus.
7 Humana tunc gens tota se confert domum,
Foresque claudit, docta variis artibus,
Ut omnis unum noscat artificem Deum.
8 Tunc & ferarum tota gens silvestrium
Antri in recessus corripit gradum intimos,
Et clausa cæcis in cavernis delitet.
9 Auster feroci sibilat cum murmure,
Gyroque stipulam flectit assiduo levem:
At membra Boreas stringit acri frigore.
10 Ab ore summi spirat aura numinis,
Brumæ rigorem quæ reducit asperum,
Et cuncta pigro stagna connectit gelu.
11 Nebulas aquosas depluendo diluit,
Et fulgurantes dissipat nubeculas.
12 Utrasque verò temperat rerum Parens

Sic.

Sic, ut per orbem quidquid ille jusserit,
Peragant in omnes nationes undique,
Quaſcumque clarâ percutit ſol cuſpide:
Sive in catervas ſpargat ignes impias,
Seu ſicca lætis arva inundet imbribus,
Seu ſigna amici det favoris, ſplendida
Vel his vel illis exhibens miracula.
Huc ergò, Jobe! intende mentis lumina;
Hîc ſta, Deique facta miranda adſpice.
Noſtine tempus, quo Creator omnium
Sedem univerſis deſtinârit nubibus?
Illaſque claro purpurârit lumine?
Illaſque curvum in fornicem ſuſpenderit?
Noſtine facta, quæ per orbis ultimas
Oras potenti perpetravit dexterâ
Rex ille, nutu cuncta qui regit ſuo?
Aut membra veſtis ut refota recreet
Tepore blando veris adventu novi:
Aurâ comantes vix movente fraxinos?
Tune huic ſodalis ſiderum palatia
Convexa latis brachiis diſtenderas,
Quæ firma ſemper permanent reddentia
Vitri colorem fuſilis chriſtallinum?
Ecquis loquendi formulam monſtraverit
Deo? loquendi formulam non cernimus,
Obſeſſa tantâ eſt noſtra mens caligine:
Aut ecquis illi me loqui indicaverit?
Nam ſiquis illum cœperit modò alloqui,
Certè ille mox miraculorum millium
Vaſto voratus æquore abſorbebitur.
Nunc, ecce! fuſcat ſqualidas fumi vapor
Nubes, anhelis profluens ex ignibus,
Maſsâque terræ, & æſtuoſo ex æquore:
At has ſerenat ventus, & velocibus
Pennis nigrantem diſſipat caliginem.
Jucunda ſeptem emiſſa de trionibus
Exhalat aura, ſpiritu & leni fluens
Cœlum benignâ mitigat clementiâ.
O quàm verendus eſt Creator omnium
Decore ſummo, dignitate, robore!
O perſpicaci mentis illum lumine
Quis intueri ſuſtinet! quem fulgida

Radiis adornat aureis potentia, &
Severitate temperata lenitas:
Qui nempe plectit neminem æquo durior.
24 Ergò univerſus orbis illum diligit,
Illum veretur, illum adorat unicè:
Non ille doctos more noſtro amplectitur
Viros, acutâ præditos prudentiâ;
Ut quem piorum ſola tangat gratia.

CAP. XXXVIII.

TUnc Pater omnipotens ſermone ſilentia rupit
Protinus, in medio reſonanti murmure nimbo:
2 Quis jam conſiliis tenebras obtendere rectis
Nititur? Inſanaſque terit ſine fine querelas?
3 Eja age! ſi quid ineſt animi tibi, fortiter enſem
Cinge humeros audax, pariterque petamus arenam:
Jam mihi, ſi poſſis, referas reſponſa roganti.
4 Quis locus, aut quæ te ſedes antiqua tenebat,
Cùm certo ſtabilita loco fundamina terræ
Diſpoſui, ſedemque dedi mortalibus unam,
Dic mihi, ſi rerum tibi tanta ſcientia conſtat?
5 Quis vaſtum ſpatiis numerorum incluſerat orbem?
Dic, age! ſi nôris, exporrectâque rotundæ
Diametro dimenſus erat latera ardua terræ?
6 Quâ primùm ſtabilita manu tam immobilis hæſit?
Quemve putas primas ejus fundâſſe columnas?
7 Cùm lætis tremuêre ſonis templa aurea cœli,
Angelico teſtante choro ſua gaudia cantu,
Qui fulgent nitidis velut aſtra micantia flammis.
8 Quis vaſti oceani ſedavit molibus iras,
Cùm celeri lymphata gradu levis unda cucurrit,
E gremio terræ velut alvo egreſſa parentis?
9 Tunc nebulis undam cæcâ caligine miſtis
Veſtivi, & piceis glomeravi hinc inde tenebris.
10 Tunc vaſti oceani tenui vaga flumina clauſtris,
11 Præcipiti ſpatiata gradu. Sic ora reſolvens,
Hîc furias mulcebo tuas: hîc ſiſte ruentem,
Ulterius ne tende rotam, ne currere pergas
Amplius, herbiferoſque undis ne involvito campos.
12 An Titan, radiis inſignis vertice claris,

T

Te ſupplex humiliſque eſt deveneratus ab illo
Tempore, quo fragiles rexit tibi ſpiritus artus
Inſiſtens ſtatione ſuâ? ſedemque dediſti,
Unde citò emergens abigat fulgore coruſco
13 Purpureas aurora faces? Et manè recenti
Dirigat in cunctas radiorum ſpicula terras,
Quas hominum gens ulla tenet: ne ſcilicet auſit
Conſcelerare manus injuſtâ cæde furentes
Turba, ſed in tacitas ruat ut ſcelerata latebras.
14 Tunc diverſam orbis facies diverſa figuram
Induit, & propriam capiunt ſibi ſingula formam,
Ut figuli arbitrio varios vas fictile vultus
Accipit, aut varios veſtis mentita colores.
15 Ergò ſimul roſeam ſparſit fax aurea lucem,
Impia turba latet, cæcis incluſa cavernis,
Demiſſoque fugit pudibunda ſuperbia vultu.
16 An pede triviſti tumidi vada vitrea ponti?
Spumeaque intrepidis penetrâſti in marmora plantis?
17 An latè patefacta tibi eſt fera regia mortis?
Hauſiſtique tuis oculis quodcumque repoſtum
Terra ſinu tenuit, Stygiiſque admoverat umbris?
18 An tu porrectâ terræ ſuper omnia normâ
Jugera menſus eras ſub utroque jacentia Phœbo,
Dic mihi, ſi rerum tibi tanta ſcientia conſtat?
19 Dic ubi lux habitet? vel nox ubi ſidera condat?
20 Quaſque vias illis dederis calcare per ævum,
Ut fugiant abigantque iterum ſe paſſibus æquis,
Atque domos linquant proprias, repetantque viciſſim?
21 Hæc ideò tibi nota patent, quia ſcilicet olim
Enixa eſt utero genitrix te tempore in illo?
Vel quia longævam tetigit tua vita ſenectam?
22 An cæci patuêre loci, patuêre receſſus,
Unde ille ætherei magnus Regnator Olympi
Mittit hyperboreas cum grandinis imbre pruinas?
23 Quas, velut ex aliqua ſubitò prolata pharetra
Spicula, turbatos paſſim jaculatur in hoſtes,
Bella ciens, rabidaſque ciens ad bella procellas.
24 Quomodò fulmineæ ſinuoſa volumina flammæ,
Et tonitru horrendum rapidos citò diſſipat Auſtros
Prorſus, ut omniparam circumflent turbine terram?
25 Quis regit aërias animo prudente canales,
Ut rapiant, ſiſtantque gradum? dextrâque feroci

Undique flammiferas ſpargit per inane ſagittas?
26 Ut nubes, pluviis alvo tumefacta caducis,
Fulmineo diſrupta globo, deſerta ferarum
Irriget, & ſteriles foveat ſine ſemine campos?
27 Ut deſolatas faciat revireſcere terras?
Ut ruptâ tellure in luminis exſerat auras
Herba comam viridem, ſurgenſque è viſcere terræ
Quercus in aërios tollat ſua brachia campos?
28 Quem ſibi de nebulis fuſus levis imber aquoſis,
Quemve patrem agnoſcit ſibi ros? qui lapſus ab alto
Manè novo tenui veſtit dumeta liquore,
Prataque flumineis pingit viridantia gemmis?
29 Ex utero cujus glacies venit horrida matris?
Ecquis erat liquidis genitor genitrixve pruinis?
30 Bruma rigens, ſeſe inſinuans per ſtagna lacuſque,
Sternit aquas, ſternit fluvioſque amneſque rapaces:
Unda gelu conſtricta jacet; vaga murmura ſiſtit
Lympha in marmoreum ſenſim durata rigorem.
31 Tune novi veris, roſeos cùm ſpargit odores,
Temperiem turbare potes, blandamque quietem
Imbribus & pluviis, rapidique ululatibus Auſtri?
32 Tune potes glaciem lento torpore ligatam
Solvere? perque vices, cùm tempora commoda poſcunt
Vitibus autumnum decorare, & frugibus æſtum?
33 Totane ſiderei regio pulcerrima cœli
Et nutus geſtuſque tuos obſervat acuto?
34 Lumine ſe ſolvens prægnans ex tempore nubes
Imperio ſubjecta tuo, quocumque vocâris,
35 Fundit aquas liquidas? Et fulmina rauca fragore
Horrifico trepidam quatiunt crepitantia terram?
36 Unde hominum mentes rerum prudentia velox
Incolit? unde animo pectus mortale ſagaci
Imbuit? & ſedem elegit ſine fine tenendam?
37 Quis poterit numero nubes comprendere certo?
Quis liquidas ſuſpendit aquas ſuper ardua terræ?
38 Aëre libratas vacuo, dum gleba rigeſcat
Putris, & in ſolidam coaleſcant jugera maſſam?
39 Tune voles (ſin fortè voles, tibi robora conſtant?)
Prædam alacri captare manu, & donare leoni
Deglutire gulâ ingenti, ſobolique leonis
40 Horrifici, dum ſe latitantes rupe cavatâ
Abſcondant; ſi præda ſubit, lacerare parati

Unguis

Unguibus, & rabidum meſſare in corpore roſtrum?
41 Quis dapibus largis corvo jejunia ſolvit,
Cum tenero fœtu dum totum immurmurat agmen,
Dum crocitat, mœſtiſque replet juga nota querelis?

CAP. XXXIX.

AN tibi quo pariant capreæ, quo tempore cervæ,
Quemq; modum obſervent, nullo cum fine, ſub una
Lege per immumeris redeuntia ſecula ſeclis,
2 Pro certo patet? Atque animo prudente notâri,
Ambiguos quoties renovet ſibi menſtrua vultus,
Luna abiens, rediens, turgentia pondera donec
Ventre ferunt, gravido tumefactæ viſcera fœtu?
Quâque die primas mittant in luminis auras?
3 Cùm ſeſe incipiunt curvum deflectere in arcum,
Enixæ teneros magno molimine natos,
Pondere duro uteram, & nimiâ gravitate tremantem,
Solvunt, & veteres redeunt in corpora vires.
4 Illarum ſoboles viridem per membra vigorem
Accipiens, tumidas avido bibit ore papillas:
Dens ubi jam crevit ſegetes demittit in alvum;
Aſt ubi jam juvenes ætas adolevit in annos,
Aufugiens patremque ſimul matremque relinquens,
Non iterum reditura, ſuam, loca ſola pererrat.
5 Ecquem, cùm vaſti tot agantur ſecula mundi,
Fama virum tulit, aut viſum teſtatur oceſſus,
Qui ſibi compedibus jactat vincliſque ſolutum
Eſſe onagrum, aut trepido excuſſit juga triſtia collo?
6 Deſertos amat ille locos virideſque receſſus:
7 Non populos urbeſque colit, fumoſaque tecta:
Non pavet indomitas rigidi rectoris habenas,
Infremitus non ille pavet, ſtrepitumque flagelli.
8 Per montes ſcopuloſque & ſaxa impervia vobis
Paſcitur, & tenera ſaliens exſultat in herba.
9 An fera, quæ in medio cornu mirabile vultu
Geſtat, & huc illuc temeraria currit in herbis,
Se tibi ſubjiciet, ſtabuloque obſcura manebit?
10 Servilique tuum collo ſuſpendet aratrum
Conſtanter, ferroque tuum fulcabit agellum?
11 Scilicet hunc operis fidum tibi fortè miniſtrum

Dum cœlum terraſque alto clamore fatigant.
26 An movet accipiter pennas te auctore volucres,
Qui cùm prædæ inhiat, celeri ſecat aëra gyro,
27 Turbine ſe ambiguo volvens? Aquilæque propago
Imperiis inſtructa tuis petit aſtra volatu?
Atque altum meditatur iter ſecura? ſecatque
28 Aërias ſuſpenſa vias? & nubila ſcandit,
Pennato ſubvecta gradu? Nidoſque tenellos,
Per montes ſcopuloſque & ſaxa impervia vobis,
29 Securos ſtatuit? Prædam deſpectat ab alto,
Atque oculis latè circumſpicit undique claris:
Siqua venit ſequitur prædam, & ſubitò terit uncis
Unguibus, & teneros enutrit ſanguine pullos.
30 Cruda autem gelidæ quàcumque cadavera terræ
Lapſa jacent, huc huc oculos intende; videbis
Sanguineam tepido carnem divellere roſtro.

CAP. XL.

DEinde autem Omnipotens ſic ora in verba reſolvit,
Poſt intermiſſæ non longa ſilentia linguæ.
2 An ſiquis Domino tentat committere pugnam,
Vincere ſe ſperet, clarumque auferre tropæum?
Quin modò ſi, clarâ rationis lampade fretus,
Mecum de dubia cupias contendere cauſſa,
Mecum, age! contendas, tibi reſpondere parato.
3 Ergò humilis tenui cum murmure vocis Iobus
Sic rerum lacrimis Genitorem affatur obortis:
4 Quid tibi jam referam? Labris verba impia claudam
5 Impoſitâ, Pater alme! manu. Semel improba fudit,
Bis ſtolidos mea lingua ſonos: non tendere pergam
Ulteriùs, curſumque meo jam ſiſto furori.
6 Tunc Pater omnipotens ſermone ſilentia rupit
Protinus, in medio reſonanti murmure nimbo.
7 Eja age! ſiquid ineſt animi tibi, fortiter enſem
Cinge humeros audax, pariterque petamus arenam,
Jam mihi, ſi poſſis, referas reſponſa roganti.
8 Ergòne tu penitus mea jura evertere ſancta,
Juſtitiamque abolere meam conabere pernix,
Ne tibi laus pereat vitæ ſine labe peractæ?
9 Eſtne tibi validæ tam vaſta potentia dextræ?

An tu fiderei facis aurea mœnia cœli
Fulmineis trepidare globis, tonitruque tremendo?
10 Nunc, age! divini te majeſtate decoris
Induc, & eximiæ præſtans te gloria formæ
Nunc radiis hinc inde ſuis exornet amictum.
11 Nunc furias diffunde tuas paſſim, undique vanos
Elati faſtus oculi preme, ſterne ſuperbos,
12 Sterne viros, ſtratoſque in humum pede tunde cruento.
13 Illos coge ſuos maculoſo pulvere vultus,
Et nitidas fœdare comas, altiſque latere
In tenebris, miſerum teſtante rubore pudorem.
14 Hæc fac: jure tibi palmam debere fatebor,
Dignaque magnificæ referam præconia dextræ.
15 En! intende oculos, Elephantum, en! adſpice magnum:
Non veſtrâ regione procul per inhoſpita ſaxa
Ambulat, & virides deveſtit gramine campos,
Haud ſecus ac placidi qui tondent prata juvenci.
16 En! lumbos mediumque uteri vis prima vigorque
Occupat amplexu, & reliquos hinc tranſit in artus,
Inſinuatque alacrem per cætera membra vigorem:
17 Huc illuc agitat caudam poſt terga decoram,
More cedri, Zephyrus cui brachia quaſſit anhelus:
Firma catenati circumdant inguina nervi.
18 Oſſa ligat compago tenax: oſſa horrida (tanto
Robore ſunt) ſolido ſimulant clauſtra invia ferro,
Quæque arctant rigidas ærata repagula portas.
19 Ille feras inter reliquas latebroſa colentes
Antra ſedet princeps: illum Deus illius auctor
Armatum inſtruxit gladio ceu dente feroci.
20 Ille inter montes viridanti gramine pictos
Paſcitur, innumerâ medium cingente catervâ,
Quæ varias ducunt inter loca ſola choreas.
21 Membra ſub umbroſis feſſus languentia ſilvis
Sternit, & in mediis tectus latet undique cannis.
22 Et juvat umbriferas inter recubare cupreſſos,
Et ſalices, ubi murmur aquæ crepitante lapillo
Perſonat, æſtiferi ferventia brachia cancri
Arboreis fugat ille comis, & frigora captat.
23 Ebibit ingentem haud magno molimine rivum,
Jordanis fluvium longè latèque vagantem
Excipere immenſo ſtomachi putat ille barathro,
Ora ſimul referat, vaſtoque attollit hiatu.

24 Sic

24 Sic avidis ruit ille oculis, vultuque capaci:
Fruſtrà illi inſidias, fruſtrà venabula ſternas,
Inſidias duroque terit venabula naſo.

CAP. XLI.

TUne potes calamo ſalientem ducere parvo,
In liquidis *Leviathan aquis dum incautus oberrat,
Aut fune arreptâ trahere in tua retia linguâ?
2 Tune potes naſum, fauceſque utrimque cruentas,
Aut ſtimulo ſpinæ aut ferro penetrare recurvo?
3 An ſupplex tibi verba dabit? tibi ſupplice geſtu
Procumbet? placidoque adſternet corpora vultu?
4 An tibi gaudebit placidum componere fœdus,
Imperio parere tuo ſine fine paratus?
5 An tibi materiam lusûs dabit ille jocique,
Inſtar avis captæ, atque anguſto in carcere clauſæ,
Quæ ſolita eſt blandis aures mulcere querelis?
Aut erit ancillis ferratâ compede vinctus,
Vel flammis toſtus lentis, vel forſan aheno
Coctus, ut appoſitis hilaret convivia menſis?
6 Aut, dum ſe mediis volvens ſinuatur in undis,
Correptus, naviſque ingenti incluſus in alvo,
Per vaga diverſas junget commercia gentes?
7 Quæ poterunt unco penetrare haſtilia ferro
8 Squamigerum caput atque cutim? Nunc illius ergò
Formam animo tecum reputa, victuſque recede:
Neve iterum furiis miſerum caput objice noſtris.
9 Ecquâ vir regione latet, quem continet orbis,
Quin velut immotum jaceat mutumque cadaver,
Hoc viſo, tremuloſque horror citus occupet artus?
10 Nemo adeò ferus eſt, adeò qui robore fidat,
Ut velit huic vaſto membris & robore monſtro
Conſeruiſſe manus: ergò quis vivus in orbe
Mecum ſanguineas auſit committere pugnas?
11 Quis me muneribus largis cumulavit amicus,
Ut ſibi amicitiæ penſarem munera largæ?
Nam pelagus quodcumque parit, vel terra, vel æther,
In gremio fœcunda ſuo, mihi vendico totum.

* *Vel Crocodilum.*

12 Parva loquor: quin aure mihi fervere memento,
Atque intende animum: referam majora relatis:
Cur pulcram taceo formam, nitidamque figuram?
Cur taceo immenſas immenſo in corpore vires?
13 Ecquis onus lato incipiens ſuperaddere dorſo,
Sicut equo facitis portanda ad pondera nato,
Stragula compoſuit latum velantia dorſum?
14 Quis dentes referare poteſt ceu clave lupato,
Quorum utrumque latus junctis amplexibus hæret?
Stat, geminas rigido valvas imitata metallo?
Quàm formidandâ dentes habet ille figurâ,
Qui ſic terribilem ſpiræ ſinuantur in orbem!
15 Squameus eſt partes à vertice totus ad imas;
Squamis haud aliter jactat, quàm veſte decorâ
Gemmarum ac auri flammis radiante, catenâ
Perpetuâ connexa ſibi compago ligatur
Squamea, ceu tabulæ cerâ junguntur acernæ.
16 Nec tenues penetrare poteſt has ſpiritus auræ:
17 Uſque adeò quod tangit idem eſt. Sic altera ſemper
Alterutram complexa tenet: non ullus in orbe
Vivit, qui medium potis eſt diſcindere nexum.
18 Et pulſat raucis cum ſternutatibus auras,
Luce novâ expellit tenebras: te prævia lucis
Perſpicuis aurora oculis ſimulare videtur.
19 Ardentem flammam ſcintillaſque evomit ignis:
20 Ore ſuo egreditur geminis è naribus halans
Fumus, ut è calido quod concitat ignis aheno.
21 Igniferas paſſim jaculatur ab ore favillas
Spiritus, & quodcumque rapit populabile flamma.
22 Perſtat in indomito robur non flexile collo,
Et procul anxiferos animo fugat ille dolores,
Semper in horriſonis gaudens reſilire procellis.
23 Robore membra ſibi conſtant ingentia, membra
24 Firma manent, immota manent: Cordiſque rigori
Saxa vel æquorei cedunt horrentia ponti,
Et lapidem exſuperant præcordia dura molarem.
25 Cùm caput horrendum, vultuſque, oculoſque feroces,
In liquidis attollit aquis, ſeſeque videndum
Exhibet, extemplò validorum membra virorum
Frigore ſolvuntur, gelidos pavor alligat artus:
Ac, trepido quatiente metu, purgare peractæ
Effuſis precibus tentant ſcelera impia vitæ.

26 Si gladius fortaſſe ferox, ſi miſſile ferrum,
Sive haſta illiſa eſt, validos cute rejicit ictus,
Quæ ſecura manet ſquamâ clypeata rigenti.
27 Arma vocat ſtipulam ferro crepitantia denſam,
Quam levis aura vehit: fabricata ex ære rigenti
Arma vocat, ligni, carioſæ dente ſenectæ
Relliquias, vel dente tuo, fera blatta! peteſi.
28 Ille, velut ſtipulas ſuper arva aurata caducas
Lædere quæ ignorant, baleāris verbera fundæ
Spernit, & emiſſas nervo ſtridente ſagittas.
29 Ille, velut paleas agitatas flamine venti,
Ridet tela ſibi paſſim volitantia, ridet
Siquis adeſt validâ vibrans haſtilia dextrâ.
30 Æquoreas inter cautes, atque aſpera ſaxa,
Membra ſuper bibulas ſternit defeſſus arenas.
31 Cùm leviter tumido ſinuatur in æquore, cogit
Spumiferum fervere ſalum: ſic torquet aheneum
Ignis odoriferos agitans ardore liquores:
Sic quoque anhelanti fervens ſalit olla camino.
32 Cùm vitreos tranare lacus libet, omnia longo
Tramite preſſa tenet: ſummus veſtigia fluctus
Omnia preſſa tenet, ſpumantia marmora canis
Crediderīs ſqualere comis, torpere ſenectâ.
33 Ecce! per omniparam latè circumſpice terram;
Non illi ſimilem peperit, non terra ſecundum:
Impavidus, liberque metu, trepidoque timore,
Nullo umquam anxiferis agitatur tempore curis.
34 Ille oculi faſtus tumidi premit, ille ſuperbos
Calcat, & in ſolio princeps ſedet ipſe ſuperbo,
Vibrans magnifico ſceptrum regale lacerto.

CAP. XLII.

ERgò humilis tenui cum murmure vocis Iobus
Sic Divûm lacrimis Genitorem affatur obortis:
2 Jam vires, Pater alme! tuæ, tua robora nobis
Conſtant, & validæ veneranda potentia dextræ:
Jamque oculi non prendo tui, ſed miror, acumen,
Qui potes arcanos animi penetrare receſſus.
3 Quis jam conſiliis tenebras obtendere rectis
Nititur? Inſanaſque terit ſine fine querelas?

Scilicet enixa eſt mea vox recludere multa,
Multa oculis penitus penituſque impervia noſtris,
Cùmque Dei æterni miracula pandere vellem,
Obruta Cimmeriis jacuit mens noſtra tenebris:
Nempe quod eximius decor, inſuperabile numen,
Gloria, majeſtas, ſplendor Rectoris Olympi,
Præſtinxere aciem radianti lumine noſtram.
4 Da mihi te facilem, & verbis bonus annue noſtris:
Jam mihi, ſed placidus, referas reſponſa roganti.
5 Antè quidem noſtras abiit veneranda per aures
Fama tui, ſed nunc oculis te conſpicor ipſis.
6 Jure igitur palmas, oculoſque ad ſidera tollens,
Pulvereos inter cineres, te poplite flexo,
Oro miſer lacrimis veniam, Pater alme! profuſis.
7 Jam Deus omnipotens poſtquam ſic ora recluſit,
Subſtitit hîc, & mox Eliphazum his vocibus orſus
Aggreditur: nunc me meritò furor incitat atrox:
Non etenim, ut par eſt, noſtro de numine, nec tu,
Nec ſocii dixêre tui, ſed inania verbis
Fundere magnificis nullos ſtuduiſtis in uſus:
Longè aliter famulus me concelebravit Iobus.
8 Ergò viros ovium ſeptem, totidemque juvencos,
Criminis horrendi captate * piacula: poſthæc
Ad famulum properate meum (mora ſegnis abeſto)
Protinus, & rapidis adolete altaria flammis:
Ille animo intenſo, madidis me vultibus orans,
Voce ſuâ, manibus, volitabit ad aſtra, ſupinis:
Illum ego reſpiciam: jam ne mea ſpernite dicta:
Surgite, ne meritas referant ſcelera impia pœnas:
Non etenim, ut par eſt, noſtro de numine, nec tu,
Nec ſocii dixêre tui, ſed inania verbis
Fundere magnificis nullum ſtuduiſtis in uſum:
Longè aliter famulus me concelebravit Iobus.
9 Protinus, en! properant, Eliphazus gente Temanus,
Et Suchitarum Bildadus origine natus,
Atque Namathites Zopharus, Dominique repentè
Juſſa alacres peragunt, & ſanctum numen adorant.
10 Ergò ſuum famulum facilis reſpexit Iobum,
Et ſubitò curis animumque & corpora morbis

Solvit

* *Piacula ſcilicet typica & Chriſti præfigurativa, non ſolus Chriſtus eſt verum peccati piaculum.*

Solvit, amicorum poſtquam prece ſupplice culpam
Eluit, & duplices illi cumulavit honores
Omnipotens, &. quidquid opum poſſederat antè
Conduplicat, magnoque redit cùm fœnore nummus.
1 Tum conſanguinei, fratres, blandæque ſorores,
Conveniunt, & quiſquis eum cognoverat antè,
Junctus amicitiæ ſociali fœdere longæ,
Atque hilares poſitis celebrant convivia menſis:
Deinde ſavent linguis, conſolanturque ruinas
Non exſpectatas, exhortanturque videre
Fortunam, caſuſque ſuos jam in proſpera verſos:
Quiſque dat argenti munus ſpectabile, gemmam
Quiſque dat auratam, extrema quæ pendet ab aure.
12 Uſque adeo omnipotens hominum Pater ultima vitæ
Rettulit in melius: fato meliore beavit
Summos ille dies, quàm cùm juvenilibus annis
Floruit, eximiâ comitum cingente coronâ:
Namque habuit pecudum, campi quæ gramina tondent
Ad fluvios ſalientis aquæ, bis millia ſeptem,
Atque camelorum quoque bis tria robuſtorum
Millia, millenas aſinino è ſemine matres,
Ac totidem validos juga laſſavêre juvencos.
13 Et pulcros genuit viridanti robore natos
Septem, tres numero formâ præſtante puellas.
14 Maxima quæ natu eſt patri ſemima, ſed illa
Quæ medio generata loco eſt, dicenda videtur:
Kezia, diverſum Kerenhappuca nomen habebat
15 Tertia. Non illis ulla eſt prælata puellis,
Quà Titan radiis oriens effulſit Eois:
Has pater heredes fieri cum fratribus æquas
Juſſit, & æqualem patrimonî aſſumere ſortem.
16 Poſthæc, centenos implevit ſuaviter annos
Lætus, & octavum trepidavit claudere luſtrum:
Jamque ſuis oculis natos, jamque ille nepotes,
Progeniemque nepotum, & qui naſcuntur ab illis,
17 Cara ſuæ ſobolis ſpectavit pignora. Tandem,
Corpore defeſſo tremulæ languore ſenectæ,
Spiritus in tenues evanidus exiit auras.

FINIS.

Ad

Ad amicum ſuum amantiſſimum,

D. *Gulielmum Leach,*

Bibliographum Anglum,

Cujus operâ multum adjutus eſt in hoc libello imprimendo, cuique multis nominibus magnam debet gratitudinem;

Decaſtichon Euchariſticon.

GRatia quanta tibi referenda eſt, dulcis amice!
Gratia ſi meritis redditur æqua tuis:
Tu miſero flenti, & dura ſub mole gementi,
Das dextram, atque opibus conſilioque juvas.
Quod conſanguinei nobis, quodque eſſe ſodales,
Quod ſoror aut frater noluit, unus eras.
Unus in adverſis prohibes ſuccumbere rebus,
Et laceræ unus eras anchora firma rati.
Digna tibi meritis utinam det præmia tantis,
Ille oculis juſtis qui pia facta videt!

Sic precatur

GULIELMUS HOGÆUS.

SATYRA SACRA,

SIVE

PARAPHRASIS

IN

ECCLESIASTEN

POETICA:

Auctore GULIELMO HOGÆO.

CAP. I.

HÆc tibi, poſteritas ſeclis oritura futuris!
Hæc relegenda tibi pulcerrima ſcripta reliquit
Jeſſiadæ genitus ſublimi ſanguine vates,
Admonitor prudens animo, rerumque peritus,
Iſacidis qui jura dabat diademate cinctus,
Sceptraque magnifico tenuit Solymæa lacerto.
2 O curas hominum! O quantum eſt in rebus inane!
Nil vanum niſi mundus habet, nil præter inane:
Hoc pius admonitor, divino numine plenus,
Stigmate cuncta notat radianti ſubdita Phœbo.
3 Huc ades, huc aures avidamque advertito mentem,
Quicumque es poſiti ſub ſolis lumine mundi

Incola!

Incola! qui carpis perituræ gaudia vitæ:
Quid juvat innumeros toties ſubiiſſe labores?
4 En! hominum, en! etiam pecudum, pariterq; volantûm,
Secula perpetuis abeunt redeuntia ſeclis:
Sed quæ dat propriam cunctis animalibus eſcam
Firma manet tellus, longoque immobilis ævo.
5 Sol radiis illuſtre caput fulgentibus auro
Cum manè æquoreis emergens exſerit undis
Progreditur, puroque accenſam lumine flammam
Ducit ad occiduas conſtanti tramite metas:
Tum rapidum oceani rubro lavit æquore currum,
Et noſtro adverſum radiis illuminat orbem,
Eoique iterum rediens ſtat margine cœli.
6 Interdum in tepidos ventus deflectitur Auſtros,
Interdum in Scythici glacialia frigora ponti
Vertit iter; curſuſque alios, alioſque recurſus,
Integrat aſſiduo ſua per veſtigia gyro.
7 Omnia prona ruant licet in mare flumina vaſtum,
Non ſatiatur aquis marmor revolubile, poſtquam
Unde ortus habuêre ſuos huc verſa recurrunt,
In gremiumque ſuæ ſeſe effudêre parentis.
8 Denique quidquid habet dives circumſpice mundus,
Omnia preſſa ſua graviter ſub mole laborant,
Et proprio laſſata gemunt ſub pondere; quantus
Omnia languor habet, nec lingua oſtendere verbis,
Nec ſubtile queat complecti mentis acumen:
Quidquid in hoc oculus circumque infràque ſupràque
Orbe videt, numquam ſatiabitur ille videndo:
Et licet audieris humanæ mella loquelæ,
Et varias pecudum voces, cantuſque volucrum,
Murmuraque in querulis blandè reſonantia chordis,
Non tamen omninò cupidam ſatiaveris aurem.
9 Quidquid erit primis olim fuit antè diebus;
Factaque ſunt ſeclis quæ ſunt facienda futuris
Jampridem: & poſthac oritura ætatis imago eſt
Præteritæ, vitamque refert ventura vetuſtam:
Lumina nil ſub ſole novum mortalia ſpectant.
10 An quidquam in latis terrarum eſt cernere regnis
Quod dici queat eſſe novum? jam deſine tandem
Inſanire hominum ſoboles! Deſiſte ſuperbè
Inventus jactare novos, artemque novatam;
Nec vanos tibi finge novæ virtutis honores:

Quid

Quidquid enim tibi laudis ineſt hoc gentis avitæ
Exemplum eſt, primoque patres ornaverat ævo:
Sin quid fortè novi produxeris, illud ab uſu
Fit vetus, & pereunte cito novitate ſeneſcit.
11 En! quæ præteritos magna cum laude per annos
Floruerant, jam ignota jacent; ſic tempore noſtro
Quæ modò clara micant etiam ſub nube latebunt
Perpetuâ, longiſque teget nox atra tenebris.
12 Neve tibi videar vanis imponere verbis,
Quæ loquor hæc docuit longa experientia rerum:
Ille ego qui Solymam magnâ ditione tenebam,
Per populos qui jura dabam ſacrata volentes,
Conſiliis opibuſque potens, ſceptriſque verendus;
Nil mihi, ſi quidquam potuit, quod terra miniſtrat,
Aut fortuna favens, hominem feciſſe beatum,
13 Defuit. His ego præſidiis inſtructus in imum
Naturæ penetrale paro perducere greſſum;
Per terras hominesque vagor, per quidquid in orbe
Cernitur humano ſtudio flagrante ferebat:
Me labor hic durus tenuit; quem Rector Olympi
Omnibus in mundo comitem ſociumque perennem
Eſſe dedit, curis acuens mortalia corda.
14 Cuncta pererravi, quæcumque ex æthere ſpectat
Siderei fax clara poli, quæcumque ſub undis,
Quæcumque in gremio latitant telluris opaco:
Judicium jam quiſquis aves cognoſcere noſtrum,
Nil niſi quod vanum eſt ingens complectitur orbis,
Multaque ſollicitis mentem exagitantia curis.
15 Quod claudum eſt nequit in rectam ſe vertere formam,
Quod truncum eſt mutilumque nequit ſupplerier illud
Viribus infirmis hominum: (quia ſcilicet arctis
Finibus incluſa eſt) humana potentia multos
Haud ullo reparare poteſt molimine caſus.
16 Ergò oculis animi quiſquis diſcernere certas,
Quâ ratione queas traducere ſuaviter ævum,
Huc adſis, memorique animo mea dicta reconde:
Si bona ſumma putas rerum cognoſcere cauſſas
Abditaque in tenebris myſteria cernere cæcis,
Falleris: en! ego ſic tacito ſub corde loquebar:
Jam mihi collecta eſt vaſta experientia rerum,
Jam mihi perſpectum eſt gremio quodcumque capac
Terra vel unda tenent, & quæ natura negavit.

Quid jocus eſt, ſtultæ niſi læta inſania mentis?
Riſus &, altiſono diſtorquens ora cachinno,
Quid facit? aut cùm quam properat contendere metam?
3 Tot verò expertis requiem quærendo cupitam,
Quamlibet haud uſquam invenio, vaſtumque per orbem
Nulla ſalutiferæ video compendia vitæ;
Non tamen abſiſto vigili perquirere curâ,
Quidquid auricomi ſpectatur lumine Phœbi:
Et reperire paro tibi, gens mortalis! in orbe
Quâ ratione queas traducere ſuaviter ævum,
Et, ſtolidis curis animique angore remoto,
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ:
Idcircò laticum largè mea ſumit honorem
Dextera, lætifico relevans mihi pectora vino:
Non tamen ut multo ſtupeant ſenſumque relinquant
Corda ſepulta mero, ſed acumen flamma miniſtret
Vitea, & accumulet noſtrum inſinuata vigorem.
4 Immenſæque etiam turres, ac tecta, minæque
Murorum ingentes, æquataque mœnia cœlo,
Sunt opibus fabricata meis; ædeſque decoras
Exſtruxi, atque meâ plantata eſt plurima dextrâ
Vitis, in immenſum extentis diffuſa racemis,
Celſâque turrigeri tranſcendens culmina muri;
Plantavi innumeris diſtinctos floribus hortos,
Atque ſaluſiferæ ſuccis variantibus herbæ;
Ut nares paſſim ambroſio vehementer odore
Pellicerent, viſuque oculos, guſtuque palatum.
5 Plena quoque arboribus ſtatui pomaria cunctis,
Ut ſenſus varium raperent generantia fructum,
Defeſſumque ſua refoverent corpus in umbra.
6 Huc liquidos mea cura lacus & ſtagna coëgit;
Arbor ut, ex imo fœcundo humore rigata,
Frondentes latè ramos & brachia tendens
Huc illuc, media ipſa ingentem redderet umbram.
7 Innumeroſque mihi famulos famulaſque paravi
Undique, vernarumque ingens mihi vulgus abundat,
Ædibus in noſtris queis primum infantia cœlum
Hauſerat; atque aſinos & equos ad fortia natos,
Atque laboriferi ſobolem mea dextra juvenci,
Lanigeraſque acquirit oves, hirtaſque capellas,
Silvicolaſque feras, numero quæ dicere non eſt:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem

Judicium quicumque velis inquirere noſtrum
De cunctis quæ mundus habet, ſi credere fas eſt
Uſibus inſtructo, & multo aſſuetudine rerum,
(Si quid fortè docet longa experientia veri)
Nil niſi inane, nihil, vaſtus complectitur orbis,
Multaque peſtiferis animum torquentia curis:
Nil ſolidæ bonitatis habent, quæcumque videntur
Sidereo ſubjecta polo: totum undique vanum eſt,
Quidquid ab æthereo ſpectat ſol clarus Olympo.
2 Rurſus ad antiquum ſtudium, curaſque priores
Mens redit, & quid vera foret ſapientia rimor,
Quidque furor, quid mentis inops inſania, claram
Ingenio præbente facem; nam Rector Olympi
Tam puro noſtram perfudit lumine mentem, ut
Nullus in orbe queat melius diſcernere verum;
Nec mihi præripiat palmam quicumque futuris
Exſtiterit ſeclis hominum de ſemine cretus:
Nam quid in humanis poterit gens poſtera rebus,
Quod non præſtiterit magni ſapientia Regis,
Divitiis, opibuſque & feſta pace virentis?
3 Tunc mihi ſtultitiam tantum ſapientia cæcam
Vincere viſa fuit, variiſque excellere rebus,
Quantum præſtiterit nigris lux clara tenebris;
Lux oculis pergrata tuis, lux apta labori,
Expellenſque metus animo, rebuſque colores
Reſtituens, rectoque regens in tramite greſſum,
4 Vir ſapiens oculis non fruſtrà in fronte locatis
Utitur, hujus enim rectrix prudentia mentem
Inſtruit, errores abigit, circumſpicit ecquid
Fortè mali immineat, ventura pericula vitat,
Prævidet eventus operum, fructuſque laborum:
At contrà, ſtultus caret hâc duce, perque tenebras
Ambulat, inſanum peragit ſine mente laborem,
Currit in oppoſitas viduatus lumine foſſas:
Inter multa tamen diſcrimina convenit illud
Inter utrumque, ſuam nequeunt defendere vitam
Sortis ab adverſæ laqueis, nunc ſurgit in altum
Stultus, & in tenebras ſapiens demergitur imas:
Nunc rursùm emergit ſapiens, & ſtultus ab alto
Præcipitat, ſummaque trahit de ſede ruinam:
Nunc hunc, nunc illum, placido ſors lubrica vultu
Reſpicit, atque iterùm rapidis volat avia pennis:

Uſque

Ergo ego cur ille ſapient
Scilicet haud aliis minus
Vana, nec hinc animo fat
16 En! modò qui clarâ cele
Et famâ ſuper aſtra volat
Fex populi, æternis ventr
In tenebris, longaque diu
Et quâ morte cadit ſapien
Præcipites in fata ruunt
Hic atque hic, gelidique
Omnia conſimiles; nec
Rurſus præteritæ ſubeun
17 Ergò mihi miſero venera
Immenſæque operum mo
Phœbææ ſub luce facis q
Omnia ſunt nobis odio,
Omnia ſunt, miſeris ani
18 Et contenta mihi jacet c
Nam ſtudiis opibuſque
Incola Phœbæo poſiti ſul
Hæc ego naſcenti puero
19 An verò hic ſapiens, an
Dicere quis poterit, certi
Qualiſcumque tamen fu
Incola Phœbæo poſiti ſu
Conſiliis opibuſque mei
O quantum eſt igitur cu
20 Tunc ego ludibriis mihi

Juſtitiâ meritiſque graves, mox dira ſub umbras
Mors abigit, cunctiſque frui permittitur alter,
Atque laboriferæ meſſem hanc abducere vitæ:
Quàm vanum & miſerum eſt tanto indulgere labori,
Cujus ad auctorem nulla emolumenta redundant!
12 Eſſe quid anxiferis cruciatum pectora curis
Juvit? & innumeros toties ſubiiſſe labores,
Quos tulit in poſito ſub ſolis lumine mundo?
13 Quippe dies agitat eum ſollicitudine cunctos,
Cunctorumque operum multi ſine fine dolores
Aſſidui perſtant comites, nec nocte quieſcit
In media, ſomnoſque abrumpit cura ſalubres:
Eheu! quàm vanum eſt tanto indulgere labori!
14 His ita perpenſis mihi juſto examine, tandem
Maturo ſic judicio decernere viſum eſt:
Quamlibet in terris nihil omni ex parte beatum
Poſſe videre datur, miſeris nec libera curis
Gens humana poteſt, requiemque indepta perennem,
Ducere ſepoſitam procul omni à turbine vitam;
Maxima ſollicitæ referam ſolamina mentis:
Nil magis in miſero dulce eſt & amabile mundo,
Quàm ſi quis rapiat fugitivæ gaudia vitæ,
Dum licet, & feſſas frugum ſibi munere vires,
Cordaque lætifico relevet langnentia vino;
Nec ſinat ille ſuum fructu caruiſſe laborem:
Si tamen hâc ullus valeat dulcedine vitam
Exhilarare ſuam placidè, partiſque fruatur,
Hoc quoque divini mihi muneris eſſe patebat,
15 Et ſupera de ſede datum. Nam quotquot in orbe
Sceptrigeri diadema gerunt, quis me magis ipſo
Deliciis vitæ innumeris, opibuſque redundat?
Non tamen his potior, magni niſi numinis adſit
Ille favor, qui cuncta beat, qui cuncta ſecundat.
16 Nam Pater omnipotens, miro pietatis amore,
Sanctorum puro perfundit lumine mentes,
Lætitiâque animos hilarat, ſed corda malorum
Impia ſollicitis torquet trepidantia curis:
Quaſque ſibi multo nocteſque dieſque labore
Accumulavit opes, vel vi vel fraude, ſceleſtus,
Subtrahit, & puris animi rectiſque miniſtrat;
Datque laboriferæ meſſem hanc abducere vitæ:

Per-

Perfruiturque pius quod gens ſcelerata laborat:
Hæc quoque res vana eſt, & acerbi plena doloris.

CAP. III.

CArpe voluptates igitur quas vita miniſtrat
Innocuas, fructumque tui ne linque laboris,
Dum licet; extemplò fugit irrevocabile tempus:
Quidquid enim gremio tellus tenet alma benigno,
Quod refugo tenet unda ſinu, quod mobilis aër,
Quodcumque immenſum cœlum tegit, omnia ſurgunt
2 Per certas abeuntque vices: Sic tempore certo
Naſcimur, in tenues iterumque relabimur auras:
Figimus omniparæ plantas modò viſcere terræ,
3 Et modò convulſas rapimus. Modò corpora letho
Mittimus, interdum medicas ad vulnera præſtat
Applicuiſſe manus, mortemque fugare propinquam:
Interdum ex imis tecta ardua fundamentis
Diruimus, vaſtamque trahit domus ampla ruinam,
Æquataſque ſolo penitus proſternimus urbes:
Nunc lapſas renovare domos, ædeſque revulſas,
Et deſolatas urbis reparare ruinas,
4 Tempora juſta vocant. Nunc imbribus ora madeſcunt,
Et nunc jucundo diſtendimus ilia riſu:
Nunc plorare juvat, nunc prodere gaudia ſaltu,
Et lætos celebrare choros pede, carmine, vultu.
5 Commoda congerere, & lapides cumulare requirunt
Tempora, ſubvectare humeris cùm ſaxa neceſſe eſt
Conductas operas; ſeu fors cordi eſt tibi parvas
Ædificare caſas, ſeu grandia condere tecta,
Et latè ingentes murorum attollere moles:
Nec minus abjicere & lapides diſpergere tempus
Nos vocat, adverſas aries cùm bellicus arces
Subruit, aut medios fundam evacuamus in hoſtes;
Aut cùm ſulphureæ impellit violentia flammæ
Saxa, cavo incluſus quoties furit æſtus aheno:
Eſt ubi, quos vinxit ſocialis tæda decenter,
Fœmina juncta viro blandis complexibus hærent;
Eſt ubi complexu decet abſtinuiſſe jugali.
6 Cùm ſors blanda favet, multi cumulantur acervi
Nummorum, at contrà multo congeſta labore

Copia

Copia lapſa ruit, Zephyrus cùm blandus in Auſtros
Tranſit, & ambiguæ verſa eſt rota lubrica ſortis:
Tempore ſic certo bona parta tuerier æquum eſt;
Frigora queis duramque famem depellere poſſis,
Ne vitam orbus agas & inops: ſic tempore certo
Quæſitas diſpergere opes ſors dura requirit,
Parcere nec partis: avidis ſic ignibus ingens
Cui domus ardeſcit, ſibi dum fuga tuta ſuperſit;
Cætera non dubitat ſubitis permittere flammis;
Nec renuit medias merces effundere in undas
Navita, cùm rapidis ratis eſt agitata procellis;
Et damno leviore animæ diſpendia vitat.
7 Sic alias ſarcire decet, ſed rumpere veſtem
Triſtior hora vocat: nunc ora reſolvere verbis
Libera, nunc tacitæ mandare ſilentia linguæ
Alta decet, veluti diverſa occaſio rerum
Poſtulat aut prohibet: vario ſors lubrica vultu
Munera pro variis vicibus diverſa requirit:
Si tibi ſive tuis valeas prodeſſe, loquendum eſt;
Tunc tibi verba fluant, alias tacuiſſe juvabit,
Atque loquendi avidam frenis conſtringere linguam:
8 Nunc ſocius vero tibi complectendus amore eſt;
Nunc ſi degeneret penitus, ſi jura fidemque
Negligat, & vitiis ſeſe inquinet ille pudendis,
Materia eſt odii meritò vita impia ſancti:
Tempora nunc poſcunt armare in prælia dextram,
Duraque ſanguinei ſubiiſſe pericula belli
Protinus, hoſtili pateant ne præda furori
Patria, libertas, & quæ tibi cara ſuperſunt
Omnia, cùm nitido florentes ære phalanges
Undique conveniunt in te, excidiumque tuorum:
Aſt alias, placidam dulce eſt & amabile pacem
Amplecti, paciſque bonis impunè potiri.
9 Ergò quid innumeris animum diſcerpere curis
Gens humana juvat? vel quâ ratione laboris
Lenimen reperire potes, portumque doloris?
10 Nam quocumq; oculos, animumq; advertetis ægrum,
Omnia languor habet, propria ſub mole gravantur;
Nec genti humanæ vetam reperire quietem
Fas, haud ille ſinit ſuperi Regnator Olympi.
11 Tempore quidque ſuo pulcrum, vultuque decoro,
Efficit ille Deus; puerum puerilia certè

Facta decent indigna viro, gravitaſque ſenilis
Maximus ætatis decor eſt, vireſque juventæ:
Pax bello, & paci bellum contraria poſcit
Munera, diverſum ſors dura & læta requirit
Officium, & varias animi variata figuras
Imperitat, ſeu torva oculis ſeu fronte ſerenâ
Adveniat, lætumve premens, hilaranſve jacentem:
Sic verò ingenti quidquid contingit in orbe,
Ludit in humanis divina potentia rebus,
Diſpoſuitque vices varias & tempora rerum,
Ut nequeas ex præteritis præſcire futura,
Tam dubiâ ſubnixa rotâ ſors omnia verſat.
12 Hæc igitur certè cunctarum eſt optima rerum,
Carpere dum fas eſt fugitivæ gaudia vitæ:
Utendum eſt ætate, cito pede labitur ætas,
Invida quam ſpatio natura coërcuit arcto:
Multa ergò in paucis tua ſint benefacta diebus,
Neve infrugiferum tranſmittas turpiter ævum.
13 Carpe voluptates etiam quas vita miniſtrat,
Jucundumque tui fructum ne linque laboris:
Quid? quòd ab æthereo venit hoc tibi munus Olympo.
14 Nam cur ſollicitis cruciares pectora curis
Anxia, cùm nequeas divinam vertere mentem?
Namque Deus rerum Genitor, quodcumq; per orbem
Evenit immenſum, (res ô miranda relatu!)
Illud ab æterno quondam decreverat ævo:
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur,
Decreti ſunt cuncta libro deſcripta perennis:
Nec quidquam in vaſto penitus contingere mundo
Pluſve minuſve poteſt; facit hoc Pater ille perennis,
Diſcat ut æthereum gens noſtra tremiſcere numen,
Cujus ab arbitrio dependent omnia ſolo.
15 Hoc tamen interea memori tibi mente notandum eſt:
Quod nunc eſt, primis olim fuit antè diebus;
Factaque ſunt, ſeclis quæ ſunt facienda futuris,
Jampridem: Omnipotens anteacta reducere gaudet,
Antiquoſque referre dies aſſuevit, & ævo
Præterito ſimiles venientis reddere caſus.
16 Præterea, vigili ſtudio dum ſingula rimor,
Quidquid ineſt poſito ſub ſolis lumine mundo,
Erranti, paſſimque oculos per cuncta ferenti,
Juſtitiæ ſedes fraudis mihi plena doloſæ

Ap:

Apparet, miſeriſque locus qui debet aſylum
Eſſe, fuit miſeris ſcopulus, ſed portus iniquis:
Hîc variæ ſcelerum facies, hîc dira cupido
Æris, adulterium, rabies, mendacia falſi
Oris, & innocuo manus oblita ſanguine, regnant:
Aſt inopes juxtà pariter jacuêre gementes,
Sedibus extorres peregrini, orbuſque parente
Orphanus, & caro conjux viduata marito.
27 Hæc ego proſpiciens, tacitâ ſic mente loquebar:
Jam regnant impunè mali, pietaſque fideſque
Sub pedibus contemta jacent, injuria dives
Juſtitiam premit, & cunctis dominatur in oris:
Non tamen hæc nullis oculis videt ille perennis
Arbiter; adveniet felix & amabile tempus,
Præmia cùm referent ſancti, pœniſque premetur
Impius, & meritâ præceps cadet ille ruinâ.
28 Hoc quoque, perluſtrans mortalia cuncta, notavi;
Quod Deus ante oculos facit effulgeſcere cunctos,
Quamlibet avertat ſtolidum ſua lumina vulgus;
Scilicet haud minimum brutis animantibus hilum
Humanum differre genus: quod bobus, equiſque,
Accidit, & reliquo pecori rationis egenò,
29 Hoc etiam noſtro generi contingit, Acerbæ
Cetera ceu mortis fatali lege tenentur,
Sic quoque nos pariles vitæ quoque ducimus auras,
Et pariter cinis atque umbræ mox fimus inanes:
Uſque adeò brutas hominum de ſemine nati
Nil ſuperant pecudes: ſic nos, atque omnia paſſim
Cetera quæ innumeras habitant animalia terras,
Naſcimur & morimur ſimili ratione; nec uſquam
Præter inane, nihil, ſpatioſus continet orbis.
30 Seriùs aût citiùs ſedem properamus ad unam,
Lumine vitali qui veſcimur; omnia ſurgunt
E cinere, in cineremque iterùm dilapſâ recurrunt.
31 Sed tamen à ſeclis hominum fera ſecla ferarum
Haud minimo diſtant diſcrimine: (ſed quis in orbe
Hæc animadvertit, penſatque examine juſto?)
Spiritus humanus volat alta in ſidera cœli,
(Cœleſti veniens ab origine) mole ſolutus
Corporeâ, ſed vita perit cum corpore brutis
Vanida, & in tenuem fugiens diſſolvitur auram,
Terrenâque petit veniens ab origine terram.

Hanc laudem ingrati referunt à fœce popelli
Quicumque inventas vitam excoluêre per artes,
Quique ſui memores alios fecêre merendo:
Hæc quoque res vana eſt, & acerbi plena doloris.
5 Hæc mala ſors animam virtute abſterret inertem,
Quæ manibus junctis ſedet averſiſque labori.
6 Dumque ſuos morſu miſero depaſcitur artus,
Dum propriâ ſe carne replens tenuatur alendo,
Sic ſibi veſano loquitur ſub pectore: Præſtat
Carpere jucundam tenui cum ſorte quietem,
Quàm ſi continuo noctesque dieſque labore
Immenſas cumulâris opes, pulsâque quiete
Pectora ſollicitis agites trepidantia curis:
Sic ſibi blanditur, ſtolido ſibi pectore plaudit,
Stultitiamque fovet miſeram, quaſi re bene geſtâ;
Aſt ô! quàm procul à verâ ratione recedit!
Quid? quòd egeſtatem lethæa ignavia triſtem
Intereà, diramque famem producit egeſtas,
Quæque famem ſemper comitent mala dura ſequuntur.
7 Rurſus, ab ignavis revocans mea lumina, vanum
Auricomæ ſub luce facis diſcerno laborem.
8 Eſt quoque qui ſolus, ſocio ſemotus ab omni,
Degat, nec minimam ſobolem de ſtirpe virili
Fœmineave habeat, nec fratrem, aut ſanguine junctum,
Cui bona diſcedens avidè congeſta relinquat:
Hunc tamen atra fames, & amor ſceleratus habendi,
Perpetuò exagitat, ſtimulatque cupidine vano:
Hinc illum labor aſſiduus ſine fine fatigat,
Nec requiem dat cura brevem, nec lumen avarum
Nummorum immenſis umquam exſatiatur acervis,
Nec ſecum interea ſedato pectore fatur:
Quid tantum inſano juvat indulgere labori?
Cui tantæ cumulantur opes? cui cuncta reſervo
Quæ mea dextra parat? peregrino? an forſitan hoſti?
Cur propriis me fraudo bonis? cur negligo partum
Ipſe laboriferæ fructum decerpere vitæ?
En! qui divitiis ſoli incubuêre repertis,
Quàm vanum ſine mente terunt, ſine fruge laborem!
9 Quanto igitur meliùs? quàm ſuaviùs exigit ævum?
Cui comites adſunt, vitæ ſolatia tali,
Divite, ſejuncto à ſocio dulcique ſodali,
Immenſas inopi inter opes? ingentia noſtræ

Com-

Vivet, in Heſperiam ſenii cùm tendere metam
Cœperit: hunc proles cupient oritura theatro
Exire, inque novum pariter ſua lumina Regem
Conjicient: avidum rerum ſine fine novarum
Uſque adeò eſt hominum genus & variabile: certè
Hæc quoque res vana eſt, & acerbi plena doloris.

CAP. V.

CErnis ut innumeris hominum gens undique vitam
Septa malis agitet, variiſque obnoxia damnis?
Sed tamen hoc reſtat miſeris mortalibus unum;
Unum, quo valeant jucundum ſuaviter ævum
Ducere, ſepoſitis tranquillo pectore curis,
Æternum venerare Deum, rerumque Parentem
Supplicibus ſupera votis, precibuſque fatiga;
Ut tibi det veniam vultu non durus amico,
Atque animum accipiat placidum, mentemque benignam:
Tu verò inprimis curam hîc adhibere memento,
Ne fruſtrà vacuis implores æthera verbis,
Deceptuſque labor pereat, ceu cetera rerum
Pectora ſollicitis fruſtrà exagitantia curis:
Ergò ubi ſacratam Domini contendis in ædem,
Libratas infiſte vias, & tramite recto
Cautum pone pedem, potiuſque accingere promtus
Audire ætherias ſubmiſſo pectore leges,
Quàm vanas cumulare preces, & fundere voces
Nequicquam innumeras: qui præſtat talia, cultûs
Divini procul à verâ ratione recedit,
Et falsâ ſpecie & vanis deluditur umbris,
Dumque Dei placare ſtudet, tum provocat, iram.
Ne verba ante Deum properata, ſine ordine, raptim
Ejice, præcipitis dictata improvida mentis:
Nam Pater omnipotens ſummo ſedet altus Olympo,
Nutibus atque ſuis ſpatioſum temperat orbem,
Adſpiciens oculis latè mortalia juſtis:
Non latet hunc ſimplex probitas, & conſona verbis
Pectora, non latet hunc ſimulatæ gratia linguæ;
Nec mercede caret pietas, & neſcia fraudis
Lingua, nec effugiet meritas hypocritica pœnas:
Ergò cave nimiâ numen cœleſte loquelâ

Soliici-

Unicus ille alios ſub ſe premit altior omnes:
Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Spirituum Chorus ille ſedet, qui cuncta potentum
Sub pede colla premunt, Regis pia juſſa perennis
Dum peragunt, mundique amplis dominantur in oris;
Non igitur ſemper pietas ſine fine premetur,
Nec ſemper dira impietas impunè ſedebit
Sceptra gerens, meritas referet pro crimine pœnas;
Ergò verere Deum conſtanti pectore: ſed nunc
Propoſitum repetamus iter. Quid præter inane
Mundus habet? Quid opes proſunt? Quid præſtat egeno
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis?
Quidquid enim fruitur vitali lumine victum
Sufficit, & gremio tellus fœcunda benigno
Undique, communis pariter fovet omnia nutrix
Viva, per innumeras pariter fovet omnia terras:
Secla hominum, pecudumque genus, vitæque volantûm,
Hinc ſibi producunt pereuntis tempora lucis:
Rex, æquè ac humiles tenui de plebe Quirites,
Hinc alimenta capit, vitali & veſcitur aurâ.
Ergò quiſquis avet nummos, & numinis inſtar
Diligit, & nivei facti infectique metalli
Immenſis ſine fine inhiat conſtanter acervis;
Dira fames animi numquam ſatiatur avari,
Sed veſana lucri crudeli tabe cupido
Cor vorat, ut medio reſidens in pectore vultur:
Creſcit & anxietas quantum ipſa pecunia crèſcit:
Hæc quoque res vana eſt, levibuſque ſimillima ventis.
Præterea, hæc opibus plaga immedicabilis hæret;
Si vaſtæ cumulantur opes, cumulatur edentûm
Turba vorax: Domino quidnam utilitatis ab illis
Provenit, inde oculus niſi quòd ſe oblectat avarus,
Applauditque ſibi, vaſtâ cum ſpectat in arcâ
Candida cum croceis numero ſine miſta metallis.
Quoque minùs mireris opes gazaſque potentum,
Qui multo ſudore diem tranſegit, & horas
Phœbæas operi dederat, ſi pellere duram
Fortè famem valeat, taciturno in tempore noctis
Jucundo relevat languentia membra ſopore:
Prædulcem hunc duri fructum capit ille laboris,
Blanda laboriferæ requies comes addita vitæ:
At dives, vaſtis nummorum obſeſſus acervis,

Poſſe laboriferæ fructum decerpere vitæ.
19 Atque ideò celſum tetigit qui culmen honoris,
Remque, decuſque ſibi, divino numine cœptis
Adſpirante ſuis, peperit, partiſque dat uti
Poſſe Deus; ſi me audierit, fugientia vitæ
Commoda ne abjiciat, pereuntia gaudia carpat,
Atque ſuorum operum dulci mercede fruatur:
Quid? quòd ab ætherio venit hoc tibi munus Olympo.
20 Namque tibi Omnipotens emollit triſtia lætis,
Grataque ſollicitis interſerit otia curis,
Ut poſſis animo durum ſufferre laborem,
Et placidos tranſire dies, blandamque quietem
Carpere, jucundo curſu fugientibus annis.

CAP. VI.

HOc quoque Phœbæa video ſub luce dolendum,
Perq; hominum mortale genus commune vagatur:
2 Sunt, quibus ætherii magnus Regnator Olympi
Immenſas donavit opes, donavit honores,
Cunctaque ſucceſſu felici incepta ſecundat,
Attamen haud partis uti, fructumque laboris
Carpere jucundum patitur; ſed furripit alter
Quæ peperêre ſibi multo ſudore: dolenda
Hæc plaga eſt, animi plaga immedicabilis ægri:
3 Tanta ſequuntur opes aliquando incommoda. Sed tu,
Si bona ſumma putas longævæ tempora vitæ,
Canitiemque tibi & longos optaveris annos,
Scilicet hinc ſperas fieri te poſſe beatum,
Falleris, & procul à verâ ratione recedis:
Siquis fortè hominum ſpatioſum tranſigat ævum
Triſtis, & ad tremulos ſenii pervenerit annos,
Et ſobolem, & ſobolis ſobolem, poſt fata relinquat,
Interea ſi vixit inops, ſi vixit egenus
Divitiarum, aut ſi patrio bona parta labore
Prodigus effudit, vel avarus noluit uti,
Sponte ſibi miſeræ cumulans incommoda vitæ:
Denique ſi, in tenues abiit cùm ſpiritus auras,
Funera nemo gemat, lugenſve ad buſta ſequatur
Triſtia, nemo oculis abeuntem adſpexerit udis,
Fœtus abortivus media genitricis in alvo

Quod fuit antiquis redivivum ſemper ab annis
Eſt homo, mortalique genus de ſtirpe creatum,
Et citò dejicitur lethali vulnere victus,
Robore ſi fidens tecum Rex ætheris alti
Dimicat, atque tuis miſerum caput objicit armis.
Quando ergò innumeris hominum gens undique curis
Anxia torquetur, ſtudioque indulget inani,
Tam variis fruſtrata modis, deluſaque ſemper,
Quis ſperare poteſt veram reperire quietem,
Dum levis hora fugit rapido velut umbra volatu?
Temporis eventus etenim Deus ipſe futuri
Nocte premit, ſpiſſiſque incluſum condidit umbris
Omne ſub auricomi venturum lumine Phœbi.

CAP. VII.

QUâ tamen arte leves miſeræ mala plurima vitæ,
Si mihi fortè velis aures adhibere, docebo:
Virtutum præluſtris honos, & gloria clari
Nominis, unguentis pretio certantibus auro
Præſtat odoriferis, & aromata dulcia vincit:
Nempè epulas inter, feſtivaque gaudia, ſeſe
Spargit, & ambroſium latè diffundit odorem,
Unguentum, totamque domum dulcedine perflat,
Dum caput unius jucundo proluit imbre;
Paulatim tamen, amiſsâ virtute, fatiſcit
Dulcis odor, vacuas ſenſimque exſpirat in auras:
At latè ingentem ſeſe bona fama per orbem
Diffipat, oblectatque ſuo ſplendore tuentes,
Accenditque animos miro virtutis amore,
Nec moritur, ſed clara viget poſt funeris umbras;
Mors quoque natali potior mihi ducitur horâ,
Naſcitur ærumnis etenim gens noſtra ferendis
Pluribus, & ſemper, velut unda ſupervenit undam,
Noxque diem, noctemque dies, fine fine ſequuntur:
Sic nova præteritis ſuperadvenientia damnis
Exagitant mortale genus, cumulantque dolores
Quotidie, numquam placidæ datur hora quietis,
Sed mors cunctorum meta eſt extrema malorum,
Quæ patitur gens noſtra vago ſub ſole; ſepulcrum
Perpetuam præbet requiem mortalibus ægris.

Deficit atque labat ſapientia pectoris illi,
Et dolor in rabidas cogit prorumpere voces,
Præcipitemque neqeit frenis inhibere furorem:
Sic quoque prudentes alienant munera, nec non
Faſcinat ingenium grati ſpes blanda lucelli,
Qualibet uſque adeò lucri bonus eſt odor ex re.
8 Ergò in propoſitam contendas lumina metam
Quampetis, atq; animo numquam impatiente malorum
Quære fugam, nec flecte gradus à tramite recto,
Caſibus oppreſſus duris & ſorte maligna:
Nec tibi blanditiis imponant munera vanis,
Seductoſque trahant ſcelerum per devia greſſus:
Impatiens animo, Domini qui juſſa reliquit,
Sorte premente, ſuum cupiens relevare dolorem,
Aggravat; at certè tandem, mihi crede, videbis
Optatum patientem animo contingere finem:
Quoſque in principio triſti ſub corde dolores
Pertulit, eventus felix penſabit abundè.
9 Præcipites iras inhibe moderamine certo,
Ira odium generans ſtultorum in corde quieſcit.
10 Tu quoque divinum caveas reprehendere numen,
Talia vaniloquâ fundens dicteria linguâ:
Secula præteritis cur non præſentia ſeclis
Æqua fluunt? ſortemque magis patiuntur iniquam?
Aut cur præterito fuerat pars optima vitæ?
Nunc fato ſequiore fruor? ſi talia quæris,
Stultus es, & procul à vera ratione recedis:
Ergò abſiſte Deum flecti ſperare querendo;
Conſiliis Deus ipſe ſuis nam cuncta gubernat,
Quæcumque in tota mundi regione geruntur,
Optatumque facit ſanctos contingere finem,
Quamlibet innumeris pateant aliquando periclis.
11 Plurima juncta opibus noſtræ ſapientia vitæ
Commoda fert ſecum; quicumq; inſtructus utroq; eſt,
Incola Phœbæo poſiti ſub ſidere mundi,
Dulcem & frugiferam poterit traducere vitam,
Atque ſui memores alios præſtare merendo:
Hoc facit ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.
12 Quippe ſalutiferi tutum munimine ſcuti
Protegit humanam mentis ſapientia vitam;
Sic quoque præſtat idem nummorum copia præſens:

Attamen

Servet ab innumeris, ſalvâ pietate, periclis:
Nam ſæpè ipſa ſuam proditas temeraria vitam
Abjicit, acceleratque ſibi malè provida mortem;
Nec, falsâ illuſus pietatis imagine, vires
Deſtrue corporeas, animive infringe vigorem,
Nec nimio ſermone ſacrum tu numen adora:
Cordis enim cernens penetralia Rector Olympi,
Non prece prolixâ capitur, ſed pectore puro,
Et gemitu, & lacrimis contrito corde profuſis.
17 Ne tamen impietas laxis graſſetur habenis,
Dum trahis in pejus ſenſu mea verba ſiniſtro,
O homo ſtulte! cave; pariter mentemque, manumque,
Sordibus à ſcelerum vacuam ſervare momento;
Ne mereare oculis fieri ſpectacula cunctis
Triſtia, carnificis dextrâ trabe nexus ab alta:
Neve ardore gulæ, rapidove cupidinis æſtu, (tam;
Quamquam haud ſponte, tibi properes abrumpere vi-
Aut etiam ſcelerum furiis agitatus acerbis,
Occultum quatiente animo tortore flagellum,
Sponte tuâ proprio fodias tibi pectora ferro.
18 Utile conſilium tibi nunc, mihi crede, miniſtro:
Hinc ne averte gradum, monitus nec rejice noſtros,
Inter utrumque tene, medio tutiſſimus ibis:
Nam ſincera Dei reverentia, firma ſalutis
Anchora, & humanæ ſtatio tutiſſima vitæ,
Hæc docet: hoc fixum ſtatuunt in tramite greſſum,
Qui caſtè pia ſacra colunt, errore relicto.
19 Plus homini longè ſapientia roboris addit,
Confirmatque animum cunctis in rebus agendis,
Denorum quàm turba virûm fulgentibus armis,
Ardua turrigeri tutans faſtigia muri:
Hæc facit ut raro titubent veſtigia lapſu,
Hæc facit ut labens iterùmque iterùmque reſurgat.
20 Nam lapſus vitare nequit, nec criminis expers
Ullus in orbe ſuam potis eſt traducere vitam:
Sed minimùm peccant quibus eſt ſapientia cuſtos,
Directrixque operum conſervatrixque ſuorum:
Illa ſalutiferæ monſtrat compendia vitæ.
21 Ne nimis attentas da verbis omnibus aures,
Sicubi quis tacitis loquitur ſecreta ſuſurris,
Ne fortè ipſe tuum famulum tibi dira precantem
Deprendas, rabidoque animum rapiare furore:

Seducti, legemque Dei ſprevere verendam:
Dumque umbras avidè ſtulti amplectuntur inanes,
Se miſeri, ſtirpemque ſuam, ſeroſque nepotes,
Prolapſi ſubitâ ſimul involvêre ruinâ.

CAP. VIII.

AN tibi pergratum eſt, ſi plebs tibi, vertice prono,
Dicat, Ave! & ſupplex Dominum te voce ſalutet,
Adſpectus venerata tuos, vultumque verendum?
Tunc fac, vera tuam decoret ſapientia mentem,
Quâ juſtum & rectum à pravo diſcernere poſſis;
Pectora cœleſtis ſapientia ſi colat, illinc
Manat in externos decor & reverentia vultus,
Exornatque humilis frontem veneranda Quiritis
Gratia, regalemque oculis infundit honorem.
2 Hoc quoque, quod moneo, memori tu mente teneto:
Conſilium ne ſperne meum: parere memento
Regibus, & leges auguſtas, juraque ſerva,
Quando voluntati divinæ haud diſſona conſtant:
Hoc jubet, hoc mandat, violatorique minatur,
Sidereo lex miſſa polo, dux unica vitæ,
Cui tua perpetuo lingua eſt obnoxia voto,
Jurandoque tuum caput obſtrinxiſſe fateris.
3 Hinc verò utilitas ipſi tibi provenit ingens:
Hâc ratione queas ſecuram ducere vitam,
Immunemque malis: nam cùm Rex voce tremendâ
Intonat, & rabidæ jaculatur fulmina linguæ,
Cùm fremit, irarumque omnes effundit habenas,
4 Facta puta quæcumque jubet: Si dixerit olim,
Præcipites famuli rapite hunc, cruciataque duris
Corpora tormentis Stygiæ demittite morti:
Protinus hi faciunt, ſtat pro ratione voluntas,
Dictaque pondus habent, ubi dirum ac triſte minatur:
Ecquis enim Regem increpitet, ſic ora reſolvens?
Quid facis? heus! rabidum frenis inhibere furorem
Incipe, cur tumidas adeò exardeſcis in iras?
5 Tutus aget vitam procul omni à turbine, quiſquis
Mandatis facilem dederit regalibus aurem:
Cautus enim ſapiens diſtinguit tempora rerum,
Nec temerè ille caput regalibus objicit armis,

Nequitiam ſine lege ruit; ſe accingit ad omne
Flagitium, laxiſque furens bacchatur habenis
Illa, nec æternam ſibi pœnam inſtare tremiſcit.
2 Ne tamen, hoc viſo, pietas labefacta fatiſcat,
Demittatve animum, ſed ſpe caput erigat, altum:
Namque impunè licet multos exegerit annos
Impius abſque metu, centenaque crimina nullo
Vindice perficiat, ſceleſumque in ſorde ſeneſcat:
Felix ille tamen Domini qui numen adorat,
Et Domini pia jura colit, legeſque verendas:
Poſt mortem nam corporeis mens libera vinclis
Scandet in ætherii radiata palatia cœli.
3 At minimè felix erit impius, illius ævum
Effugiet rapido veluti levis umbra volatu,
Tum verò in Stygias mox præcipitabitur umbras:
Hîc ſine fine luet ſceleratæ crimina vitæ,
Hîc lacrimas ſine fine dabit, ſine fine dolebit,
Extendetque ſuos ſeclorum in ſecula fletus.
4 Ergò animis vos eſte bonis, qui pectore puro
Numen adoratis Domini, nec corda dolore
Fracta cadant, duriſque negent ſuccumbere rebus,
Quamlibet adverſas moveat fortuna procellas:
Sæpè etenim in poſitis ſub ſolis lumine terris
Preſſa jacet pietas, variiſque obnoxia damnis:
Et, contrà, impietas, blandæ ſuper æquora vecta
Proſperitatis, agit vitam ſine nube ſerenam,
Sed citò in aërios volat illa evanida ventos.
5 Nunc igitur monitis animos advertito noſtris,
Ecquid enim potero meliùs ſuadere monendo?
Quicumque haud ficto veneraris pectore numen,
Incola Phœbæo poſiti ſub ſidere mundi,
Accipe cum liquido Cerealia munera vino:
Arripe, dum fas eſt, pereuntis commoda vitæ,
Lætus & exſultans animo: fugientia promtâ
Gaudia carpe manu, cœleſtibus utere donis,
Dum licet: extemplò fugit irrevocabile tempus.
6 Nam juvat inſanos animi compeſcere fluctus,
Æternique Patris nullum reprehendere factum,
Quamquam adverſa bonis aliquando, & læta ſceleſtis,
Obveniant ſub utroque polo degentibus; ipſe,
Ipſe ego ſiderei luſtrabam facta Tonantis,
Facta per immenſum peragit quæ ſingula mundum:

Hoc

Hoc ſtudio traduco diem, traduco tenebras,
Pervigil, & placido caruerunt lumina ſomno.
17 Non tamen illorum abſtruſas indagine cauſſas
Detego, nec video denſis obſeſſa tenebris
Divini conſulta animi, quò tendere pergant:
Tu verò reverere Deum, quem prendere neſcis,
Nec modulo metire tuo, qui numine ſancto
Unicus æternas orbis moderatur habenas,
Arbitrioque ſuo mortalia cuncta gubernat:
Non potes illius ſenſus aperire repoſtos,
Scilicet, hanc vaſtam ingenio qui tentat abyſſum,
Oceani metitur aquas; quin mente ſagaci
Præditus, huc penetrare parans ſpem nutrit inanem;
Nempè licet ſocias labor & ſapientia vires
Contulerint, arcana Dei reſerare nequibunt
Abdita, nec tenebris poterunt educere cæcis.

CAP. IX.

HÆc ego ſollicitâ luſtravi ſingula curâ,
Ut monſtrarem aliis, tenebriſq; exſerta docerem:
Nempè quòd immunes ſcelerum, fraudiſq; pudendæ,
Et verâ pietate graves, duce numine, cunctas
Res peragunt, pacemque gerunt & prælia, clavum
Divinâ retinente manu, circùmque gerente:
Nec tamen inde licet certis cognoſcere ſignis,
Quem Pater omnipotens miro dignatur amore,
2 Proſequiturve odio. Pariter ſic omnia paſſim
Omnibus eveniunt: pariter pravumque piumque,
Inſontem ſontemque, immundum & crimine purum,
Cultoremque Dei contemtoremque perennis,
Nunc ſors dura premit, vultu modò læta benigno
Reſpicit, ac dubiis venit & fugit improba pennis:
Impius & pietatis amans, nomenque verendum
Qui temerare Dei metuit, quique ore profanat,
Lumine dum vitæ fruitur mortalis, uterque
Nunc mœrore gravi premitur, nunc pectore læto eſt,
Obvius ambiguis incerti caſibus ævi.
3 O hominum vita infelix! O ſubdita duris
Vita malis, quam nos agimus ſub lampade Phœbi!
Injuſtos juſtoſque locans diſcrimine nullo;

Impius

Impius atque pius parili nunc ſorte fruuntur,
Atque idcircò caput tollens impunè vagatur
Gens veſana hominum, ſcelerumque libidine rapti,
Nequitiæ dant frena ſuæ, dant frena furori,
Dum lux alma manet, tandem in cava buſta trahuntur,
Tum demum gelida taciturna in ſede quieſcunt:
Quis furor iſte fuit ſceleratam ducere vitam,
Quæ ſubitò aufugiens miſeros inopeſque reliquit!
Jamque jacent, nec ſpe ſortis melioris aluntur.
4 Quiſquis enim vivos inter vitalibus auris
Veſcitur, in duris ſibi læta ac dulcia rebus
Eventura putans animum ſpe ſuſtinet ægrum;
Maxima ſollicitæ ſunt hæc ſolamina vitæ:
Nam canis exanimum præcellit viva leonem.
5 Quiſquis enim fruitur vitali lumine, mortem
Jam jam inſtare videns, venienti occurrere fato
Ille parare poteſt; ut, cùm ſua membra reliquit,
Spiritus ætheriam ſcandat, novus incola, ſedem,
Angelico plaudente choro; non corpore functæ
Hoc præſtare valent animæ; nec, quidquid in orbe
Humano geritur, nôrunt, nec noſcere curant:
Mercedem exacti nitido ſub ſole laboris
Jam tulerunt; ſpes nulla aliud mercedis habendi.
6 Horum fama etiam ſociorum è mentibus omnis
Exſulat, horum etiam mœrores, gaudia, livor,
Blandus amor, flagrans odium, cum flamine vitæ,
Cuncta ſimul tenues abeunt fugitiva per auras:
Nec rerum aurato nitidi ſub lumine Phœbi
Geſtarum hinc ullam datur his attingere partem.
7 Quid facias igitur? bona tu pereuntia capta,
Dum ſinit hora fugax: reparent Cerealia vires
Munera, lætificum relevet tibi pectora vinum:
Hoc decet, ætherei probat hoc Dominator Olympi.
8 Unguenta exhilarent caput, & tibi corpora cingat
Veſtis hyperboreas imitans candore pruinas.
9 Cum conſorte tori, dulci cum conjuge, lætus
Exige ſepoſitis ævum irreparabile curis:
Dum fragilis tibi vita manet ſub lumine Phœbi,
Dum fragilis tibi vita manet, Regnator Olympi
Quam tribuit: merces etenim tibi ſola laboris
Illa datur nitidi rutilo ſub lumine Phœbi.
10 Quod tibi contingit faciendum, hoc perfice totis

Viribus;

Sed tamen unius vitio quandoque scelesti
Fabrica, quam doctâ sapientia condidit arte,
Destruitur, subitamque trahit convulsa ruinam.

CAP. X.

Sicut ab exanimis mutantur aromata muscis,
Artifici composta manu, dulcedine captæ
Suavibus unguentis cùm immersa cadavera linquunt;
Ac liquidi fœtore gravi fœdantur odores:
Sic quoque stultitiæ minimum, sapientia claros
Quos facit, exiguæ maculatos crimine labis
Dedecorat, celebres nebulis obducit honores.
2 Vir sapiens peragit feliciter omnia; sed qui
Mentis inops res aggreditur facit omnia pravè;
Succesſuque carent acti sine mente labores.
3 In mediis ubicumque viis malesanus oberrat
Stultus, & in plateis vestigia figit apertis,
Stultitiam celare nequit, manuumque pedumque
Motibus hæc oculis manifesta est undique cunctis;
Nec minùs hanc prodit turbati insania vultûs.
4 Ira magistratûs ubi te premit aspera, nunquam
Officio discede tuo; sed, læsus ab illo,
Fer patiente animo: rabidas patientia mentes
Lenit; & horribilem vinclis premit illa furorem.
5 Hoc quoque spectandum nitidi fax aurea mundi
Luminibus nostris dederat miserabile, sed quod
Fluxit ab insani stulto moderamine Regis:
6 Stultitia excelsum conscendit culmen honoris;
7 Dejiciturque gradu sapientia. Lumina sæpè
Hoc mea viderunt fieri, per rura, per urbes:
Mentis inops, magnâ famulûm stipante catervâ,
Quadrijugis invectus equis, in se ora trahebat
Undique spectantis populi, dum divite juxtà
Præditus ingenio, quia sola pecunia defit,
Solus inopsque suum, comitante satellite nullo,
Carpit iter, spretoque premit vestigia gressu.
8 Qui puteum fodit, alterius qui retia vitæ
Clàm struit, ille sibi interitum parat ipse, fuisque
Implicitus laqueis, nullo auxiliante, jacebit:
Qui verò irriguos septum perrumpit in hortos,

17 Felix terra! tuas ubi Rex qui tractat habenas,
Regali ingenio eſt, &, qui tibi jura miniſtrant,
Officii numquam immemores, ubi munia regni
Sunt obeunda, cibis onerant ſua membra, ſed apto
Tempore diſcumbunt epulis, & corpora duris
Feſſa miniſteriis mulcent, reparantque labori,
Non ut luxuriæ laxentur frena pudendæ,
Viribus at vegeti præſcripta ad munia ſurgant.
18 Paulatim occultis, domino torpente, ruinis
Tecta cadunt, luit has meritò ſocordia pœnas,
Atque minutatim terræ dilapſa recumbunt.
19 Feſtivis ſunt apta jocis convivia, vinum
Cor levat, at ſolus reſpondet ad omnia nummus,
Solus & ad cunctos pariter ſe accommodat uſus.
20 Sacrilegis clauſo lacerare in pectore verbis
Illum, qui diadema gerit regale, caveto,
Aut vomere in proceres rabidæ mala toxica linguæ,
Interiore domûs reſidens in ſede; hominum gens
Si tacet, aëriæ referent tua verba volucres:
Ad pœnam, aligero populo prodente, trahêris.

CAP. XI.

NE dubita liquidis panem committere lymphis,
Poſt multos redit ille dies, cum fœnore multo:
Non quæ præteritis vidit benefacta diebus
Omnipotens, neglecta jacent, nec fruge carebunt;
Nec qui ſidereum precibus pulſavit Olympum,
Pectore contritus, vacuus mercede manebit,
Sera licet veniat, veniet, mihi credito, tandem.
2 Munificas memor eſto manus extendere ſeptem
Pauperibus, nec tu, veniat ſi octavus ad ædes
Fortè tuas, occlude fores, inopemve remitte:
Scilicet humanæ fugiunt te incommoda vitæ
Plurima, quæ variis adeò eſt obnoxia damnis,
Et tantùm in levitate ſua conſtare videtur.
3 Nubila ſe in liquidas ſolvunt prægnantia guttas,
Lataque lætifico perfundunt arva rigatu;
Tu quoque, ut à mutis capias documenta magiſtris,
Nubis ad exemplum gravidæ, quæ ſponte liquentes
Prodiga fundit aquas ſitibundæ in guttura terræ,

Tempora, ſub gelido tibi traducenda ſepulcro:
Nil niſi quod prorſus vanum eſt tibi vita miniſtrat.
9 Lætitiâ exſulta, juvenis! juvenilibus annis,
Et tua ſepoſitis hilarentur pectora curis:
Carpe voluptates varias, genioque libenter
Gratificare tuo: nullâ dulcedine, nullis
Illecebris, quaſcumque oculis animoque requiris,
Abſtineas; at miſta tamen ſint ſeria lætis:
Judicis ad magni tandem rapiêre tribunal.
0 Ergò abſiſte animum ſtudiis corrumpere pravis,
Nec tua flagitiis maculentur membra pudendis,
Namque juventa fugax rapido volat ocior Euro.

CAP. XII.

AUctoris memor eſto tui jam in flore juventæ
Purpureo, firmata ſuis dum corpora nervis
Sana vigent, ſolidæque ſuo ſtant robore vires:
Dum tibi tempus abeſt triſtis lugubre ſenectæ,
Dum tibi decrepitæ procul abſunt tædia vitæ,
Lingua nec in miſeras ſenii languore querelas
Solvitur: Ah! cur fata gradum tardata morantur?
Hei mihi! vivendi quòd adeſt jam nulla voluptas!
2 Dum tibi luna ſuum referunt fraterque nitorem,
Nocturnæ nec flamma facis, nec flamma diurnæ,
Aſtraque fuſcantur nitidos caligine vultus,
Nubila nec pluviis redeunt tenebroſa fugatis.
3 Scilicet, occidui in duris languoribus ævi
Cuſtodes, queis cura domûs commiſſa tuendæ,
Debilitate ſimul, gelidoque horrore, tremiſcent;
Atque viri curvos validi flectentur in arcus;
Verſanteſque molam, numero pereunte ſuorum,
Abſiſtent aſſueto operi, tenebriſque tegentur
Qui geminum geminis caput exſeruere feneſtris.
4 Cunctaque per plateas claudentur limina cunctas,
Dum ſonat exiguo mola circumflexa ſuſurro,
Mollis & ex oculis pariter cum voce volucris
Criſtatæ ſopor aufugiet, corpuſque monebit
Inviſo relevare toro; tenuique crepabunt
Murmure ſuaviſonæ labefactâ voce puellæ.
5 Tunc miſeris quodcumque vident ſublime timorem

In-

Scribendi ſine fine libros innata cupido
Inſtimulat, quos nemo valet percurrere cunctos,
Quamlibet immenſo ſeſe ille labore fatiget,
Continuans luci tenebras, lucemque tenebris.
3 Jam mihi dictorum repetenda eſt ſummula, tuque
Audi avidè, & monitis animos advertito noſtris,
Senſibus hæc imis, res eſt non parva, reponas:
Fac vereare Deum ſincero pectore, nec non
Divinis faciles adhibe tu legibus aures:
Hic ſcopus, humanæ meta eſt hæc unica vitæ,
Quam ſpectare decet ſenium cum flore juventæ,
Et pueros, cum virginibus, matreſque, nurusque.
4 Quidquid enim mundi factum eſt ab origine, quidquid
Fiet ad extremo radiatum lumine ſolem,
Cùm chaos antiquum, mundo pereunte, redibit,
Singula librabit trutinâ Deus ipſe ſeverâ,
Seu pia, ſeu, contrà, ſint impia; ſive tenebris
Obruta, ſive diem videant manifeſta ſerenum.

FINIS.

CAN

Clara per attonitas fundit miracula terras:
Corpora ſanguineo tibi nunc inimica flagello
Strata jacent, latoſque procul diſperſa per agros.
6 Tu ſurgens, animo meritas ubi concipis iras,
Sternis humi, trepidoſque fugâ citò diſjicis hoſtes:
Hinc penitùs conſumta jacet vis hoſtium inanis,
Ut ſtipula in mediis ubi decidit arida flammis.
7 Afflatu, Pater alme! tuo, maris æquora rubri
Præcipiti coiêre gradu, labentia latè
Flumina concurrêre ſimul, ſublataque in altum
Mox Scythicâ tamquam glacie durata rigebant.
8 Perſequar, & prædam arripiam, (ſic impius hoſtis
Dixerat) & ſpoliis ſubitò ditabor opimis,
Et vaſtas adipiſcar opes, ferrumque recludens,
Inſequar, & mediàs feriam mucrone medullas.
9 At flabris, Deus alme! tuis poſtquam æquora torques,
Mox hoſtes rabida unda tegit; plumbi gravis inſtar,
Protinùs in medio merſi jacuêre profundo.
0 Quem Tellus, Pater alme! tibi? quem præferet æther?
Sanctius, aut æquè ſanctum, quid terra vel æther
Protulit? aut tantam meruit quis laude coronam?
Aut quis tam validâ faciat miracula dextrâ?
1 Te dextram tendente tuam, mox terra reſorpſit
Agmina terrificæ ferro radiantia turbæ.
2 Tu populum, Rex magne! tuum, bonus atq; benignus,
Eductum penitùs, ſævoque ex hoſte receptum,
Cuſtodis, validâque manu perducis ad uſque
Intemerata tui tutum ſacraria templi.
3 Multorum attonitas populorum hic rumor in aures
Terribilis veniet ſubitò, timor obruet ingens
4 Regna Paleſtinæ, quatietque ferocibus horror
Corda viris, trepidoque animi terrore liquefcent;
Quàm latè indomiti tellus patet ampla Moabi,
Regnaque diverſis Chananæa ſubdita ſceptris:
Tunc & Idumæi parili quoque more ſtupebunt.
5 Illis membra novus ſolvet formidine torpor
Protinus, immotique ſimul, mutique jacebunt,
Ceu verſa in rigidum fuerint ſua corpora ſaxum,
Dum populum tranſire tuum, Rex maxime Regum!
Dum populum tranſire facis de morte redemtum.
6 Iſacidas, Deus alme! tuos tua dextera ducet,
Adductos quoque plantabit ſuper alta Sionis

CANTICUM MOSIS,

Quod continetur DEUTER. Cap. XXXii.

Latino carmine redditum:

Eodem GULIELMO HOGÆO Auctore.

AUdite, ô Cœli! quæ nunc ego verba profundam;
Et voces, ô terra! tuam demitte per aurem
Mellifluas, quas ipſe canam dulcedine mirâ.
2 Magna canam, miranda feram, memoranda recludam,
Queis, gens Iſacidûm! cupidas ſi advertitis aures,
Efficiant virtute animum floreſcere, tamquam
Cœleſtis cadit imber aquæ, quo gramina ſurgunt,
Ac veluti ros manè novo deſcendit in herbas,
Indeque purpurei revireſcit gloria prati.
3 Nam ſanctum celebrabo Deum, rerumque Parentis
Jure ego doctiloquâ referam præconia linguâ:
Vos quoque facta Dei linguis celebrate diſertis.
4 Ille velut rupes medio eſt firmiſſima ponto,
Quæ fremitus ſalientis aquæ contemnit inanes:
Propoſitis non ille ſuis fruſtrabitur umquam:
Ille ſibi conſtat ſemper, juſtique tenorem
Et veri rectique colit ſervatque perennem,
Flagitium, fraudiſque dolos exoſus iniquæ.
5 Ah! genus Iſacidûm! quid priſco à ſanguine vitam
Degenerare tuam, & morum ſplendore coëgit,
Avertitque tuos patrum de tramite greſſus?
6 Siccine, gens inſana! animique & pectoris expers,
Sic benefacta Dei magna & præclara rependis?
An non ille tuus Genitor, qui à cæde redemtam
Reſtituit, morriſque truci te à fauce revulſit?
Et ſtabilem juſſit fieri, in ſolidoque locavit?

7 Mente memor veterum reputa nunc ſecla dierum,
Ætateſque animo intentus perpende priores:
Inquire in patres, & avi rogitentur avorum,
Hæc uno, tibi quæ narro, ſimul ore docebunt.
8 Cùm Pater omnipotens ſobolem diſperſit Adami
Per terras, varioſque locos habitare coëgit,
Sic varios habitare locos, diverſaque regna
Fecit, ut Iſacidûm fuerit memor ille ſuorum.
9 Nam Deus hanc gentem elegit, lectamque dicavit
Hanc ſibi, ceu privam patrimonî in ſecula ſortem.
10 Hanc olim invenit Arabum per inhoſpita ſaxa,
Antraque ſilvicolûm latebris horrenda ferarum;
Hanc circumduxit placidè, vitæque beatæ
Inſtituit ſervare vias, oculique tenella
Ceu fuerit pupilla ſui, tutatus ubique eſt.
11 Sicut ineſt aquilæ pullorum cura ſuorum,
Queis ſuperincumbit, panſiſque ſupervolat alis,
Attollitque humeris geſtans per inane, docetque
Aërias tentare vias, & ſcandere nubes:
12 Sic populum Deus ille ſuum, Deus ille fovebat,
Non dii, quos animi fingunt deliria vani:
13 Monſtravitque viam cultas quæ ferret ad urbes,
Divitiis, opibuſque, & feſtâ pace virentes:
Luxuriantis agri ſegetes ut paſceret almas,
Ut fluerent illi ſaxorum è viſcere mella
Dulcia, florentique ſilex undaret olivo.
14 Ut vaccæ butyrum, & uti lac dulce miniſtrent
Ubera lanigerarum ovium, atque ut (qualia paſſim
Pulcra Baſanæos tondent animalia montes)
Deliciàs placidi pinguis caro præbeat agni,
Trux aries, hirtus caper, & bona copia frugum,
Uvarumque etiam biberet de ſanguine puro.
15 At ſimul increvit luxuſque, & copia rerum,
Ingratâ jam mente Deum contemſit avorum,
Rejiciens penitus ſanctarum dogmata legum:
Sicut equus, qui colla negat ſubmittere freno
Sævus, & in dominum furit atque recalcitrat ipſum,
Haud aliter certè gens hæc maleſana rebellans
In patrium movet arma Deum, donaverat illis
Qui vitam, totieſque datam de morte redemit.
16 Nam falſos coluêre deos, & numinis iram
Atrocem idolis irritavêre profanis:

17 Damo-

7 Dæmoniiſque litant inferna in ſede ſepultis,
Non Regi ætherio, qui ſidera celſa gubernat;
Et ſacris placare focis nova numina tentant:
Numina, non umquam patribus venerata vetuſtis,
Numina, non audita aut viſa prioribus annis,
Quæ nuper commenta hominum mens impia finxit.
8 Uſque adeò, Abramidæ! vobis de mente profana
Excidit æternus mundi Rectorque Parenſque,
Qui vos, ô quoties! miro dignatus honore eſt.
9 Hæc populi malefacta ſui ſpectavit ab alto
Omnipotens, natoſque ſuos, nataſque rebelles,
Degenerare videt penitùs: Pater ergò perennis
Jure fuit calidâ graviter ſuccenſus ab irâ.
10 Hæc igitur ſecum: noſtri nunc lumina vultûs
Abſcondam: quàm dura, ſciet, fortuna ſequatur,
Me vultum condente meum, gens iſta rebellis,
Quæ præſcripta ſibi pariter promiſſaque ſpernit.
11 En! me ſtirps rabidas Jacobi accendit in iras
Impia, dum in varias ſimulacra exciſa figuras,
Marmoraque, pictique colit ludibria trunci:
Quâ mercede igitur gentem penſabo rebellem?
Facta ego cum patribus diſſolvam fœdera, & illam
Rejiciam, genteſque alias mihi fœdere jungam
Perpetuo, ac lenis placiduſque ampleƈtar: at illi
Hæc adſpectanti ſtimulis præcordia pungam
Invidiæ, luƈtuque animos tabeſcere cogam.
12 Namque furore meo fera flamma accenſa, repentè
Deſcendens, terram, ac fruƈtus, alimentaque terræ,
Et pariter vaſtos in fumum atque æra montes
Vertet, & horrificæ penetrabit ad ima gehennæ.
13 Degener Iſacidûm ſoboles! ego jure dolores
Accumulabo tuos, plagis tua membra cruentis
Dilacerabo, unum faciam de corpore toto
Vulnus, & innumeris feriam tibi corda ſagittis.
14 Conſumet te flamma ferox, inopinaque ſtrages
Opprimet, immiſſæque truces te dente vorabunt
Terribileſque feræ, & morſu lethale necabunt
Pulvere te ſaturæ, rapientque in fata, lacertæ.
15 Imperioſa fames urbem prædabitur intùs,
Exteriùs medios gladio bacchante per agros:
Hinc pulcri juveneſque ſimul, mixtæque puellæ,
In fera fata ruent, & matris ab ubere vulſos

Mors

Quod facit, eſt numeris expletum, eſt partibus aptum:
Undique perfectum tenuem tornatur ad unguem.
Stat pacti ſincera fides. Rex magnus Olympi
Labe caret, culpæque exſors, & criminis expers,
Exemplum recti, norma æqui, regula veri.
At proles corrupta patris veſtigia liquit
Degener, & ſcelere obſtrinxit mentemque, manumque,
Infelix. Quæ tanta animo dementia crevit?
Siccine pro meritis grates malè grata rependis?
Non Rex ille tuus, qui te ſævo hoſte tyranno
Eripuit? lethique vias & vincula rupit?
Non Genitor? non ille auctor? non conditor? ecquid
Finxit humo fragiles artus, pictamque polivit
Effigiem, membriſque dedit mentique vigorem,
Et ſenſum ætherеum, & libatam cœlitùs auram?
Tene ſibi cunctis prælatam gentibus unam
Selegit? nunc ſecla animo complectere, tecum
Nunc reputa annales: primæque ab originis ævo
Priſca memor pervolve: tuos affare parentes,
Percontare ſenes: pater hîc te temporis acti
Inſtruet exemplis: quorum eſt maturior ætas,
Cuncta renarrabunt, atque ordine ſingula pandent.
Principio, cœlum ac terras qui condidit altas,
Arbiter, ut gentes habitandum immiſit in orbem,
Et genus humanum varias disjecit in oras,
Externis poſuit metas & regna colonis,
Pro numero Iſacidûm: non ille oblitus & ictum
Fœdus, & æternum, quo ſe devinxit, amorem:
Namque Jovæ ſors una, Jovæ pars una Jacobi
Progenies: quæ ſola quidem, ſed cara parenti.
Hanc deprenſam olim vidua cultoris in ora
Per loca ſenta ſitu, per dumis aſpera duris
Teſqua, per horrendos ſaltus & inhoſpita ſaxa
Duxit inerrantem, non, quà via proxima, callem
Difficilem, rupeſque altas, adituſque malignos,
Traduxit: longos ac circumflectere curſus
Ceſſantem: & metas Arabum luſtrare remotas
Inſtituit. Non ulla moræ diſpendia tanti,
Quin tecti incedant tutò; ceu pupula, cornu
Quam vitreo murus cingit cryſtallinus: & quam
Non ſecus ac vallo, teneri munimen ocelli
Sepſit utrimque pilis: celsâque crepidine ſurgunt

Progenies, ſtirps ſancta, ſatur jam ac farta, refertaque
Et differta nimis, denſo diſtentaque pingui,
Ecce! ferox (ut equus craſsâ farragine corpus
Cui tumet, & ſurgunt animi, ſufflante ſaginâ)
Calcitrat, & crebro dominum pede verberat, ictum
Congeminans: fontemque ſuæ rupemque ſalutis
Rejicit: externos ritus, peregrinaque ſacra,
Omnigenûmque Deûm monſtra, ac ludibria cœli,
Suppliciter venerans accendit numinis iram,
Et juſto livore Dei ciet æmula corda.
Eloquar, an ſileam? ſcelere atque immanibus auſis
Informes laxata ſinus, ut adultera, paſſim
Proſtituit ſeſe inceſtis Cacodæmonis atri
Cultibus: & ſupplex aris mactavit honores.
Demens, quæ cœli atque ſuum numenque patremque
Abjecit: patremque Deum, numenque paternum:
Ut patribus nec culta, ſibi nec cognita, nuper
Nata, nefas! portenta colat, vereatur, adoret.
Scilicet hæc pietas? ſic vitæ dona reponis?
Et benè apud memorem veteris ſtat gratia facti?
Ergò ubi ſiderea Genitor ſublimis ab arce
Proſpexit, prolemque ſuam, gentemque ſuperbam
In pejus ruere: & ſeſe jam ſæpè repulſum;
Digna, indigna pati: vitiis infenſus, & irâ
Terribilis, tales erumpit pectore voces:
Heu gens prava! mihi proles malefida! quid ultrà
Demoror? hinc placidam pacati luminis auram
Deflectam: & vultum ſubducens ora recondam.
Securus ſpectabo manent quæ fata rebelles.
Olli me divis irritavêre profanis:
Succendêre meum numen per inania rerum.
Fas mihi, fas inquam (nam fert ita corde voluntas)
Æmula per vanam ſuccendere pectora gentem.
Ergò mea ſubitò candenti igneſcet ab ira
Flamma vorax: terræque vias, Orcique latebras,
Tartareoſque lacus imus pervaſerit ardor:
Et gelidos tractus, & ſubterranea regna,
Telluriſque ſolum, & ruris populabit honores:
Ardebunt montes, everſaque fundamenta,
Et flammis abſumta, leves minuentur in auras.
Jamque novò feſſos cumulabo mole malorum:
Telaque miſſa manu torquebo protinus omnia

Nam quales trudit gemmas Sodomæa propago,
Et Gomorrhæis liveſcunt collibus uvæ,
Talis ab hac radice mali denſiſſima ſilva
Erumpit: ſcelerumque ferax labruſca racemos
Fert triſti infames ſucco. Non fellis amari
Noxia vis, non dira aconita, aut quidquid acerbi
Anguis alit venis, aut ictu vipera ſævo
Crudeſcens jacit, illorum contendat acerbis
Fructibus, aut baccis vitiorum certet amaris.
Nonne hæc cuncta meæ conſervant condita cellæ,
Obſignantque ſeræ? mihi fas depromere ſoli:
Miſcere undantem pateram: de fæce bibendos
Porgere lethales ſuccos: unde impius omnis
Hauriat exitium, & fundo ſe proluat imo:
Dum titubata ruunt dubio veſtigia lapſu,
Inſtat ſumma dies, inſtat, fera fata propinquant.
Quippe ſuos, poſt tot clades ac dira cadentum
Funera, poſt varios bellique fugæque labores,
Arbiter ætherius ſolio placatus ab alto
Reſpiciet feſſos: &, opis miſeratus egenos,
Jura dabit ſcelerum vindex, ultorque ſuorum.
His hoſtem inceſſit dictis: Ubi numina tandem,
Numina magna Deûm? quibus & ſpes veſtra, fideſque
Nixa fuit? quorum dapibus, cum flore Lyæo,
Pinguibus expleti, tauros mactaſtis ad aras
Ingentes, pateriſque merum libaſtis & auro?
Exſurgant, in bella ruant: glomerentque ſub armis
Auxilia: obtentuque ſui vos numinis umbrent.
Me, me, adſum qui feci, in me convertite vultus,
Oraque, & attentas intento lumine mentes:
Cernite me, mea vis omnis: nihil iſta nec auſint,
Nec poterint. Deus, ecce Deus! qui vulnera figo
Dura manu, atque eadem, quamquam lethalia, ſano.
Solus ego ſontes animas ad triſtia trudo
Tartara: rurſus & infernis ego ſolus ab umbris
Pallentes revoco dulces in luminis auras.
Dô vitam, tolloque: & lumina morte reſigno:
Nec quiſquam hanc dextram, quâ vi, quâ fraude, potentem
Effugiat. Dextram attollens ad ſidera fabor:
Sic æterna mihi longum ſtet vita per ævum,
Si gladii fulgentis acutâ cuſpide lamnam
Cudero fulmineam, & populis dare jura vocatis
Cœpero;

Poeticum Duellum:

SEU

GEORGII EGLISEMMII

CUM

GEORGIO BUCHANANO

Pro dignitate Paraphraſeos Pſalmi CIV. *certamen.*

Cui adnectitur

GUL. BARCLAII, amœniorum Artium & Medicinæ Doctoris, de eodem certamine judicium; nec non conſilium Collegii Medici Pariſienſis de ejuſdem EGLISEMMII maniâ, quod carmine exhibuit ARCTURUS JONSTONUS M. D.

NON VIOLANDI MANES.

Subjunguntur etiam ejuſdem PSALMI aliæ Paraphraſes Poeticæ ſex, auctoribus totidem SCOTIS!

Juxta optima quæque earumdem Paraphraſeôn exemplaria expreſſæ.

EDINBURGI:
Apud THO. & WALT. RUDDIMANNOS, 1739.

GULIELMI BARCLAYI

AD

G. EGLISEMMIUM

EPIGRAMMA.

MUltis note diebus, Egliſemmi!
Et annis mihi valdè amate multis:
Hâbet me malè, non pudet fateri,
Scribendi cacoëthes hujus ævi.
Hoc te crimine liberum putâram,
Donec venerat in manum libellus,
Quo tu præcipuum Triariorum
Ad certamen es auſus evocare.
Sed oh! quot dabis omnibus, quot unis
Dabis Pariſiis, amice! pœnas:
Qui non ſorte, ſed optione, Judex,
Pararunt tibi in arce Tullianum.
Ergò opprobria tempori recanta,
Et manus dato manibus Poëtæ:
Aut in carcere quadrupes peribis.

G. BAR-

G. BARCLAIUS,
MEDICINÆ DOCTOR,
GEORGIO EGLISEMMIO,
Medico Regio, amico ſuo
S. P. D.

PSalmos, materiem publicam, & in medio poſitam, poëticâ paraphraſi expreſſit elegantèr Buchananus, poëta, ſi temporis, ſi ſermonis ratio habeatur, interioris notæ. Ante eum, idem argumentum aliquot, poſt eum, plurimi tractaverunt. Nemo tamen inventus eſt, qui auderet palam cum eo de lauru contendere, præter te, amice Egliſemmi! cujus verſus tàm cupidè legi, quàm incautè ſcripſiſti: exſpectabam ab illo ingenii tui arvo molles violas & purpureum narciſſum: ſed ut video;

Carduus & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Succenſeo, neſcio an dicam, temeritati tuæ; ſed ſuccenſeo tibi, in medio Doctorum, in conſpectu doctiſſimi Principis, auſo revocare in arenam jam diu rude donatum, & quaſi quemdam, ut ita loquar, laniſtam Poëtarum. Tuli, ingenuè fateor, acerbè hoc certamen, & certè ſæpius hæc mecum, Quid dicent cis citraque Alpes Literati? Nempe,

Certent & cygnis ululæ, ſit Tityrus Orpheus.

Quis non ſtringet in te calamum? Scotia te perſequatur, cujus fuit proles; Pariſini exſibilabunt, quorum fuit alumnus; Burdegalenſes deridebunt, quos erudivit; Quid te fiet?

Cui neque apud Danaos uſquam locus; inſuper ipſi Dardanidæ infenſi.

Cenſeo (ut primus omnium eruditorum impetus comprimatur) carmen tuum domi verbis, non dicam verberibus, caſtigandum. Sic ſine dolo malo exteri minus duriter te excipient. Hoc officii genus, ego verò, ac lubens ſuſcepi, & tuâ, & patriæ, & poetæ cauſſâ. Carmen tuum ergo reddam incudi, te, ut decet, & ut debeo, multùm amabo. Vale.

PARAPHRASIS

PSALMI CIV.

Auctore GEORGIO EGLISEMMIO, Medico Regio.

MEns, age! depositâ curarum nube, canoras
Pange Deo laudes. O inviolabile numen!
Imperio penetrans magni sacraria mundi,
Te niveæ cinctum radianti lucis amictu
Splendor, & aurato vêlamine gloria vestit.
Tendis ut aulæum rutili flammantia cœli
Culmina, mobilibus cœnacula ponis in undis.
Temones densisque rotas è nubibus aptans.
Ventorum alato peragras sublimia curru.
Servitum properat flamma comitante voraci
Spirituum pennata cohors. Ne sedibus unquam
Pulsa datis abeat tellus, compage solutâ,
Libratur gravitate sui; cæu veste fluenti
Alta superfuso velante cacumina ponto,
Delituit quondam; tua vox ubi sacra profundum
Increpuit, tonitruque poli sonuêre fragosa
Murmura, præcipites fugiunt in cærula fluctus,
Conspicui nudata levant fastigia montes,
Subsidente cavis humili cum vallibus agro,
Labitur ad priscos aqua per declivia fines,
In varios collecta sinus, transvolvier illinc
Nescia, plangendo resonantia saxa lacessit,
Ne liquido rursum latitet sub marmore tellus,
Fontibus è nitidis valles, argenteus, implet
Per tumidos rivus flectens vestigia colles.
Libabit latices campis quæcumque vagatur

Bellua

; qui ſilvis onager ſe triſtibus abdit
t ille ſitim: volucris quacumque ſtrepentî
e pennarum vacuas nitetur in auras,
io frondente toros ſtructura loquaces,
at hic vocum tremulo diſcrimina cantu.
ſio montes irrorant aſtra liquore,
ribus ſatiata tuis, pecorique virique
obſequiis, alimentis dulcibus aptas.
't humus teneris gemmantes floribus herbas,
meos animis nectentes gaudia ſuccos,
eas oleæ fragrantis ut ora ſerenent,
rerem valido firmantem corda vigore.
os fœtus, tineis impervia cedri
tu ſaturas, Libani quæ conſita celſo
e, progeniem volucrum nidoſque tuentur.
nimis eſt felix abies, hâc vimine texta
la caſtra novat clangente ciconia roſtro.
ori filices, pavidis juga ſenta receſſum
lias damis: conſtanti temporis ortu
tans lunare decus renovare figuras,
noque jubes pelago decumbere ſolem.
ſoporiferos piceâ caligine vultus
a diffundis tacitum ducentia noctem.
tit intereà ſpeluncis acre ferarum
n, & auxilium cœleſte leunculus eſcam
edam exorans, rugitibus æthera pulſat.
ecens orto latebroſis invia dumis
ſubit: remeant alacres ad plauſtra coloni,
purpureus det ſera crepuſcula veſper.
e opifex! quanto moliris cuncta decore,
lioque ſtruis! Moles terrena tuarum
s opum exſultat; latè circumſonat ingens
vus; ſeu parva lubet, ſeu magna ciere
ra ſquamigerûm, vitreâ complectitur alvo
meras pinna fluitantes remige turbas.
lentes levibus naves cita carbaſa ventis,
moreoque ſinis balænas gurgite paſſim
ere jucundos placido molimine ſaltus.
, ſumme Parens! hæc inclinata recumbunt
ia, temporibus victum poſcentia certis.
ante accumulant, dextram laxante renident
turata bonis, vultum celante paveſcunt.

Vitales

Vitales reſecante moras animæque nitorem,
Protinùs in tenuem vertuntur pulveris umbram;
Adſperſo rediviva tuo ſpiramine ſurgunt,
Squalentique redit facies lætiſſima terræ.
Compleat æterno venientia ſecula plauſu
Fama Jovæ! Cæras operum monumenta ſuorum
Delicias Rex uſque vocet, cui viſa repentè
Terra tremit: rupes, tactâ radice, vacillans
Exſudat refugos dorſo fumante vapores.
Carmen erit Deus iſte mihi, quoad ultima vitæ
Linea ſuccedet, mihi parì quoad ulla ſuperſtes,
Illi ſacra canam memori præconia cœlitì.
Dulce melos meditatus ei, lætabor eodem:
Rapta ſed in nihilum terras gens prava relinquat.
Pange Deo laudes poſitis mens libera curis!

lius Scaliger sic judicavit, & judicium limatissimo Epigrammate pronunciavit:

Felix Georgi! lectae vane Pater,
Quae dixit immensum mare.
Quid Barbarorum voce squalentem alienâ,
Merisque ungis obsitum,
Inexperientem non ferendis artibus,
Audire memet postulas?
Plectrumne Phoebo temperante, Marsyas
Tentabit ictum pellicis?
Amabiles Thalia si faciat modos,
Garrire pica gestiet?
Te natum ad alta Pegasi cacumina,
Tepente susceptum sinu,
Regina sacri magna Calliope seni
Liquore non moto imbuit:
Deditque palmam ferre de tot gentibus,
Latina quot colit cohors,
Puris beatâ voce tessellis nitor
Perstringit aures candidas,
Flexuque ducta vena dulcis aureo
Quam sustulit, iterat sitim,
O me superbum mole sublatum novâ,
Te Literatorum Deo!
Desideratum abesse me, ut scribis, doles,
Quod aliquid esse me putes:
Te te ipse contemplator, in quo cuncta sunt,
Et vota lenies tua.

Vulgò cantatum breve carmen *Caroli Utenhovii*, sed secutum, sed acceptum, tollit omnem spem unquandi gloriam *Buchanani:*

Tres Italos Galli senos vicêre, sed unum
Vincere Scotigenam non potuêre novem.

Tres Galli, *Michael Hospitalius*, Franciæ Cancellarius, *Adrianus Turnebus*, Regius Græcarum Literarum apud Gallos Professor, *Joannes Auratus*, Poëta Regius. At qui viri? Soles sui soli. Sex Itali, *Accius Sincerus Sannazarius, Hieronymus Fracastorius*, Doctor Medicus, *Marcus Antonius Flaminius, Marcus Hieronymus Vida, Andreas Naugerius* & *Petrus Bembus* Cardinalis. Quæ lumina? Lunæ sui cœli. Horum nomina potuissent deterrere vulgare ingenium.

rum & magnorum, in omne genus hominum, famæ meritorum. Ergò famæ pars quædam gloria eſt. At famæ quis neſcit eſſe pennas? Supereſt unica ratio illuſtrandi carmen Divini hujus Poëtæ: ſi ſubnectamus verſus *Eglisemmii*, ut tamquam Æthiopes jubeant noſtrates Europæos apparere candidiores.

EGLISEMMIUS.

Mens, age! depoſitâ curarum nube, canoras
Pange Deo laudes.———

Mens, age! Quantum hoc principium ab illa Majeſtate?

Te, rerum Deus alme! canam.———

Conſulat qui vult aures, maluiſſem ego,

Eia age! depoſitâ curarum nube.—

Quid hîc *curæ*? quid *nubes*? Propheta non ſuggeſſit, Poëta non præviit. Malum omen curarum mentio in ipſo limine lætitiæ.

———O inviolabile numen!
Imperio penetrans magni ſacraria mundi.

Inviolabile, Nec huic rei, nec huic loco convenit. Non rei: quia & Spiritus & Cœli inviolabiles. Non loco: quia toto Pſalmo canitur gloria Dei ex operibus, quæ amorem excitent, non timorem incutiant, non vim, non vulnera, non violentiam loquantur. Scio *Simonem* dixiſſe.

—Et non violabile veſtrum Teſtor numen.—
Imperio penetrans magni.———

Hunc verſum Propheta ſi viveret expungeret: & exiſtimo auctorem ipſum brevi inducturum, memorem nihil tale in textu profaïco inveniri.

VATABLUS.

2 Qui operit ſe lumine, tamquam veſtimento: qui extendit Cœlum tamquam cortinam.

BUCHANANUS.

Et circumfuſum veſtit pro tegmine lumen.
Tu tibi pro velo nitidi tentoria Cœli.

Nota, quàm eleganter *veſtiat* orationem *luminibus* eloquentiæ:

Prophetæ, non circumloquitur. Examina singulatim: *fuſpendit*; nihil poteſt Latiniùs dici: *Nymphas*, ut mirabilium appareat, *liquidas*; *curvo fornice*. Quid poteſt magis ornatius? Quid puncioribus clarius?

EGLISEMMIUS.

——Mobilibus cœnacula ponis in undis,
Temones, denſiſque rotas è nubibus aptans.
Ventorum alato peragras ſublimia curru.

Undæ ſignificant aquas aliquando: ſed præter *Lucretium* nemo homo eſt, qui pluvias aquas vocet *undas*: & ille quidem *aërias undas*, vocat nubes potiùs quàm pluvias. Quæro ex te, an aptans temones peragret ſublimia? quòd otium aptandi paulò antè defuerit: cùm ſolum eum, aut otioſum meritiſſimè nos Chriſtiani negemus.

VATABLUS.

4. Qui facit Angelos ſuos Spiritus, miniſtros ſuos ignem flammantem.

Quoniam hîc verſus negotium faceſſit Theologis, exprimit Poëta ſenſum veterum Hebræorum, quem hauſerunt à *R. Salamone*. Reliquit controverſiam intactam, quam verè & eleganter diremit *Theodoretus*.

BUCHANANUS.

Apparent accinctæ auræ, flammæque miniſtræ,
Ut juſſa accipiant.——

Non potuiſſet ipſum Latium Latiniùs loqui. Ponderemus verba. *Apparent*, Quàm propriè? Apparitorum enim eſt adeſſe officii cauſſa. *Accinctæ*, hæc vox auget proprietatem præcedentis. Quàm oppidò paratæ ſunt, quæ non ſolum *apparent*, ſed *accinctæ* apparent?

EGLISEMMIUS.

Servitium properat, flammâ comitante voraci,
Spirituum pennata cohors.——

Bone Deus! quid hæ tenebræ cum illo lumine? non ſic loquebantur Romani. Non neſcio *Virgilium* cecinisſe,

——*Ant*

——Aut Græcis ſervitum matribus ibo.

Non facilè tamen invenies *ſervitum properare*: Romani properare Romam, Properare in urbem, Properare ire, ſcribere, non itum, ſcriptum: nullum probum auctorem habet hæc formula loquendi.

VATABLUS.

5. Fundavit terram ſuper baſes ſuas, ne moveat ſe in ſeculum & in ſeculum.

Deſcendit jam Poëta ab aëre in terram: in qua paulò diutius moratur, tamquam in ſede hominibus, & notâ diu, & habitatâ.

BUCHANANUS.

——Stat nullo mobilis ævo
Terra ſuper ſolidæ nitens fundamina molis;
Pollenti ſtabilita manu.

Proſa oratio, *Ne moveat ſe in ſeculum & in ſeculum.* Verſu, *Stat nullo mobilis ævo terra.* Si Propheta fuiſſet Latinè loquutus, uſus fuiſſet his verbis aut ſimilibus. *Fundavit terram ſuper baſes ſuas.* Duæ cauſſæ ſunt propter quas terra tota non movetur: altera à centro petitur, in quo gravioria cuncta conquieſcunt: altera à juſſu Dei, cujus juſſa non capeſſere, planè contra naturæ jus eſt. Utramque cauſſam eruditiſſimus Paraphraſtes complectitur:

——Super ſolidæ nitens fundamina molis,
Pollenti ſtabilita manu.

EGLISEMMIUS.

——Ne ſedibus umquam
Pulſa datis abeat tellus, compage ſolutâ,
Libratur gravitate ſui.——

Ovidius in eadem materia iiſdem penè verbis aliter proferebat,

Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata ſuis. Non *ſui.*

Si quis ita loqueretur ex iis qui nondum ære lavantur ad Cœmeterium Divi *Pauli*, haud dubiè non effugeret ferulam.

VATA-

VATABLUS.

6 Voragine tamquam veſtimento operuiſti eam, ſuper montes ſteterant aquæ.

Familiare fuit Prophetæ, aquam, nivem, veſtibus, lanæ comparare. Alibi, *Qui dat nivem ſicut lanam.*

BUCHANANUS.

——*Terra obruta quondam*
Fluctibus, ut ſuſo ſuper ardua culmina velo.

EGLISEMMIUS.

——*Ceu veſte fluenti*
Alta ſuperfuſo velante cacumina ponto,
Delituit quondam.——

Hîc deſidero gluten, quo hæc adhæreant ſuperioribus. *Buchananus* repetitâ voce *terra*, eleganti figurâ, reddidit orationem plenam. Hic, omiſsâ particulâ *quæ* aut *hæc*, aut aliâ ſimili, reliquit in oratione abyſſum, qualem deſcribit. Præterea vox *velante*, meo animo, ſuperflua eſt.

VATABLUS.

7 Et tamen ab increpatione tuâ fugerunt, à ſonitu tonitrui tui feſtinaverunt.

BUCHANANUS.

Sed ſimul increpuit tua vox, tonitruque tremendo
Inſonuêre auræ.——

Nonnè auditur quoddam artificioſum tonitru in iſtis verſibus, quo Poëta ipſam quodammodo videtur adæquare naturam? Audiamus jam *Egliſemmium.*

EGLISEMMIUS.

——*Tua vox ubi ſacra profundum*
Increpuit, tonitruque poli ſonuêre fragoſa
Murmura, præcipites fugiunt in cærula fluctus.

Audiuntur in verbis *Buchanani* quaſi nubes ipſæ diſſilientes: In iſtis, ——*Vox*
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.

Labitur ad priſcos aqua per declivia fines.

Primus hic verſus poteſt eſſe cujuſlibet Poëtæ: ſi decem fila talia intertinxiſſent totum hoc aulæum, fuiſſet planè dignum Aulâ. Subſidit tota elegantia ſecundo verſu, nugationeque & tautologiâ corrumpitur:

Subſidente cavis humili cum vallibus agro.

Vatablus.

9 Terminum poſuiſti iis quem non pertranſibunt; non revertentur ad operiendum terram.

Hîc tria quærenda ſunt: Quis fixit terminos maris? *Deus, Job. cap. 38. verſ. 10. Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi; Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* At qui ſunt termini? Arena: *Hier. 5. ver. 22. Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit.* Si præceptum eſt ſempiternum, cur redierunt aquæ in diluvio? Redierunt juſſu Dei: hoc autem non eſt violare præceptum, obedire præcipienti.

Buchananus.

Nève iterum immiſſa tellus ſtagnaret ab unda,
Limitibus compreſſa ſuis reſonantia plangit
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas.

Hæc vel *Virgilio* digniſſima carmina, videamus quo artificio imitatur

Eglisemmius.

In varias collecta ſinus, tranſvolvier illinc
Neſcia, plangendo reſonantia ſaxa laceſſit,
Ne liquidi rurſum latitet ſub marmore tellus.

Hæc Diſcipuli ſunt, illa Præceptoris: hæc pueri, illa viri. Quid aio? Hæc Verſificatoris, illa Poëtæ, & Poëtæ quidem Principis. Jam quid ad mentem Prophetæ?

In varios collecta ſinus.——

Plus continet quàm Propheta dicit.

——tranſvolvier illinc.

his adjunctis naturam onagri planè exponit, quam Propheta tacitè tantùm ponit.

EGLISEMMIUS.

Libabit latices campis quæcumque vagatur
Bellua, qui ſilvis onager ſe triſtibus abdit,
Eximat ille ſitim ——

In primis; nulla particula nectit hanc orationem ſuperiori. Quàm egregiè *Buchananus*, *Unde ſitim ſedent?* Tum quod addit de onagro, à *Buchanano* ſurripuit. Nam in ſacro contextu non dicitur onager ſilvas incolere, aut ſilvis ſe abdere.

VATABLUS.

12 Juxta eos fontes volucres Cœli habitant, inter frondes dant vocem.

BUCHANANUS.

—— *Hic, levibus quæ tranant aëra pennis,*
Per virides paſſim ramos ſua tecta volucres
Concelebrant, mulcentque vagis loca ſola querelis.

Concelebrare tecta, didicit à Lucretio: ego planè ſuſpicio quot voces, tot Margarita.

EGLISEMMIUS.

—— *Volucris quæcumque ſtrepenti*
Verbere pennarum vacuas nitetur in auras,
Hoſpitio frondente toros ſtructura loquaces,
Mulceat hic vocum tremulo diſcrimina cantu,

Fruſtra hîc moneam cæmentum deeſſe, quod apud hunc nuſquam eſt. Sed operæ pretium eſt advertere animum, quanto hîc verborum apparatu aviculam in ſublime levet, & id quidem ut nidum faciat: hoc enim volunt verba, *ſtructura toros loquaces*. Exſpectabam hîc alaudam enitentem alarum remigio in nubes, ut canorâ voce aures mortalium oblectaret: ſed fruſtra fui, nam omnis hic volandi conatus inſtituitur ad ſtructuram nidi, quod eo etiam eſt abſurdius, quia multæ aves humi nidificant, ut ad eam rem haud opus ſit volatu. Longè deterius eſt, quod de omnium avium cantu ſubjicit, nam naturâ dictante intelligere

Conatus eſt primo verſu imitari Nectar illud *Buchanani*, ſed ſatis eſt. Intueamur propiùs. *Nectar* potus Deorum fuit; *Ambroſia*, cibus. Non ergò tam propriè irrigantur montes Ambroſiâ quàm Nectare. Ad hæc non exiſtimo *aſtra* irrorare montes: nam etſi Cœlum capiatur pro aëre, aſtra non item capiuntur. Si *humus*, quod verbum longè ſequitur, jungatur cum *ſatiata*, nihil legi poteſt obſcuriùs. At *Pecorique viriſque aptas obſequiis:* Quo auctore didiciſti ſic Latinè loqui contra leges Grammaticorum? *Aptas obſequiis viris:* Virorum dicendum erat. Debes Priſciano pœnas: quantò dixiſſes emendatiùs, *pecorumque virumque aptas obſequiis.*

Vatablus.

14 Qui germinare facit fœnum pro jumentis, & herbam ad uſum hominum, & educit panem de terra.

Buchananus.

Unde pecus carpat viridis nova pabula fœni?
Unde olus humanos geniale affurgat in uſus:
Quæque novent feſſas Cerealia munera vires.

Si præter hos verſus nihil umquam *Buchanani* vidiſſem, aſſererem certè hæc eſſe & ſummo judicio viri, & maximo ingenio Poëtæ carmen. Quàm *Apolline* digna ſunt, *Viridis nova pabula fœni*? quàm eleganter, *olus* pro *herba*? & apponit ex interiori Philoſophia, *geniale*. Tùm pro *pane*, *Cerealia munera*: tam Heroïcè, ut nihil ſuprà: Uno verbo, quæ vocula ſine pondere?

Eglisemmius.

Promit humus teneris gemmantes floribus herbas.

Propheta hoc verſu dicit tria, *Egliſemmius* unum. Propheta ponit fœnum, herbam & panem; fœnum jumentis, panem hominibus, &, ne deeſſet obſonium, herbam. *Egliſemmius* exiſtimans panem & fœnum abundare, exprimit ſolùm herbas. Ne utar pluribus, certè manca eſt hoc loco Paraphraſis. Sed quid ad fœnum? quid ad herbas cibarias hæ gemmæ? hi flores? Nam herbæ ſæpenumerò pulcerrimorum florum non eduntur.

Va-

rum, ex veterum, & ſuis epithetis, quaſi verſicoloribus quibuſdam filis; hinc ſubſecuit *Egliſemmius*, *Tineis impervia cedri*. Cedrus enim (inquit puerorum Pædonomus Textor) lignum habet jucundi odoris & tineis impervium. Ad hæc; quis umquam legit *robora cedri*? Eodem jure dicam fagos *cedri*, platanos *cedri*, fraxinos *cedri*: quæ locutiones digniſſimæ ſunt *robore & rubore*.

VATABLUS.

17 Ut ibi aves nidificent, Ciconiæ abietes ſunt domus.

BUCHANANUS.

——— Abies tibi conſita ſurgit;
Nutrit ubi implumes peregrina Ciconia fœtus.

EGLISEMMIUS.

Nec minùs eſt felix abies; hâc vimine texta
Pendula caſtra novat clangente Ciconia roſtro.

Cum quâ confertur arbore felicitate abies? *Ut non minùs ſit felix*: Quæ tandem eſt hæc felicitas? An quòd ſaturatur rore Cœleſti? an quòd ibi aves nidificent? At certè arborum felicitas hæc nulla eſt, eſt potiùs *avium*. Deinde, quis docuit *Ciconiam caſtra ſua vimine texere*?

VATABLUS.

18 Montes excelſi ibicibus, petræ hoſpitium leporibus.

BUCHANANUS.

Tu timidis montes damis, cava ſaxa dediſti,
Tutus ut abſtruſis habitaret echinus in antris.

EGLISEMMIUS.

At lepori ſilices, pavidis jnga ſenta receſſum
Concilias damis. ——

E tot ſententiis interpretum elegit *Buchananus* honeſtiſ-

ſima nomina, ut res videretur ab ipſa natura depingi; ſic *timidi damæ* amant montes, *echini* antra. Certè non diſputabo cum linguæ Hebraïcæ peritis: ſed maximè fugerem ſententiam interpretum, qui ſtruunt lepores. Ratio. Timidum animal lepus eſt, & ideò dicitur dormire apertis oculis, totamque vitæ ſpem in pedibus & fuga ponere; hinc *lepus* quaſi *levipes*. Jam ſaxa, ſilices & montes retardant lepores fugientes. Itaque aperta æquora & campos amant lepores.

VATABLUS.

19 Fecit lunam in tempora, ſol novit occaſum ſuum.

BUCHANANUS.

Tu lunæ incertos vultus per tempora certa
Circumagis, puroque accenſum lumine ſolem
Ducis ad occiduas conſtanti tramite metas.

Ipſe hypercriticus ille Cæſaris nihil carperet in iſtis verſibus, ubi *luna* tot figuris, & *ſol* tam *puro lumine* illuſtrat orationem.

EGLISEMMIUS.

——— Conſtanti temporis ortu
Inconſtans lunare decus renovare figuras,
Occiduoque jubes pelago decumbere ſolem.

Neſcio quo merito luna viſa eſt favere his verſibus, eoſque ſpongiæ ſubtrahere. Imitatio eſt *Buchanani:* ille *incertos, certa:* hic *conſtanti, inconſtans.*

VATABLUS.

20 Ponis tenebras & eſt nox: in ipſa reptat omnis beſtia ſilveſtris.

BUCHANANUS.

Inde ſuperfuſis cuncta involventibus umbris,
Per tacitas ſpargis nocturna ſilentia terras:
Tum fera prorepit latebris.——

Prore-

Prorepit exprimit Hebraicæ dictionis vim: hi verſus obſcuram noctem clarè depingunt.

Eglisemmius,

Tecta ſoporiferos piceâ caligine vultus,
Nubila diffundis tacitam ducentia noctem:
Proruit intereà ſpeluncis acre ferarum
Agmen. ——

Ut melius exprimeret noctem, verſus fecit plenos tenebrarum. *Diffundis nubila ducentia tacitam noctem:* Minimè gentium: *nubila* non *ducunt noctem.* Nam ſudo & ſereno cœlo, & non nubilo, fit aliquando nox: Atque ſæpenumero interdiu nubila. Alter totus verſus eſt ſuperfluus, & Ovidii ad verbum, 1. Met.

—— *Madidis Notus evolat alis,*
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.

Vatablus.

21 Leunculi rugiunt ad prædam, & ad quærendum à Deo eſcam ſuam.

Buchananus.

—— *Silviſque relictis,*
Prædator vacuis errare leunculus arvis
Audet, & è Cœlo mugitu pabula ranco
Te Patrem expoſcit. ——

Eglisemmius.

—— *Et auxilium Cœleſte leunculus eſcam*
In prædam exorans rugitibus æthera pulſat.

Sanè non poſcunt feræ *eſcam in prædam*, ſed *prædam in eſcam.*

Vatablus.

22 Oritur ſol, congregant ſe; & in habitaculis ſuis accubant.

Eglisemmius.

Sancte Opifex! quanto moliris cuncta decore,
Consilioque struis! moles terrena tuarum
Dives opum exsultat.——

Agitur, ut ego sentio, non Spiritu Poëtico hic auctor, motu naturali; qui semper velocior est in fine, ut hic ita melior in postremis versibus. Ego tamen non apuissem *struis*, nec adjecissem *moles*, nec dixissem *exat*, nam *struis* & *moliris* idem. *Moles* verò & *moliris* um potiùs quàm figuram loquuntur. Et *exsultat* d *Buchananus* tripudiantibus piscibus adscribit benè, cribit hic non benè terræ.

Vatablus.

25 Hoc mare magnum & latum locis: ureptilia, quorum non est numerus, & beæ pusillæ cum magnis.

Buchananus.

——Sed & aquora ponti,
Fluctibus immensas circumplectentia terras,
Tam laxo spatiosa sinu: tot millia gentis
Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia candâ
Exsultant.——

Eglisemmius.

——Latè circumsonat ingens
Oceanus, seu parva lubet seu magna ciere
Corpora squamigerûm, vitreâ complectitur alvo
Innumeras pinnâ fluitantes remige turbas.

Vatablus.

26 Ibi naves ambulant, & Leviathan iste, iem formasti ad ludendum in eo.

Buchananus.

——Tot monstrâ ingentia & horrida visu
Veliferas circumnant puppes, grandia cete

Effin-

Eglisemmius.

Te dante, accumulant; dextram laxante, renident
Exsaturata bonis.——

Vatablus.

29 Abscondis faciem tuam, turbantur: aufers Spiritum eorum deficiunt, & in pulverem suum revertentur.

Buchananus.

——*Te rursus vultum condente, fatiscunt:*
Te tollente animam, subitò exanimata recurrunt
In cinerem.——

Eglisemmius.

——*Vultum celante, pavescunt:*
Vitales resecante moras animæque nitorem,
Protinùs in tenuem vertuntur pulveris umbram.

Vitales resecare moras, id est, morti addicere, privare vitâ. Non vulgaris certè phrasis, petita ex abditioribus loquendi formulis, fortè obscurorum virorum Epistolis. Præterea, subjunxit aliam phrasin longè deteriorem, *resecare nitorem animæ*, quod quid sit ne Sybilla quidem interpretur. Deinde, *vertuntur in pulveris umbram*: hoc corruptionis genus ignoravit Aristoteles. Umbra enim privatio est, in quam nulla res vertitur. Sanè frustrà, non dicam ineptè, plus dicimus quàm Propheta: ille, *In pulverem suum revertentur*: hic, *In tenuem vertentur pulveris umbram.*

Vatablus.

30 Mittis Spiritum tuum, creantur: & innovas faciem terræ.

Buchananus.

——*Inspirante animam te denuò, surgit*
Illicò fœcundæ sobolis generosa propago,
Et desolatas gens incolit aurea terras.

Egli-

EGLISEMMIUS.

Adſperſo rediviva tuo ſpiramine ſurgunt;
Squalentique redit facies lætiſſima terræ.

Ex hac paraphraſi unius verſiculi facile erit decernere, quot ſtadiis præcurrat *Buchananus* non hunc, quem piget nominare, ſed omnes Poëtas, præter incomparabilem Maronem. Hoc ut clarè intelligamus, interpretemur exactè verſiculum Prophetæ; *Mittis Spiritum tuum, creantur: & innovas faciem terræ.* Principiò, *creantur* non accipitur propriè, ut Theologi capiunt, pro eductione ex nihilo, ſed pro eductione in genere & procreatione individuorum, in diverſis rerum ſpeciebus. Itaque quamvis poteſt Deus Opt. Max. *mittere Spiritum ſuum*, & vitam reddere iis quibus abſtulit, etiam in individuo; ut verè faciet tandem in reſurrectione omnium hominum: tamen Propheta hîc loquitur de miſſione Spiritûs *vitalis* in animantium genera per novam generationem, quo ſenſu rectiſſimè *renovat faciem terræ*; cùm, poſt varios caſus & occaſus animalium, iterum replet orbem novo fœtu per generationem. Jam videamus quàm peritè, quàm facundè, quàm poëticè, hæc omnia cecinerit olor noſter Caledonius:

——*Inſpirante animam te denuò, ſurgit*
Illicò fœcundæ ſobolis generoſa propago.

Hoc eſt, *Mittis Spiritum tuum, creantur.* Pergamus, *& innovas faciem terræ.*

Et deſolatas gens incolit aurea terras.

O verba planè aurea! O Regem Poëtarum! Agis Theologum, dum interpretaris: agis Poëtam, dum fundis iſta mella. Mallem eſſe auctor horum trium carminum, quàm Rex Togatulorum. Audiamus jam ſtrepitum verborum *Egliſemmii:*

Adſperſo rediviva tuo ſpiramine ſurgunt,
Squalentique redit facies lætiſſima terræ.

Hæc paraphraſis videtur interpretari Prophetam de renovatione faciei terræ: quæ fit quotannis, cùm induit novam quodammodo veſtem, & herbeſcentem diffundit viriditatem, ut ait Tullius; quæ an ſit ad mentem Prophetæ, judicent alii: hoc tamen non duxi prætermittendum, quòd *Spiramen* vel Dei Spiritum, tamquam liquidum quid foret, vel ut oleum, adſpergi dicat.

VATA-

VATABLUS.

31 Erit gloria Jehovæ in ſeculum, & lætabitur Jehova in operibus ſuis.

BUCHANANUS.

Sic eat! Et nullo regnet cum fine per ævum
Majeſtas divina, ſuumque in ſecula lætus
Servet opus Deus!——

EGLISEMMIUS.

Compleat æterno venientia ſecula plauſu
Fama Jovæ! Caras operum monumenta ſuorum
Delicias Rex uſque vocet.——

Primo verſu, non illaudatâ profectò paraphraſi, ſenſum Prophetæ reddit. Conferamus.

Erit gloria Jehovæ in ſeculum.

Compleat æterno venientia ſecula plauſu
Fama Jovæ!——

Secundo verſu paulò obſcurior eſt, & nemo homo ſic loqueretur.

Lætabitur Jehova in operibus ſuis.

——*Caras operum monumenta ſuorum*
Delicias Rex uſque vocet.——

VATABLUS.

32 Qui adſpicit terram, & tremit: tangit montes, & fumant.

BUCHANANUS.

——*Ille Deus, quo territa tellus*
Concutiente tremit, montes tangente vaporant:
Fumiferâ trepidum nebulâ teſtante pavorem.

EGLISEMMIUS.

——*Cui viſa repentè*
Terra tremit: rupes, tactâ radice, vacillans
Exſudat refugos dorſo fumante vapores.

VATABLUS.

34 Dulce erit ei eloquium meum: ego lætabor in Jehova.

BUCHANANUS.

——Tantùm ille meas faciliſque bonuſque
Accipiat voces: nempè illo oblector in uno.

EGLISEMMIUS.

Dulce melos meditatus ei: lætabor eodem.

Carmen hoc & humile eſt, & tantum abeſt ab Heroici carminis majeſtate, ut oleat ſolutam pueri orationem. Jure merito ſubjungam:

Turpe eſt Doctori cùm culpa redarguit ipſum.

VATABLUS.

35 Conſumentur peccatores de terrâ, & impii ultrà ne ſint.

BUCHANANUS.

At verò impietas planè exſtirpetur ab ima
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet.——

EGLISEMMIUS.

Rapta ſed in nihilum terras gens prava relinquat.

Reliquam verſiculi Prophetæ partem reliquit lectoribus per apoſiopeſin ſupplendam. Expreſſit ornatiſſimus *Buchananus*:

——Et ſcelerum ſtirps nulla repullulet,

VATABLUS.

36 Benedic, Anima mea! Jehovæ. Alleluya!

BUCHANANUS.

——Ac nos
Te rerum, Deus alme! Patrem Dominumque canemus.

EGLISEMMIUS.

Pange Deo laudes positis meus libera curis!

Nihil habetur in textu quod curæ significent, nisi fortasse sit illud *Alleluya*. Ego certè quidem fateor Hebraicè me minimè esse doctum; sed accepi à Præceptoribus *Alleluya* lætitiæ vocabulum esse, non curarum. Quoniam puduit tam lætum, tam lautum Psalmum tam tristi versu claudere, subjeci iterum ultimum *Buchanani*, plenum urbis & elegantiarum.

Te verum, Deus alme! Patrem Dominumque canemus.

FINIS.

G. EGLIS.

G. EGLISEMMII

DE

BUCHANANÆA PSALMI CIV

Poetica Paraphraſi

JUDICIUM.

QUiſquis Buchanani genium ritè noverit, ejuſdem in Muſas tyrannicæ licentiæ defendendæ gratiâ, proſodiam ab illo exaratam animadvertet; non minùs quam Hiſtoriam Scotorum ad dialogos de jure Regni perperam confirmandos. Adeò tamen in arte ſua cæcutiit ut erroribus omni excuſatione majoribus nihil ſolidè potuerit umquam prætendere.

In primis, ſyllabam illuſtrium omnium (obſcuriores nil moror) Grammaticorum regulis longam, hic inſulsè corripuit, nempe ultimam in *denuò*, à nomine (puta *de novo*) deductam.

Secundò, Solœciſmum turpiter commiſit his verſibus;

Neve iterum immiſſa tellus ſtagnaret ab unda,
Limitibus compreſſa ſuis reſonantia plangit
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas.

Si enim epithetum *(compreſſa)* attribuat *telluri*, falſam reddit orationem: & ut loquitur *Julius Scaliger*, ſoloeciſmus erit in Philoſophia. Sin attribuat *undæ*, ſolœcon dabit in Grammatica, ſubjectum & ſubſtantivum collocans in obliquo caſu, epithetum in recto. Nec licebit ei ſe defendere ſubaudiendo ſubjectum repetitum in recto, ſola enim impersonalia hoc admittunt.

Tertiò, carmina ſolutam potiùs orationem quàm Heroï-

que, patremque, & circumfuſum, & liquidas, & levibus, flammæque, tonitruque, inque, quique, mulcentque, ſilviſque, campoſque, fœcundaque, quæque, quæque, quique, puroque, & è cœlo, inque, hominumque, boumque, ſed & æquora, & horrida, atque adeò, teque, quæque, & deſolatas, ſummque, faciliſque, bonuſque, & ſcelerum, ac nos, Dominumque.

Quintò, eliſiones plures (puta 35.) in carmine polito parciùs uſurpandæ ſunt, ut *ventorum alis, accinctæ auræ, juſſa accipiant, terra obruta, inſonuêre auræ, cernere erat, neve iterum immiſſa, ſaxa invia, unde olus, geniale aſſurgat, quæque hilarent, quique hilaret, ubi implumes, lunæ incertos, puroque accenſum, cuncta involventibus, Patrem expoſcit, monſtra ingentia & horrida, atque adeò, à te uno, tollente animam, ſubitò exanimata, in cinerem, inſpirante animam, ſuumque in ſecula, tantùm ille, nempe illo oblector, ut verò impietas, planè exſtirpetur, radice & ſcelerum.*

Inter quas omnium duriſſimæ ſunt quæ in quintum pedem proximè incidunt; ut,

——————— Terra obruta quondam,
——————— Saxa invia ſilvis.

Sextò, congeſſit omnia ſupplementa miſerè laborantis ingenii, nempe, *tum, tantum, ſic, unde, inde, tam, tot, tu, te, tibi. His locis, tum liquidi fontes, tum fera prorepit, nec tantum, tantum ille, ſic Pater, ſic eat, tam variis, tam laxo, tot millia, tot monſtra, unde ſitim ſedent, inde pecus, unde olus, inde ſuperfuſis, te rerum, te decor, tu tibi, tu Pater, tu timidis, tu lunæ, te Patrem, te didis, à te uno, te magnum, te rurſus vultum, te tollente, teque, quæque, &c.* Quæ ab elegantia iterationis poëticæ longè diſtant, ob multorum carminum moram interjectam.

Septimò, nugationes, ut, *dein rurſus ſole renato*, item, *nullo cum fine per ævum. Patrem, Parens, Pater, Patrem, Genitor, Pater, & Pater optime*, denique *Patrem.*

Ut phraſium duarum priorum nugationes perſpicuæ reddantur, obſervetur particulam *(re)* in vocum compoſitarum ſtructura idem penitùs deſignare, quod *rurſus.* Ergò *renato*, id eſt, *rurſus nato:* proinde cum dixit, *dein rurſus ſole renato*, idem præſtitit ac ſi dixiſſet, *dein rurſus ſole rurſus nato.* Similiter, *nullo cum fine* idem valet quod *per ævum.* Idcirco dum protulit; *nullo cum fine per ævum*, ſenſu perinde eſt ac ſi protuliſſet, per *ævum per ævum.* Deinde *per ævum*, id eſt, *nullo cum fine*; quare qui dixerit

nullo

nullo cum fine per ævum, perinde loquetur, ac ſi diceret, *nullo cum fine, nullo cum fine*. Cetera ſeipſis patent.

Quinimo, eorumdem epithetorum reiteratio & diverſis ſubjectis applicatio exſibilanda eſt in tam exiguo Poëmate. *Per virides campos, virides ramos, viridis fœni, viridantis olivæ, fœcunda femina, fœcunda tellus, levibus alis, levibus pennis.*

Octavò, reſonantia literarum finalium in vocibus ſimiliter deſinentibus in (*a*) indigna eſt erudito Poëtâ. Ut in hoc poëmate aliquoties, nempe,

Squamigeræ tremulâ per ſtagna liquentia cauda.

Item,

Exſultant tot monſtra ingentia & horrida viſu.

Et in *e*,

Apparent accinctæ auræ, flammæque miniſtræ.

Nonò, integrorum penè verſuum, in aliis auctoribus, & in ipſo alibi poſitorum, mutuatio egeſtatem denotat, ut horum:

Ætheris æternas Rector moliris habenas.

Item,

Donec ſera rubens accendat lumina veſper.

Denique, digreſſiones à ſenſu textûs, & omiſſiones partium textûs, minùs rectam arguunt Paraphraſin, ut collatione verſuum cum ſacro codice liquidò conſtabit.

Alia verò plurima Buchanani errata caſtigatione digniſſima, ipſis tyronibus pulverem Grammaticum verſantibus obvia, ut *plunget*, *ne ſtignaret*, item *rugitus leunculi*, & ſimilia, lubens prætereo; cuncta hæc limatiſſimo Celeberrimæ Pariſienſis Academiæ judicio ſubmittens; hæc enim utrique noſtrum benigna fuit Parens ſtudiorum.

His peractis obſervatiunculis, de illius & noſtro Poëmate judicet qui volet; ſi qui volet, judicio valeat incorrupto.

FINIS.

GUL.

GUL. BARCLAYI

Amœniorum Artium & Medic. Doct.

JUDICIUM

DE

Judicio G. EGLISEMMII, quo damnat BUCHANANUM & læsæ Latinitatis, & violatæ Poëtices.

PRincipiò, præfiscinè, pronuncio magis esse arduum in *Buchanani* Poëmate invenire versus non bonos, quàm in *Eglisemmii* non malos. Clara res est considerate legenti.

Deinde, quæ objicit maximo & clarissimo Poëtæ, omnia sunt aut evidenter falsa, aut ridiculè puerilia, aut perperàm intellecta. Sed ordiar altiùs, & quid peccatum sit, & hîc, & ibi, judicio meo, sine odio, & sine amore, palàm proferam. *Eglisemmio*, quasi Doctori, dabo primas: *Buchanano* secundas, ut tantùm docto. Scriptum suum ergò vocat *Duellum*, Anglicè potiùs, quàm Latinè. Nam *Duellum* idem est quod Bellum: at bellum duarum partium quidem est, sed non duorum solùm. Vocassem *Certamen* potiùs, quod inter duos sit frequenter. Crede Maroni:

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Epigraphe peccat iterum in *Decertantibus*. Certè non decertat jam *Buchananus*, nisi fortasse cum Orpheo, in campis Elysiis: ob quod certamen vocat fortè Eglisemmius *lassatos ejus Manes*, in Epistola ad magnum Regem.

In toto Poëmate tantùm octo sunt sive versus sive

Limitibus compreſſa ſuis reſonantia plangit
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas.

Si enim epithetum *compreſſa* attribuat *telluri*, falſam reddit orationem; &, ut loquitur Scaliger, ſolœciſmus erit in Philoſophia: ſin attribuat *undæ*, ſolæcon dabit in Grammatica, ſubjectum & ſubſtantivum collocans in obliquo caſu, epithetum in recto: non licebit ei ſe defendere ſubaudiendo ſubjectum repetitum in recto, ſola enim impersonalia hoc admittunt.

Exiſtimo eſſe præter officium Medici morbos orationis ſanare: ſed arbitror eſſe è re literaria docere orationem vegetam, valentem & ſatis ſuperque ſanam, non ægrotare. Hi verſus *Buchanani*, non vitali ſolùm calore, ſed vivido colore pleni, nihil habent quod jure carpat vel *Invidia. Egliſemmius* taxat duo: *Plangit ne ſtagnaret*, & *Ab unda, limitibus compreſſa ſuis.*

Hâc formulâ loquuntur excellentiſſimi auctores: Grammatici vocant *Sylepſim caſûs.* Linacer ſic definit; *Sylepſis eſt, cum diſſimilibus clauſulis commune aliquid, quod in una ponitur mutatum aliquatenus, in alia deſideratur.* Confer hanc definitionem cum verbis *Buchanani*;

Neve iterum immiſſa tellus ſtagnaret ab unda,
Limitibus compreſſa ſuis. ——

Unda ergò eſt aliquid commune duabus clauſulis, quod priore verſu ponitur, & mutatum aliquatenus, ſcilicet in caſu, ſequenti verſu deſideratur. Satin' clarè? Intellexiſtin' *Egliſemmi*? Quæſo diſce candidè loqui de viris doctis, & modeſtè de mortuis. Auctores Latinæ linguæ non ſemel utuntur eâ formulâ ſermonis: *Cornel. Tacitus, 2. Annal. Quem auctorem utriuſque regni, ſi ſperneretur, vindicem metuebat.* Non eſt tibi Dictatori inter Grammaticos opus, ut arbitror, Commentatore: Saluſt. Linguæ Latinæ quaſi quidam atavus, De ordinanda Repub. *Ad pecuniam, quâ, cuique libet, viâ nititur.* Eutrop. lib. 8. *Propterea quod à Trojano victâ Daciâ, ex toto orbe Romanorum infinitas eò copias hominum tranſtulerat.* Lac lacti non eſt ſimilius, atque hæc oratio *Buchanani* verbis. Hîc enim ſubauditur in nominativo, quod antè ponebatur expreſsè in ablativo. Sed pudet repuerascere. Pergerem ad viriles & robuſtas, ut ſic dicam, objectiones, niſi me paululum moraretur illa regula de *Impersonalibus*, quam, bonâ fide, nec intelligo, nec lego apud Grammaticos.

Ni fallat fatum, Scoti quocumque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Antagoniſta hîc definit Leoninum verſum, & ponit exempla: utrumque malè. Nam qui damnat Buchanani carmina virtute definitionis, is neceſſariò abſolvit eadem vi exemplorum. Si, ut cum Philoſophis loquar, eſſentia Leonini verſus conſiſtit in ſono ultimæ ſyllabæ, reiterante quodammodo poſtremam ſyllabam penthemimeris: certè verſus Leoninos admiſit quoque Virgilius:

Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.

Jam verò exempla docent contra deſcriptionem, non ultimæ ſyllabæ rationem habendam, ſed penultimæ.

Ni fallat fatum, Scoti quocumque locatum.

Ad hanc regulam nulla ſunt carmina *Buchanani*. Atque etiam ſi talia carmina ſenum tantùm ſunt & Circulatorum: Circulator Ovidius eſt: ſic enim ille in Arte;

Quot Cœlum ſtellas, tot habet tua Roma puellas.

Circulator Virgilius eſt, qui 10. Æneid.

I nunc! & verbis virtutem illude ſuperbis!

Quartò, Increpat *conjunctiones toties iteratas*. Miror: illæ enim ſunt, ſine quibus poëticum opus ædificari nequit. Ad ornatum aliquando ponuntur, aliquando ut expleant, etiam ſine neceſſitate.

Nam neque Parnaſſi vobis juga, nam neque Pindi,
Multa quoque & bello paſſus.——
Atque hinc atque illinc numeros ad vulnera durant,
Molemque & montes.——

I nunc, ſodes! Virgilium increpa.

Quintò, Eliſiones numerat, nempè triginta quinque; tot equidem ornamenta, ſine quibus carmina non parum ſuæ magnitudinis amitterent. Opponam unum hemiſtichium adverſus tot teſtes, obtorto collo, huc à te ductos.

Phyllida amo ante alias.——

Ubi quatuor verba, tres eliſiones.

Sextò, *Congeſſit* (inquit Egliſemmius) *omnia ſupplementa miſerè laborantis ingenii, nempè tùm, tantùm, ſic*, &c. Numquam legit Egliſemmius, ut apparet, Patrem Poëtarum Homerum: in cujus decem verſibus obiter occurrentibus, plures non neceſſariæ particulæ leguntur, quàm in ſexaginta verſibus Buchanani. Architecti, haud dubiè, te præfectum non admittent; immò mittent potiùs

Ætheris æternas Rector moliris habenas. Item,
Donec ſera rubens accendat lumina veſper.

Hoc eodem argumento accuſat Homerum, accuſat Virgilium, & pleroſque Principes Poëtas. Cogor hîc calamum abſcere, & ſaniorem precari *Egliſemmio* ſanitatem, ne valetudine abutatur ſcribundis ægris operibus. Ne videar tamen iniquus judex, magnum opus aggrediar, & audebo verſus etiam Buchanani cenſoriâ virgulâ notare. Ut ſentiant Lectores Egliſemmium præteriiſſe locos, qui præferebant ſpeciem peccati; animadvertiſſe in innocentes. Pronunciabo ego quidem ſententiam meis verbis, non meam, ſed Momi, qui ſuperſtitioſè curioſus ait tertium verſum ſuperfluum, & dictionis quaſi impetu natum.

Ætheris æternas Rector moliris habenas.

In judicio noſtro de paraphraſi reſpondimus.

Deinde, cùm ſermo habetur de ſententia ejus verſus,— *Apparent accinctæ auræ*: Surgit ille & ait, Apoſtolum clarè, & ſine dubio, verſum illum interpretari de Cœleſtibus Spiritibus, qui ab officio dicuntur Angeli: Cujus interpretationem decet nos Chriſtianos venerari & ſequi. Non inficior: Poëta tamen ſequutus videtur veterum Hebræorum ſenſum, qui hunc locum de ventis & igneis meteoris expoſuerunt. Sed, pace tuâ, Mome! verba Prophetæ utramque interpretationem admittunt, & Theodoretus utramque conjunxit: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem urentem:* id eſt, facis ut Angeli miniſtri tui habeant velocitatem Spirituum, hoc eſt, ventorum; & efficaciam ignis urentis: atque ita ſint veluti quidam Spiritus in diſcurrendo, & veluti quidam ignes Divini in operando.

Hic tacitus captat, ſibi viſus aranea, muſcas;
Hic, tritici granum ſe ratus, horret aves.
Sunt vitreum, ſunt qui credant ſibi fictile corpus,
Occurſumque hominum, compitaque ipſa timent.
Vidimus & qui ſe vitales crederet auras
Liquiſſe, & Stygias jam penetrâſſe domos.
Non illi conjunx, non illi pignora curæ;
Nec fas humanas vel tetigiſſe dapes.
Talis Hypermori furor eſt: ſeſe ille Poëtam
Credit, & Aonium pulſat ineptus ebur.
Non aliter dulces interſtrepit anſer olores,
Aut patulo cornix cùm vocat ore Notos.
Suaviùs æra ſonant Corybantia, ſuaviùs illo
Arcadicum poſſet plectra movere pecus.
Blanditur tamen ille ſibi, non ipſa *Maronis*
Carmina, Mæonidæ non putat æqua ſuis.
Nec furor has intra potuit conſiſtere metas,
Ipſa ſed indignis conſpuit aſtra modis.
Te vatum, *Buchanane!* decus, quem ſuſpicit orbis,
Priſca cui aſſurgunt ſecula, dente petit.
Ille tuis audet demens oppedere Muſis,
Quodque nequit livor perdere, rodit opus.
Vatis Jeſſiadæ cultu donata Latino
Carmina ſunt, illo judice, digna focis.
Hæc linit, hæc radit, nec ſævos abſtinet ungues,
Cuncta abolens, numeros ſubſtituitque ſuos.
His Rex quæſitus patronus, *Gallia* judex,
Teſtes, quot populos maximus orbis habet.
Proh pudor! excuſſis veſana licentia frenis
Jam ruit, & ſcelus eſt quod fuit antè furor.
Spernitur & fœdis violatur charta lituris,
Quam pinxit radio Cynthius ipſe ſuo.
Quodque Deo cecinit plectro meliore Camœna,
Impia nunc audet radere lima melos.
Rex ſacer exutum queritur ſe Regis amictu,
Et Jeſſæa ſuo plectra carere ſono.
Nec monſtrum hoc parcit patriæ, patriæque Parenti,
Iſta quibus demens ſcripta legenda dedit.
Si qua Caledonio facta eſt injuria vati,
Scotia! te, Regem tangit & illa tuum.
Te penes illius ſunt incunabula, ab illo
Parva licet, magnum, *Scotia!* nomen habes.

Vidit Hypermorus, Batavis tunc hoſpes in oris,
Et medicâ ſævam depulit arte luem.
Fama volat: Medici ad limen fluit undique vulgus;
Undique lymphati, turba timenda, ruunt.
Haud aliter circum glomerantur tecta volucres,
Non exſpectato cùm ruit imbre Notus.
Pars fremit ante fores, pars intra limina, terror
Hinc atque hinc, horret tota furore domus.
Parva *Lycaonio* tumpuntur tecta tumultu,
Jurares Stygias hîc habitare canes.
Quàcumque ingreditur, rabie gens effera ſemper
It comes, & medici claudit utrumque latus.
Hic ululat, latrant alii, fluit omnibus ater
Ore cruor, paſſim ferrea vincla crepant.
Hinc eſt prima mali labes, hinc prima furoris
Semina, contracta eſt tranſitione lues.
Sic lepra, ſic diræ ſpargunt contagia peſtes,
Et ſcabiem toti fert ovis una gregi.
Tange luem, Veneris quæ turget nomine, tactus
Damna dabit; lippos adſpice, lippus eris.
Sed morbi quid ſigna juvat, quid dicere cauſſas,
Pæoniâ tolli ſi nequit arte malum?
Proh dolor! iſta lues non eſt medicabilis herbis,
Ipſa ſuum quamvis mitteret Ida nemus.
Cum ſubeunt, pelli poſſunt medicamine morbi:
Tollere naſcentes quælibet herba poteſt.
Aſt ubi facta mora eſt, ſumunt à tempore vires;
Nil tum dictamnus, nil panacæa juvat.
Nec quamvis eſſet caput hoc ſanabile ſuccis,
Annueret medicæ Cynthius auctor opis.
Quam patitur vates, facta eſt injuria *Phœbo*;
Hic memor, & forſan criminis ultor erit:
Non impunè tulit vati quod fecit Atrides,
Et didicit longas Numinis eſſe manus.
Non tamen hic, quamquam ſpes eſt excluſa ſalutis,
Æger Apollineam ſpernere debet opem.
Quas miſer exſpirat, fugientes naufragus auras
Captat, & in mediis brachia jactat aquis.
Tollere ſi tantos neſcit medicina furores,
Ne poſſit virus creſcere, fortè dabit.
ERGO, age! Hypermori curam qui ſuſcipis, omnem
Tolle moram, & promtam, ſi potes, adfer opem.

Præ reliquis aperire juvat, quæ ſponte tumentes
Virus ab extremo podice ſæpe vomunt.
Has reſera ferro, vel amaris illine ſuccis,
Vel mordace cutem pumice ſæpe frica.
Aut ſi fortè latent, exſugat hirudo cruorem,
Aut aloes æger pocula plena bibat.
Quinetiam extremis quadrant extrema, furorem
Tollere ſi ferro non potes, igne doma.
Ure locum capiti cervix ubi jungitur, ure
Brachia, mox geminum crus & utrumque femur.
Sic grave ſepteno manabit flumine virus,
Et quod non poſſunt ſingula, multa dabunt.
Sunt hæc magna quidem; verum eſt præſentius iſtis
Auxilium, quoties mens agitata furit.
Sponte ſua nemorum ſiccis in collibus herba
Naſcitur, Aoniis non malè nota jugis.
Huic folium platani, radix cepæ æmula, caulis
Eſt ferulæ, cnici ſemina, floſque roſæ.
Hæc, reliquas cùm condit hiems, Aquilonia ridens
Frigora, brumali ſub nive ſurgit humo.
Grata peregrinis eſt coturnicibus eſca;
Creditur & ventrem ſæpè ciere capris.
Repperit hanc primùm, ſi vera eſt fama, *Melampus*;
Factus & eſt medicus, qui modò paſtor erat:
Hâc ope, cum furerent ſævæ Junonis ob iras
Prætides, hunc mentem reſtituiſſe ferunt.
Hæc animi inſtaurat vires, hæc frena furori
Injicit, & toto corpore virus agit.
Helleborum Graiis, Veratrum eſt dicta Latinis,
Et ſua qui invenit nomina ferre dedit.
Quòd nigra ſit radix, nigrum cognomine dicunt:
Cetera, queis radix albicat, alba vocant.
Hinc ægro quærenda ſalus: Quibus undique vectes
Helleboros, centum ſub juga coge boves.
Silva *Caledoniæ* luſtranda, & *Grampius* ingens;
Vix, quot opus, plantas inſula tota dabit.
Omnia veſtiga loca, radiceſque potentes,
Et folia & flores, ſeminaque ipſa lege.
Cuncta manu medicâ miſcens ſimul exprime ſuccos,
Quos bibat ægrotus, nec ſine fæce bibat.
Huic cyathos, ſeu triſtis hiems, ſeu torreat æſtas,
Tres venientę die, tres abeunte dabis.

His

Non ſenibus, non ille nocet puerilibus annis,
Nec canis hunc, gemino cum furit igne, vetat.
Cetera ſi vincit rabies, has æger in oras
Naviget: eſt ipſo fonte levanda ſitis.
Quæ nullo expelli poterat medicamine, Druſo
Herculeam tellus depulit iſta luem.
Hic quoque qui magni Zenonis ſcripta refellit,
Helleborum prudens non ſemel antè bibit.
Atque utinam his æger purgaſſet pectora ſuccis,
Ante Deo ſacrum quàm violaſſet opus!
Liquiſſet mentem furor, aut moderatior eſſet;
Hei mihi! nunc ſeram ferre paramus opem.
Impia creſcendo cœpit dementia vires,
Vix tribus Anticyris cederet iſte furor.
Ne tamen hîc animum deſponde; vota ſuperſunt:
Quæ dare non poſſunt cetera, poſce Deos.
Eſt locus Ardenna in media, ſecretus ab omni
Voce, niſi ſi quæ murmura fundat avis:
Deſuper horrendus nigrâ formidine lucus
Imminet, & totum ſurripit umbra diem:
In medio veteri circumdatur area muro;
Hîc ſtat in exigua ligneus æde Deus:
Huberti cognomen habet. Non parva poteſtas
Numinis, hîc quamquam marmora nulla vides.
Res hominum varias ſuſtentans Jupiter olim
Ingemuit, dorſo cùm grave ſenſit onus.
Tum primùm reliquis, ad ſeſe in tecta vocatis,
Partem oneris fertur diſtribuiſſe Diis.
Cunctis dat quod agant: Latio hic favet, alter Iberis;
Tutelare Getes numen, & Indus habet.
Sunt quibus artificum curæ eſt genus omne; patronum
Fur habet; & leno ſacrileguſque ſuum.
Abluit hic ſtrumas, alter collyria lippis
Illinit, hic dentes eruit, ille polit.
Et canis & vulpes & habet ſua numina porcus;
Suntque quibus curæ muſca, cicada, pulex:
Singula quis numeret? Nemo indotatus abivit,
Munera reſtabant diſtribuenda duo.
Nemo qui viduas thalamis prohibere ſecundis,
Nemo qui rabiem pellere poſſet erat.
Hæc dum detrectant omnes, Hubertus aſello
Vectus adeſt, huic mox optio facta ſeni eſt.

Eligo

AD

D. *G. Barclayum* Poetam, Medicum, Med. & Philologiæ Profeſſorem,

Philopoetæ Scoti.

ADmonuit ſi fortè tuum deponere plectrum
Phœbus, & ad medicæ te vocat artis opus;
Hoc facit is metuens proprium ne perdat honorem,
Cùm tanti tua ſit æmula lingua Dei.
Sume igitur citharam, cùm ſis jam factus Apollo
Noſter, & invidiam ſperne doloſque Dei.

In Eumdem.

BEza & Turnebus, Scaliger Pater atque Joſephus
Te, Buchanane! ſuper ſidera laude locant.
Fruſtrà igitur verbis famam detraxerit ullus
Nec Graio tinctis Auſoniove ſale.
Quid Stephanum referam? Taſſæum? quidve Meliſſum?
Quidve Europa alios quos ſpatioſa tenet?
Queis erit æternùm Buchanani nomen honeſtum,
Fulgens Phœbæis ob meritum titulis.
Hi Buchanano omnes vivo numerantur amici,
Dum valuit felix reddere dona manu.
At, Barclaye! manes obitum poſt fidus amicus,
Abſtergens nitidò crimina falſa ſtylo.
Nec tantùm egregius ſentit tua munera Vates:
Sed cara avertis dedecus à patria.
Romulus & Coſſus, vel non Marcellus opimis
Ornati ſpoliis te potiora gerunt.
Tollica perpetuo domus eſt celebranda canore,
Ex qua tam docti profiliêre viri

JACOBUS BADLOLUS.

In Eumdem.

HOc vetus eſt dictum, Medici! prœbete medelam
Vos vobis; maniam non levat arte ſuam

In Eumdem.

LOngævum, priſciſque parem, ſummumque Poëtam,
(Illius oppoſito nomen in orbe viget)
Imberbis Medicus, qui non prius induit arma,
Horrida (quid referam?) Martis ad arma vocat.
Sed fuge: te inſequitur magni levis umbra Poëtæ:
Si ſapis, iſta manu tela tremente cadant.
Dum fugis hanc pleno vocem da pallidus ore,
Imberbi Medico parce, Poëta! tuo.

In *Geor. Buchananum* Scotum

EPITAPHIA & POEMATA.

Joſephi Scaligeri Epitaphium.

POſtquam laude tua patriam, meritiſque beâſti,
Buchanane! tuis ſolis utrumque latus:
Contemtis opibus, ſpretis popularibus auris,
Ventoſæque fugax ambitionis, obis.
Præmia quina quater Piſææ functus olivæ,
Et linquens animi pignora rara tui:
In quibus haud tibi ſe anteferent quos Itala Vates
Terra dedit: nec quos Gallia mater alit,
Æquabunt genium felicis carminis, & quæ
Orbis habet famæ conſcia ſigna tuæ.
Namque ad ſupremum perducta Poëtica culmen
In te ſtat, nec quò progrediatur habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes:
Romani eloquii Scotia finis erit.

Andreæ Melvini in Eumdem.

ERgò ſilent magni Buchanani in funere Muſæ?
Nec Vatem Aonidum flet pia turba ſuum?
An ſecum Buchananus habet montem, unde Camœnæ
Devolvunt mœſtos murmura trunca modos?
An ſecum Buchananus habet fontem, unde Poëtæ
Pieriis poti collacrimantur aquis?

Julii Cæsaris Scaligeri de Georgii Buchanani carminis venustate poëma.

HEri legebam nuper allatum mihi
Sapidum, tenellum, molle carmen, aureum,
Intelligendum vel puellis omnibus;
Si splendor, atque puritas, decus, nitor,
Animum subire luculentum ullum queat;
Intelligendum non facilè doctis Viris,
Nisi mentis excitetur ardor efficax,
Sententiarum propter ardorem merum.
De me ut loquaris, ut ego de me ipso loquar,
Intelligebam primulùm ut simplex puer:
At ubi Vir esse, ubi esse volui intelligens,
Vocis serenâ luce perculsus tuæ,
De intelligenti intelligens nihil fui.
Hoc te volebam sic monere: ne petas
Me velle respondere. Non enim audeo.
Hocque esse respondere, non respondeo.

Joannes Rayus, Ludimagister Edinburgensis, Scaligeri de Virgilio versus, Buchanani Divinitatem inaccessam admiratur hoc carmine.

MIrande Vates! fons beati carminis!
Latina Siren! patriæ
Illustre decus! & mel leporis Attici!
Doctissime Nepos Romuli!
Latinæ Athenæ! Flacce duplex! & triplex
Homere! mens Poëseos!
O absque vitio monstrum! & absque fluctibus
Pontum profundam! nubibus
Cœlum absque purum! ô posteris miraculum!
A fonte Musas Pegasi
Primus canoras qui advocâsti ad inclitæ
Sionis hymnos aureos:
Venamque ditem Cœlitum qui Principi
Laudando sic indulseris,
Calore mentis Cœlum oberrans entheo,
Solis labores, sidera,

Lunæ,

Henrici Stephani de Eadem.

ECce! Caledonia Maro, Naſo & Flaccus in ora,
Pro Jove nunc diſcunt poſſe ſonare Jovam!

Ejuſdem de Eadem.

DAvidis hîc corpus, ſed tectum veſte Latinâ,
Quæ picta eſt Flacci, picta Maronis acu.

Incerti Auctoris de Eadem.

LUdicra Chriſticolæ ponant: Æneïde majus
Exit opus, celebri majus & Iliade.

Theodori Bezæ in Georgium Buchananum Carmen.

AUdieram Gottos, & quos Septentrio quondam
Barbarus immanes ultricem in numinis iram
Effudit populos, ſceleratæ mœnia Romæ,
Et quæcumque prius ſpoliato ex orbe ſacrârant
Imperii faſtuſque ſui monumenta Quirites,
Partim æquâſſe ſolo, partim injeciſſe voraci
Conſumenda rogo: ut quæ olim faſtigia Cœlis
Intulerat, ſeptem attollens in nubila montes,
Nunc proſtrata ſuis celebretur Roma ruinis.
At non ingenium ſolers, linguamque diſertam,
Æternis quibus illa opibus tot ſecula felix
Roma olim cunctas inter caput extulit urbes:
Hæc, inquam, reliquis longè anteferenda tropæis,
Non equidem audieram Gottoſve, allaſve feroces
Quas procul Oceanus gentes glacialis inundat,
Noſcere, mirari nedum potuiſſe: rapaces
Barbarus ut prædæ iſtius dulcedine captus
Injiceret Muſis ungues, quas deinde rigenti
Captivas ſic diligeret coleretque ſub Arcto,
Ut medias inter glacies Boreæque ſonori
Pectora nata gelu Muſarum ardore calerent.
Attamen hoc factum ſi quis dubitaverit, idem

Vel

PSALMI CIV.

Paraphraſes Poeticæ ſex:

Auctoribus totidem SCOTIS.

Pſalmi CIV. Paraphraſis Poetica:

Auctore *DAVIDE HUMIO Theagrio.*

EIa! anima ingentem Jehovam cane: ſidera ſupra
Aurea, ſupra apices denſos atque ardua rerum,
Te qualis, te quantus agis, Deus! ô decus almum!
O majeſtatem indutum! tu lucis amictus
Lumen inacceſſæ: tu cœli aulæa ſuperne
Picta, decorem altum & rutilas ſpirantia flammas
Inſinuas, curvaſque cavum teſtudine in arcum.
Tum ſubtùs liquidis ſignat cœnacula lymphis
Aëra per vacuum, celeres ubi nubila curſu
Ceu currus frenatque agitatque, Eurique ſonantis
Alis vectus ovat: volat ille faceſſere promtus
Imperium, totumque ruens quatit imbribus orbem.
Non rapidæ flammæ, non miſtus fulgure turbo,
Non grando, incanæque nives, nimbique ſonori,
Caſſa miniſteriis: certant maria æther & ignes
Obſequium properare ſuum. Stat mole ſuâ vis
Immenſæ telluris, & inconcuſſa per ævum
Fundamenta premit, vaſtam quam gurgite quondam
Incubuit ſuper unda premens colleſque tenebat.
Cùm fœta imperiis vox majeſtate tremendâ
Intonat, & pontum gravis increpat: ilicet ille
Accelerare fugam perque alta cacumina montium,
Perque cavas valles, juſſo & ſe condere claſtro.
Nunc ſtupet oppoſitis montis, frenumque tremiſcit

Sed quis tanta & tot manuum hæc opera alta tuarum
Exæquare queat fando? tu cuncta profundo
Prudens conſilio libras: tibi fœta bonis tot
Stat tellus. Ipſum hoc ingens quod cernimus æquor
Porrigere in latos liquentia brachia campos
Pinnigerum oſtentat pecus: hîc repentia denſos
Trudunt ſe parva in cuneos, hîc vaſta per undas
Tolluntur pavidiſque adnant animantia nautis:
Nautis veliferas auſis armare carinas,
Et verſare undas remis & currere vento.
Hîc manibus fabricata tuis balæna, ferarum,
Et quot marmoreo viſuntur monſtra profundo,
Informi exſultat luſu, regina: videre eſt
Findere ſpumantique iterum ſe volvere ſulco
Nerea, lambentem famulis veſtigia lymphis.
Jamque ſolum quodcumque fovet, latèque liquenti
Æther & unda ſinu, diffuſique ambitus orbis,
Suſpicit, atque polo paſtum exſpectantia figit
Lumina maturum poſcens: tu ſcilicet unus
Cùm das, colligere illa: tibi ut manus ampla benignè
Panditur, implenturque bono & ſaturata quieſcunt.
Sin vultum paulò avertas, turbata fatiſcunt.
Si revocas animam, exſpirant priſcoſque redacta
In cineres abeunt. Iterum per membra per artus
Miſcet ubi inſinuans diæ ſe ſpiritus auræ,
Quàm multâ rediviva propagine ſemina rerum
Fœcundas! ſenii ſqualorem abſtergis, & orbi
Reſtituis virideſque annos lætamque juventam.
Ergò Deum ſua facta canant, laudemque per ævum,
Quam vultu accipiat lætus dignetque ſereno,
Dent generis memorem, magnæque haud inſcia dextræ!
Ni faciant, tremit adſpectu conterrita tellus
Vindice, diffugiunt montes nubemque volutant
Fumiferam cœlo pavidi, & juga pinea nutant.
Illum ego, dum vitam indulget, dum ſpiritus artus
Almus agit, dum ſpirat adhuc, quiſcumque locus me,
Quæ me cumque trahit ſpes aut fortuna, ſub auſtra
Uſque feram, nomenque ingens, laudemque, decuſque,
Juſtitiam, canamque fidem, largumque, bonumque
Mirabor, primuſque canam: rapit acer Olympo
Ardor, & audaci ſiſtit ſuper æthera plantâ.
Jam contemnere opes libet & faſtigia rerum,

Vina fugent, pinguique oleo frons læta niteſcat,
Et guſtata Ceres feſſos corroboret artus.
Te plantante, virent ſilvæ: domus alta volucrum
Cedrus, odoratâ Libanum quæ protegit umbrâ,
Cuique piam credit ſobolem crotaliſtria pinus.
Perſultat, duce te, rupes, fraudeſque ſequentûm
Cerva fugit, ducitque hiſtrix ſub pumice ſomnos.
Tu ſtata multiplici deſignas tempora lunâ,
Quadrifidumque rotas ſolis decurſibus annum.
Ut verò aſtrifero texit nox omnia peplo,
Deſtituunt ſua luſtra feræ, catulique leonum
Te, Deus alme! vagis prædam rugitibus orant.
Mane novum pellit ſaturos conditque latebris,
Et vocat è ſtratis avidos ad aratra colonos.
Fervet opus donec jubeat diſcedere veſper.
O decor! ô cunctis lucens ſapientia factis!
Plena tui tellus, rerum Sator! æquora plena;
Æquora ſquamigerûm domus ingens, hoſpita nantis.
Vela tremunt Zephyris: balæna è naribus undas
Evomit, & tardo molitur corpore ſaltus.
In te, magne Pater! quæ ſpirant omnia ſperant:
Tu tempeſtivam præbes orantibus eſcam.
Te ſpargente legunt, ſatiataque divite dextrâ
Exſultant, marcentque tuo defecta favore:
In cineres redeunt, vitæ cùm dulce repoſcis
Depoſitum, juſſuque tuo de pulvere ſurgunt.
Tum nova vernat humus ſubitiſque arridet alumnis.
O regnes ſine fine bonus! ſine fine beatus!
Quæque creas ea lætus ames! Te vaſta minante
Terra tremit, fumoque metum juga celſa fatentur.
Tu mihi carmen eris, Genitor! tu ſola voluptas:
Tu deſiderium: rumpet mors unica vocem.
At cadat impietas, imaque à ſtirpe reciſa
Areſcat, juſtâque levet formidine terras.
Eia! age, divinos, mea mens! celebremus honores!

Et munus Cereale datur, mentemque gravatam
Bacchi animans genialis honos, & ſuccus olivæ
Exhilarans rutilum diffuſo lumine vultum.
Nec minùs & fœtus animat vegetabilis humor
Arboreos. Libani cedro ſua tecta virenti
Concelebrat pennata cohors: tibi pinea ſurgit,
Cui ſobolem creditque pios crotaliſtria nidos:
Sic ſilices lepori, ſed echino concava ſaxi
Indulgent facilem tranquillâ pace quietem.
Tu lunare decus ſtabili das temporis ortu
Inſtabiles lunare vices, & ſidus Eoum
Clara renaſcentis reſerans ſpiramina lucis
Heſperio recubare toro: tunc, cùm urget in aſtra
Præcipitem lux prona diem, cava tecta relinquit
Quadrupedum ſilveſtre genus, catulique leonum
Ore fremunt, poſcuntque vagis alimenta querelis.
Cum croceis invecta rotis aurora reſurgens
Sparſerit in totum radiis nova lumina mundum,
Cæca cavernoſi ſubeunt penetralia ſaxi:
Fervet opus, ſemperque hominum manus emicat ardens,
Dum ruit & fuſcis nox terram amplectitur alis.
Mens mundi, rerumque Parens, quàm mira patrâſti,
Cuncta movens, mota amplectens, amplexa gubernans!
Dædala nec tantùm ſentit tua munera tellus,
Omnigenis diffuſa bonis, ſed & undique fluctu
Æquora, quæ medias lambunt circumſona terras,
Tam patulo complexa ſinu: quæ remige pinnâ
Concelebrat pinnata cohors, ſulcantque per undas
Fluctivagæ vada ſalſa rates: ubi grandia cete
Humida ſpumificis turbant cryſtalla choreis.
Incumbunt hæc cuncta tuæ, Pater optime! curæ,
Temporibus ſatianda ſuis: te dante renident,
Et dextram pandente legunt, condenteque vultum
Prorſus in obſcuris tabeſcunt cuncta tenebris.
Te vitam tollente, fugit modò corporis artus
Spiritus, & tenues ſenſim vaneſcit in auras:
Vitales afflante auras, generoſa reſurgit
Progenies, tacitaſque novat gens aurea terras.
Gloria perpetuâ Domini renovanda juventâ
Floreat, æternamque operi det ferre coronam!
Quo radiis fulgente vagis, conterrita tellus
Intremuit, trepidiſque fluens de montibus ater

Undabat

Ad rivos habitant volucres, ramiſque canentes
Oris blandiloqui concentibus aëra mulcent.
Ipſe rigas montes deſtillans æthere ab alto,
Fructu operum imprægnata tuo telluſque refulget.
Pabula tu pecori rorantia gramina profers:
Uſibus omnigenas hominis tu porrigis herbas.
Exhilaras animos vino, curiſque mederis,
Efficis & nitidos oleo ſplendeſcere vultus,
Pane tuo fragiles reparaſque in corpore vires.
Vivifici arboribus locuples data copia ſucci,
Cedrifero in Libano Domini quas dextra ſerebat.
Hîc turmæ aligeræ fabricant ſua frondea tecta,
Hîc vernatque abies ubi grata ciconia degit.
Barbigeris capris tribuis juga celſa petrarum,
Rupibus in mediis quæritque cuniculus antrum.
Per lunæ inſtabilem ſtabilis tua tempora curſum:
Tu rapidum Heſperias ſolem convolvis in undas.
Juſſa tegit terras tunc nox velamine opaco,
Egreditur ſilvis furiataque turba ferarum,
Magnanimus poſcit ſupplexque leunculus eſcam,
Te Dominum agnoſcens: rugit, regioque paveſcit.
Sol ſimul Eois roſeum caput extulit undis,
In latebras & luſtra redit truculenta caterva:
Tunc ad opus ſe accingit homo, alternoſque labores
Fert, donec tenebroſa nigris nox incubet alis.
Ampla tuæ laudis quot facta illuſtria proſtant!
Singula & in proprios uſus ſapientia finxit.
Luxuriantſque tuis opibus terra undique geſtit.
Sic pelago hoc magno vaſtoque potentia grandis
Lucet, ubi undigenæ gentes regna uda pererrant:
Innumeræ reptant immanes mole feræque
Et parvæ, piſceſque natant ſaliuntque per undas.
Hîc & fluctivagæ ſulcant vada ſalſa carinæ,
Et ludit liquidis magnus leviathan in undis,
Exſtans ſupremi mirandum plaſma Parentis.
Quæque ſalo, quæcumque ſolo generantur ubique,
Te ſpirant, ſperant, venerandum & numen adorant,
Et poſcunt dulcem opportuno tempore paſtum.
Cuncta legunt eſcas tribuis quas providus ipſis,
Teque manum expandente bonis ſatiantur opimis:
Si vultum abſcondis ſunt conſternata pavore:
Si revocas animam ſubitò mors occupat atra,

Intonuere poli, perterrita montibus altis
Mox delapſa ruunt per apertas flumina valles.
Neve iterum effuſo ſtagnaret ab æquore tellus,
Arctus ab appoſitis limes diſterminat arvis.
Hinc, alta de rupe cadens convallibus imis,
Volvitur obliquus per ſaxa humentia rivus:
Unde per incultos relevent errantia campos
Bruta ſitim, ſiccique onagri vaga flumina libent.
Hîc levis æthereas quæ nititur ales in auras
Suſpendit ramis (operoſa cubilia) nidos,
Ingeminans ſuaves ruris ſolatia cantus.
Defluus incumbit ſcopulis ardentibus imber,
Cultaque labentes potant ſitientia lymphas.
Alma parens frugum tellus tua munera ſentit,
Quæ partu fœcunda ſuo gemmantia reddit
Gramina, quæ victumque homini pecudique miniſtrant:
Quæque cient alacres turbato in pectore motus,
Prodit odorati fragrantia munera Bacchi,
Quique hilarat vultum ſuccum viridantis olivæ
Sufficit, & Cererem reparandis viribus aptam.
Hinc fœtu largo ſaturatis prodiga fibris
Arbor fundit opes: Libani celeberrima cedrus
Gloria diffundit ſpatiantia brachia ramos,
Alitibus nidos: thalamos procera pudicos
Hoſpitiumque abies tibi, grata ciconia! præbet.
Gaudet inacceſſis capra montibus hirta, cubile
Gaudet in umbroſis fodiſſe cuniculus antris.
Cura eadem aërii tractus tibi: nam tibi lunæ
Incertæ certo deducitur orbita motu.
Tu ſolem auricomum, emenſum ſpatia omnia cœli,
Ducis ad heſperium conſtanti lege cubile.
Ergò feræ, obſcuris dum nox amplectitur alis
Tellurem, effuſæ latebris graſſantur opimæ
Spe prædæ, & ſaltus latè populantur opacos.
Ipſaque torvorum proles truculenta leonum,
Triſtia dum vacui ſtimulant jejunia ventris,
Mugitu ſupplex victum tua numina poſcit.
At ſimulac radiis tectum patefecerit orbem
Mundi oculus, trepido repetit ſua luſtra meatu
Turba rapax, feſſoſque ſopor complectitur artus.
Sic genus humanum aſſuetum labor urget in orbem,
Intentumque operi tenet à Pallantidos ortu,

Pſalmi CIV. Paraphraſis Poetica:

Auctore *ARCHIBALDO PITCARNIO*, M. D.

DExteram invictam canimus Jovemque,
Qui triumphatis hominum & deorum
Præſidet regnis, animatque magnam
Numine molem.
Quàm tuæ virtus tremefecit orbem,
Juppiter! dextræ: Sacra tu ſereni
Pandis, immenſum veluti volumen,
Atria cœli.
Orbis, ac uni tibi nota ſumma
Orbium, & nantes per inane vaſtum
Vi tuâ terræ, Jovis eſſe clamant
Omnia plena.
Tu domos priſcæ penetras abyſſi,
Tu rotis nubes venis inquietis,
Et manus ventis tua dædaleas
Aſſuit alas.
Jura tu brutis facileſque leges
Rebus imponis, quibus antra parent
Æoli, parent rapidæ fluenta
Fervida flammæ.
Illa, quam nobis patriam ded ſti,
Nobilem, tellus, hominum ſtativis,
Fert tuas laudes per aprica noſtri
Littora ſolis.
Tu jubes illam placitâ revolvi
Orbitâ, gyros ſibi conſtitutos
Audeat ne quo violare quondam
Avia ſaltu.
Tu ſalo victis dominante ripis
Merſeras terras hominesque, ut omnis
Vicerit montis juga vis aquarum,
Iraque ponti.
Voce ſed magnâ monitæ Tonantis
In ſuas undæ recidêre ſedes,
Et minas ponti domat infrementis
Reddita tellus.

Illa, dejectis moderanter undis,
Vox, ſalutari penitùs ruinâ,
Montium naſci juga valliumque
Æquora juſſit.
Arduum ſævis marium procellis
Littus opponis, tumidumque arenæ
Aggerem, quem non ſuperabit æſtu
Unda rebelli.
Attamen dulces latices in omnem
Depluis vallem, tibi quos ab alveo
Phœbus excivit maris, atque nubes
Traxit ad altas:
Quos bibunt denſæ pecorum catervæ,
Quos feræ potant, aviumque turmæ,
Queis ſitim pellunt onagri colentes
Invia teſqua.
Tu doces lætas volucrum cohortes
Ramulos parvis onerare tectis,
Et levi propter latices morari
Otia cantu.
Proluit ſiccam pluvialis æther
Barbam & arentes humeros Atlantis,
Thureis præguans opibus Sabæas
Ornat arenas.
Ebria epotis alacriſque tellus
Nubibus gramen pecori dicatum,
Divitem, humani pretium laboris,
Sufficit herbam.
Vita frumentis alitur, Falerno
Redditur vivax, oleo niteſcit
Frons, & ultrices jubet exſulare
Pectore curas.
Siderum invadit patriam propago
Arborum potis animoſa rivis,
Et caput cedrus Libani voluptas
Nubibus infert:
Cedrus incertis avium catervis
Dat lares dulces, abies pelargum
Accipit civem piceo ſalubris
Grataque ſucco.
Cuncta divini regit ordo fati:
Montium damis juga deſtinantur,

Inter

Inter & rupes latebras echinus
Invenit aptas.
Tu ſtato lunam reditu fatigas,
Solis alternis radiis coruſci
Objicis terras, retrahiſque furvæ
Noctis in umbram.
Eripis ſoli, tenebriſque terras
Tradis ereptas: fera tum, relictis,
Ut famis ſuaſit rabies, cavernis,
Territat orbem.
Ille prædonum leo ſævientum
Rex, & ipſarum domitor ferarum,
Inverecundo licet ore, ſupplex
Te rogat eſcam.
Sol, ut averſæ redière terræ,
Cogit occultis ſtabulis leones,
Tum levant turmæ pecorum diurno
Corpora ſomno.
Tum quoque ipſorum domitor leonum
Excutit ſomnos homo, tum labores
Impiger poſcit, reficitque fero
Membra ſopore.
Quanta ſolertis monumenta dextræ
Eminent! dextræ, freta quæ faceſque
Siderum, & terras moderatur omni
Sole calentes:
Quæ per immenſas pelagi paludes
Piſcium mutos populos, pecuſque
Sole vix utens regit, & profundo
Gurgite verſat.
Hîc volant puppes, choreaſque cete
Improbas campo celebrant in udo:
Humidum vulgus ſtupet, & per imas
Diffugit undas.
Quæ fovet tellus, fluidumque regnum
Tethyos, turmas miſerans egenas,
Tu foves ſolus, recreaſque dulci
Munere vitæ.
Dividis ſeclis alimenta, dextram
Laudat altricem tribus omnis, & te
Exigit vitæ variam ſtatutæ
Auſpice ſortem.

65
68

66
65